B. AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI ET VETERUM EIUSDEM DISCIPULORUM...

Aurelius santo Augustinus (santo),
Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
6 A
17

Digitized by Google

OPVSCVLORVM INSIGNIORVM

B. AVGVSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

ET

VETERVM DISCIPVLORVM EIVS

Adversus Pelagianos & eorum Reliquias

TOMVS TERTIVS.

Continens Opuscula Insigniora Veterum Tractatorum, qui cum Augustino & post ipsum per varia sæcula pro Gratiâ Dei adversus Pelagianos eorumq; Reliquias decertarunt: quorum Catalogum sequens pagina exhibebit.

LOVANII

Ex Officina BERNARDINI MASII

Sub Viridi Cruce, ANNO 1648.

Cum Gratiâ & Privilegio.

Digitized by Google

OPVSCVLORVM INSIGNIORVM

B. AVGVSTINI

EPISCOPI

ET

VETERVM DISCIPVLORVM EIVS

Aduersus Pelagianos & eorum Reliquias

TOMVS TERTIVS.

LOVANII

Ex Officina BERNARDINI MASII

Sub Viridi Cruce. Anno 1576.

Cum Gratia & Priuilegio.

Digitized by Google

Elenchus eorum quæ hoc Tertio Tomo continentur.

D. Proſperi Aquitanici Epiſtolæ ad Demetriadem & ad Ruffinum. Item lib. 2. De Vocatione Gentium.

Item Reſponſiones ad Capitula Obiectionum Gallorum.

Item Reſponſiones ad Capitula Obiectionum Vincentianarum.

Item Reſponſiones ad Excerpta Genuenſium.

Item Liber De Gratiâ Dei & Libero Arbitrio, contra Collatorem.

Item Liber de Ingratis. à pa. 1. vſque pag. 237.

Cæleſtini Papæ pro Proſpero & Hilario de Gratia Dei Epiſtola. à pag. 238. vſque ad pag. 246.

Leonis Papæ 1. ad Septimium & Nicetam Epiſtolæ 2. à pag. 247. vſque ad pag. 251.

Gelaſij Papæ 1. ad Honorium Epiſtolæ 2.

Item ad omnes Epiſcopos per Picenum Epiſtola.

Item Opuſculum adverſus Pelagianam hæreſim. à pag. 252. vſque ad pag. 293.

D. Ieronymi Epiſtola ad Cteſiphontem à pag. 295. vſque ad pag. 308.

Epiſcoporum Africanorum in Sardinia exulum Epiſtola Synodica de Gratia Dei & humano arbitrio, à pag. 309. vſque ad pag. 318.

B. Fulgentij de veritate prædeſtinationis & gratiæ Dei lib. 3. Item eiuſdem liber de prædeſtinatione & gratia, à pag. 319. vſque ad pag. 401.

Petri Diaconi de Incarnatione & Gratiâ D. N. I. C. liber vnus, à pag. 402. vſque ad pag. 413.

B. Fulgentij de Incarnatione & Gratia D. N. I. C. liber vnus, à pag. 414. vſq; ad pag. 465.

Item eiuſdem ad Monimum Liber primus, à pag. 466. vſque ad pag. 497.

Concilium Arauſicanum ſecundum de gratia & libero arbitrio, à pag. 498. vſque ad pag. 504.

Bonifacij Secundi Papæ Epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem à pag. 504. vſque ad pag. 506.

B. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi de ſummo bono libri 2. cap. 15. priora, à pag. 507. vſque ad pag. 524.

Ven. Bedæ in Cantica Cant. lib. primus, à pag. 524. vſque ad pag. 537.

Eccleſiæ Lugdunenſis Liber de tenenda Scriptura Sanctæ veritate & SS. PP. auctoritate fideliter ſectanda. à pag. 538. vſque ad pag. 594.

Pru-

Prudentij Episcopi Tricassini tractoria Epistola, à pag. 595. vsque ad pag. 597.

Concilium Valentinum III. à pag. 597. vsque ad pag. 602.

B. Anselmi de Libero Arbitrio dialogus à pag. 602. vsque ad pag. 620.

D. Bernardi de Gratia & Libero Arbitrio: Item Sermo 81. super Cantica à pag. 620. vsque ad 658.

Richardi de S. Victore de statu interioris hominis, Tractatus primus. à pag. 658. vsque ad pag. 698.

D. Aelredi Lib. 1. Speculi Charitatis, 15. priora Capita. à pagina 699. vsq; ad pag. 715.

Adriani Papæ I. Epistola 97. à pag. 716. vsque ad pag. 727.

Hugonis de S. Victore Tractatulus de triplici vitio, triplici peccato, & triplici remedio. à pag. 727. vsque ad pag. 734.



Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO GENEROSISSIMO

ET

AMPLISSIMO DOMINO

D. WINANDO

DE LAMMARGELLE

NOBILISSIMÆ ABBATIÆ S. GERTRVDIS

Ordinis Canonicorum Regularium

S. AVGVSTINI

PRÆLATO MERITISSIMO

Ordinum Brabantiæ ASSESSORI &c.

Nne, & quàm verum etiamnum in Ecclesia Dei esse queat, *Admodum Reverende Amplissime ac Generosissime Domine*, quod olim Ecclesia Lugdunensis ingemiscebat: Tuum volui esse iudicium dum hunc tertium Tomum opusculorum AVGVSTINI discipulorum (quo nomine cum toto prænobilium Canonicorum Tuo-

Tuorum Collegio gloriaris) contra Pelagianos, ad Amplit. Tuæ manus cum officiosissimis osculis depono.

L. de ten. S. Scrip. verit. & SS. PP. authoritate. Cap. 1.

Ita illa: *Inter omnia pericula & innumeras calamitates atq; miserias, quibus Ecclesia huius regni terribili & occulto Dei iudicio incessanter affligitur atque vastatur, ita vt regni vnitas sit discissa, ac dilacerata, sacerdotum generalia & saluberrima Concilia intermissa, legum severitas, & iudicum vigilantia subtracta, specialis doctrinæ studia, quibus fides & scientia Dei quotidie enutriri ac proficere debuit, penè vbique extincta; exortum est magis dolendum ac lugendum malum, vt videlicet contemptâ veritate Scripturarum sacrarum, calcatâ authoritate beatissimorum atque orthodoxorum Patrum, per quos Ecclesia Dei ædificatur & illustratur, præsumant aliqui etiam de rebus præcipuè ad fidem spectantibus, ex proprij sensus temerariâ præsumptione, quæ apertissimè contraria sunt divinæ veritati & ipsi docere, & aliis tenendum statuere atque conscribere: Cum & ipse omnipotens Deus* speculatori, *id est, vnicuique Pastori Ecclesiæ, ea sola quæ ab ipso audierit annuntianda præcipiat, dicens:* Speculatorem te dedi domui Israël: & audies ex ore meo verbum & annuntiabis eis ex me. *Et Beatus Apostolus Petrus similiter contestatur & dicit,* si quis loquitur quasi sermones Dei. *Et Beatus Paulus idipsum admoneat & inculcet dicens,* Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Et infra: *quapropter omni studio & vigilantiâ pietatis, cavenda est immunditia erroris: & humiliter & fideliter obtemperandum Apostolo sub personâ Timothei ad vnum-*

vnumquemque † errorem Ecclesiæ dicenti: O Timothee depositum custodi devitans profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes circa fidem exciderunt: *Habemus namque depositum fidei & doctrinæ veritatis ex divinis scripturis, & Sanctorum Patrum dictis, velut pretiosum & multiplicem thesaurum divinitus nobis ad custodiam commendatum. Quem sine intermissione Domino auxiliante debemus inspicere, extergere, polire atque excutere, ac diligentissimè servare, ne per incuriam & ignaviam nostram aut pulvere sordescat, aut* ærugine vel tineis demoliatur, *aut malignorum spirituum insidijs velut à nocturnis & occultis furibus* effodiatur ac diripiatur. *Quia &* Sesac Rex Ægypti, *per quem significatur* princeps huius mundi *armamentarium veri Salomonis spoliare* † queritur. *Et trecenta scuta Aurea exportans, id est, veræ & meræ fidei mysterium de corde negligentium diripiens*, pro aureis ærea *fabricari compellit, vt faciat nos, quod absit*, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

† Forte Recterem, vel Doctorem.

† Forte quærit, vel quæritur.

Pretiosum illum & multiplicem thesaurum apporto: nihil ambigens eo tibi, Amplissime Domine, Chariorem, quod AVGVSTINI discipulorum: eo pretiosiorem, quod de Christianâ hæreditate, ac Crucis pretio, litem definiat: genuinum, inquam, gratiæ Christianæ mysterium recludat. Nihil eo efficacius ad frangendam animi pervicaciam & contentionem (nisi quis iam

in-

ingenuitatem & pudorem proiecerit: omnemque veri amorem, præoccupatis sensibus posthabens, exuerit:) quòd continuâ serie succedentium sæculorum, de manu ad manum transeuntem doctrinam ac fidem Ecclesiæ, proponat.

Sive autem præclaræ familiæ Tuæ Baronum de Esden è Nobilissimâ Burgundionũ familiâ, priscam in Deum ac Principes suos fidem spectem: cuius adhuc apud nos *Arnhemij*, *Gravix*, *Ruremundæ*, gratus, nunquamque intermoriturus, Avi tui ALEXANDRI DE LAMMARGELLE præfecturæ spirat odor: qui quam debuit quamque deferebat Deo religionem, Regi pietatem; ad extremam vsque famem, & eorum animaliũ esum, ad quorum vel nomina ipsa nauseamus, invicto animo propugnavit; vivit verò vigetque etiamnùm sanguis ille vester, bellicaque virtus, cùm avitâ fide, in Excellentissimo Dño GODEFRIDO GELENIO (quo Duce suo supremo Cæsaris aquilæ gloriantur) filio ARNOLDI avunculi tui *VVachtendonchæ* Toparcæ, qui ad nonagesimum sextum vitæ suæ annum apud suos pietate, prudentiâ, dignitate, princeps fuit:

Sive in Academiam hanc oculos circumfero (cui nomen ac sapientiæ famam præcipuè conciliavit Patrum Ecclesiæ PATRIS AVGVSTINI vestri doctrinâ: cui addictissima semper fuit, & verò (propitio Deo) erit:) inter sexdecim privilegiorum

giorum, quos dicunt, quoſque hactenus habuit, Conſervatores, decem (& quidem tres ordine primos) grato ac memore animo è prædeceſſoribus Tuis recolit:

Sive in Symbolum illud tuum, *dilige*, quod è puriſſimis AVGVSTINI medullis deprompſiſti, aciem intendo: Amplitudini Tuæ avitæ Auguſtinianæ doctrinæ, ſeu veriùs fidei Eccleſiæ de Gratiâ Dei, theſaurum debui. Tu illum ac me *dilige*

ADMOD. REVEREN. AMPLISS.

AC

GENEROSISS. D. T.

HVMILLIMVM SERVVM

BERNARDINVM MASIVM.

INDEX

Præcipuorum locorum

S. SCRIPTVRÆ,

HOC TOMO EXPLICATORVM.

Numerus primus caput, ſecundus verſum, poſterior paginam deſignat

Geneſis.

1. 3. DIxit Deus: fiat lux: & facta eſt lux: &c. 542.

3. 22. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. 171.

4. 6. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris, recipies: ſin autem malè ſtatim in foribus peccatum aderit? &c. 84. 85.

4. 7. Subter te erit appetitus eius. 659.

9. 6. Ad imaginem Dei factus eſt homo. 660. 671.

15. 6. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. 452

26. 4 Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ 118. 168.

27. 33. Expavit Iſaac ſtupore vehementi & vltra quam credi poteſt admirans. 555.

Exodus.

4. 21. Ego indurabo cor eius, & non dimittet populum 388. 389.

9. 16 Idcircò autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam. 389.

12. 10. Si quid reſiduum fuerit, igne comburetis. 588.

Deuteronomium.

9. 5. Neque enim propter iuſtitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris vt poſſideas terram earum: ſed quia illæ egerunt impiè &c. 390.

28. 66. Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ. 589. 590.

1. Regum.

2. 4. Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore. 362.

Eſther.

10. 10. Duas ſortes eſſe præcepit, vnam populi Dei, & alteram cunctarum gentium 553.

10. 11. Venitque vtraque ſors in ſtatutum ex illo iam tempore diem coram Deo. 553.

Iob.

7. 1. Iuxtà 70. Centatio vita hominis ſuper terram. 6

7. 18. Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum. 689.

12. 9. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit. 96. 14. 4.

14.4 Iuxta 70. Nemo mundus à ſorde, nec infans cuius vnius diei vita ſuper terram 10. 261. 269. 296 325. 385. 438.

14 4. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es? 10. 261.

Pſalmi.

7.11. Iuſtum adiutorium meũ à Domino, qui ſalvos facit rectos corde. 341.

7.14. Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit. 353.

12.4. Illumina oculos meos. 689.

13.1. Non eſt qui faciat bonum non eſt vſque ad vnum. 558. 645.

13 5. Illic trepidaverunt timore vbi non erat timor. 360.

16.4. Ego cuſtodivi vias duras. 302.

18. 10. Timor Domini manens in ſæculum ſæculi. 3.

21.28. convertentur ad Dominum vniverſi fines terræ &c. 118.

22.4. Non timebo mala, quoniam tu mecum es. 185.

22.6. Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ. 340. 359. 475.

24.10. Vniverſæ viæ Domini miſericordia & veritas. 144. 145. 324. 367. 398.

26. Dominus illuminatio noſtra & ſalus noſtra. 442.

29.6. Ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius. 464.

Ibidem, ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. 343. 689.

31.6. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno. 269.

32.6. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. 543.

36.23. A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam eius volet. 64. 441. 472.

36.27. Declina à malo, & fac bonum. 54.

36.39. Salus autem iuſtorum à Domino & protector eorum in tempore tribulationis 835.

42.3. Emitte lucem tuam & veritatem tuam. 689.

49.17. Proiecisti ſermones meos retrorsùm. 305.

507. In iniquitatibus conceptus ſum. &c. 250. 261. 296. 235. 420. 438.

55.8. Pro nihilo ſalvos facies illos. 144. 145.

58 11. Deus meus, miſericordia eius præveniet me. 340. 353. 359. 442. 475.

59.14. In Deo faciemus virtutem 472.

67.29. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis 362. 474.

70.4. Quis me eripiet de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui. 656.

71.17. Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ &c. 118.

73.19. Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi. 625.

76.11. Et dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelſi. 459. 501.

80.11. Dilata os tuum & implebo illud. 354. 394.

84.7. Deus tu convertens vivificabis nos. 353.

85. Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient &c. 118. 463.

87.6. Inter mortuos liber. 625.

93. 10. Qui docet hominem ſcientiam. 347.

93. 20. Qui fingis laborem in præcepto. 302.

103.20. Poſuiſti tenebras & facta eſt nox. 689.

103.22. Ortus eſt ſol & congregati ſunt. 689.

115.3. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. 648.

Ibidem, calicem ſalutaris accipiam &c. 649.

120.4. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. 367.

125.1. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum. 354.

126.1. Niſi Dominus cuſtodierit civita-

tem

tem, frustra vigilat qui custodit eam. 366.

141. 2. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. 269. 296.

142. 10. Doce me facere voluntatem tuam, &c. 354.

144. 14. Allevat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos. 134.

145. 8. Dominus illuminat cæcos. 361.

Proverbia.

4. 18. Iustorum semita quasi lumen procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. 683.

4. 23. Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. 663.

8. 35. iuxtà 70. Præparatur voluntas à Domino. 162. 163. 164. 243. 241. 340. 366. 411. 441. 472. 473. 478. 499.

9. 10. Principium sapientiæ, timor Domini. 100.

20. 9. Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato. 270. 296.

29. 19. Verbis non emendabitur servus durus. 345.

Ecclesiastes.

1. 5. Oritur sol & occidit, & ad locum suum revertitur. 685.

1. 6. Lustrans vniversa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur. 665.

1. 7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. 667. 668. 730.

1. 7. Ad locum vndè exeunt flumina revertuntur vt iterum fluant. 667.

3. 14. Cognovi quod omnia opera quæ fecit Deus perseverant in perpetuum. 599.

1. 18. Eo quòd in multa sapientia, multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem. 669.

7. 21. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. 196.

7. 30. Fecit Deus hominem rectum, 269.

9. 1. Iusti & sapientes & operationes eorum in manu Dei. 12. 65.

9. 10. quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos. 637.

Cantica.

8. 6. Fortis est vt mors dilectio. 509.

Sapientiæ.

1. 13. Quoniam Deus mortem non fecit. 270.

1. 14. Sanabiles fecit nationes orbis terrarum. 449.

8. 1. Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. 639.

9. 14. Cogitationes enim mortalium timidæ & incertæ providentiæ nostræ. 360.

9. 15. Corpus quod corrumpitur aggravat animam &c. 644. 655.

9. 19. Per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi Domine. 631.

10. 21. Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas. 354.

12. 11. Semen erat maledictum ab initio. 261.

Ecclesiastici.

10. 15. Initium omnis peccati est superbia. 273. 431.

15. 17. appositit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. 358.

15. 18. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi. 358.

25. 15. Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei. 100.

Isaiæ.

1. 5. Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas &c. 658. 659. 660 669 690 718 730. 731.

1. 19. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: si autē nolueritis &c. 352.

19. 2. Concurrere faciam Ægyptios contra Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem suum &c. 674 675.

38. 4. Domine vim patior, respondē pro me. 655.

38. 15. Quid dicam aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim. 655.

41. 5. iuxtà 70. Qui fecit quæ futura sunt. 379.

55. 6. Quærite Dominum dum inveniri potest, & invocate eum dum prope est. 521.

65. 1. Inventus sum à non quærentibus me. 499.

65. 2. Expandi manus meas quotidie ad populum non credentem & contradicentem. 589. 591.

Ieremiæ.

2. 21. Quomodò conversa es in amaritudinem vitis aliena. 487.

10. 23. Scio Domine quia non est hominis via eius, nec virieſt vt ambulet, & dirigat gressus suos. 40. 302. 446. 511.

13. 16. Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat. 521.

31. 33. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam 41.

Threni.

5. 21. Converte nos Domine ad te & convertemur. 354.

Ezechiel.

3. 13. Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram. 511.

18. 32. Quia nolo mortem morientis. 470. 943.

36. 27. Faciam vt in præceptis meis ambuletis &c. 478.

37. 9. Vaticinante filio hominis ad ossa arida, ingressus est spiritus in ea & vixerunt 664.

Osee.

13. 14. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. 583.

Ioel.

2. 28. Effundam spiritum meum super omnem carnem. 461.

Matthæi.

1. 18. Christi autem generatio sic erat. 578.

5. 45. Qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. 81.

6. 10. Adveniat regnum tuum. 628.

7. 11. Si enim vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris. 691.

10. 5. In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorū ne introieritis. 747.

10. 20. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. 649.

10. 22. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. 463.

11. 26. Ita pater quoniam sic fuit placitum antete. 555.

11. 27. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. 555.

11. 27. Neque patrem quis novit nisi filius, & cui voluerit filius revelare. 347.

20 1 Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam &c. 794 696. 697.

20. 15. An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum. 714.

20. 28. Et dare animam suam redemptionem pro multis. 593 596.

22. 13. Ligatis manibus ac pedibus proiicite eum in tenebras exteriores. 637.

25. 15. Vni dedit quinque talenta, alii autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundùm propriam virtutem. 79.

28. 19. Euntes ergò docete omnes gentes. 73. 118.

28. 20. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. 73. 428.

Marcum.

16. 15. Euntes in mundum vniversum prædicate Evangelium omni creaturæ. 73.

Lucam.

11. 41. Date elemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis. 173.

12. 49. Ignem veni mittere in terram 40.

12. 57. Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est. 173.

14. 23. compelle intrare. 641.

15. 8. Si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam & everrit domũ. 638.

17. 5. Adauge nobis fidem. 341.

17. 10. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus &c. 301.

19. 10. Venit filius hominis quærere & salvum facere quod perierat. 109. 397. 448.

22. 32. Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua. 186.

Evangelium S. Ioannis.

1. 9 Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem. 111.

1. 14. Verbum caro factum est. 417. 422. 424. 426.

3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. 262.

3. 21. Vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta. 473.

3 27. Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de cœlo. 68. 187. 441. 479. 501.

3. 36. Ira Dei manet super eum. 261 477.

6. 44. nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me, attraxerit eum. 68. 101. 159 165. 500. 641.

651. caro mea est pro mundi vita. 435.

6. 54. Nisi manducaveritis &c, non habebitis vitam in vobis. 261. 262.

6 71. Ex vobis vnus diabolus est. 186.

8. 34. Qui facit peccatum servus est peccati. 443. 604. 615. 616 617. 655.

8. 36. Si ergò vos filius liberaverit, verè liberi eritis. 264. 409. 443. 500. 568. 625.

8 47. Propterea vos non auditis quia ex Deo non estis. 559.

9. 4 Venit nox quando nemo potest operari. 521.

10. 26. Non estis ex ovibus meis. 593.

11. 51 Quod Iesus moriturus erat pro gente; & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum. 120 184.

12. 32. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum 461. 583.

13. 27. Quod facis, fac citiùs 503.

15. 4. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic

sic nec vos nisi in me manseritis &c. 12.
15. 5. Sine me nihil potestis facere. 12. 244. 500. 505. 691. 872. 728.

Acta Apostolorum.

4. 27. Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri. 148. 551. 552.
10. 34. Quia non est personarum acceptor Deus. 446.
11. 18. Ergò & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. 440.
14. 16. Dimisit omnes gentes ingredi vias suas. 76.
14. 16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit. 76.
16. 6. Vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. 176.
16. 7. Tentabant ire in Bythiniam, & non permisit eos Spiritus Iesu. 176.
16. 14. Cuius Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur à Paulo. 354.
17. 29 Genus ergò cum simus Dei. 707.

Ad Romanos.

1. 17. Iustus autem ex fide vivit. 444.
1. 20. Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. 7.
1. 21. Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. 348. 453.
2. 11. Non enim est acceptio personarum apud Deum. 446.
2. 14. Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt &c. 172. 451. 452.
3. 5. Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram. 477. 491.
3. 20. Quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro. 173.
3. 23. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. 172. 337.
3. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius. 172.
4. 2. Si enim Abraham ex operibus iustificatus est &c. 452.
4. 3. Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam. 452.
4. 15. Lex enim iram operatur. 344. 439.
4. 25. Resurrexit propter iustificationem nostram. 415.
5. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. 181. 347. 357. 442.
5. 12. Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors. 321. 385. 499.
5. 12. Ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. 262. 321. 385. 408. 434. 499.
5. 14. Regnavit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. 438. 537.
5. 16. Iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. 328.
5. 18. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ &c. 262. 462. 584.
5. 20. Lex subintravit vt abundaret delictum. 440.
5. 20. Vbi abundavit delictum superabundavit gratia. 322.
6. 18. Liberati autem à peccato, servi facti estis iustitiæ. 264.
6. 20. Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. 264. 434. 443.
6. 23. Stipendium peccati mors. 435. 436. 474.

6. 23.

6. 23. Gratia autem Dei vita æterna. 383. 474. 710.

7. 15. Non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi illud facio. 656.

7. 17. Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. 657.

7. 18. Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. 617.

7. 18. Velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non invenio. 161. 396. 631.

7. 23. Captivantem me in lege peccati. 641.

7. 24. infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. 271. 345. 656.

Ibidem. gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. 345.

7. 25. Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. 272.

8. 3. Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati. 423. 436. 437.

8. 10. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum. 433.

8. 15. Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis. 515.

8. 18. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. 474. 710

8. 20. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt. 278.

Ibidem. Non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe. 279.

8. 21. Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. 279.

8. 22. Scimus enim quod omnis creatura imgemiſcit & parturit. 279.

8. 23. Primitias ſpiritus habentes. 645.

8. 23. Expectantes redemptionem corporis noſtri. 273.

8. 23 Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes. 280.

8. 30. Quos prædeſtinavit, hos vocavit: & quos vocavit hos & iuſtificavit &c. 380. 475. 725.

8. 37. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. 186.

9. 11. Cùm enim nondùm nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus &c. 323. 324. 349. 369. 389. 390. 546. 557.

9. 13. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. 311. 389. 546. 556.

9. 15. Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor. 393.

9. 16. Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. 301. 326. 443. 648. 708.

9. 17. In hoc ipſum excitavi te vt oſtendā in te virtutem meam &c. 389.

9. 18. Cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat. 314. 369. 370. 384. 386. 387. 512. 714.

9. 19. Dicis itaque mihi: quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis reſiſtit. 370. 384. 388.

9. 20. O homo tu quis es, vt reſpondeas Deo. 370. 388.

9. 21. An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam 314. 388. 400. 714.

9. 22. Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum &c. 491. 492.

9. 23. vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam. 315. 491.

10. 3. Ignorantes iuſtitiam Dei & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. 648.

11. 1. Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit. 47.

11. 6 Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia. 144. 264.

11. 7. Electio autem conſecuta eſt. 144. 145.

11. 32. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. 462.

11. 33. Incomprehenſibilia ſunt iudicia eius. 410.

11. 33. Inveſtigabiles viæ eius. 144. 145.

11. 35. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei. 369. 441. 458. 505.

12. 3. Vnicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. 341. 343.

12. 10. Honore invicem prævenientes 3.

12. 21. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. 14.

14. 5. Alius iudicat diem inter diem, & alius iudicat omnem diem. 683. 684.

14. 11. Omnis lingua confitebitur Deo. 286.

14. 23. Omne quod non est ex fide peccatum est. 343. 452. 506. 508.

Ad Corinthios 1.

1. 5. In omnibus divites facti estis; in omni verbo, & in omni scientia. 188.

129. Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. 4.

131. Qui gloriatur, in Domino glorietur. 147.

2. 12. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sint nobis. 7. 178. 310. 479.

3. 9. Dei enim sumus adiutores. 647.

3. 19. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum 180.

4. 7. Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 70. 144. 179. 181. 264. 300. 311. 347. 441. 446. 479. 499. 502. 648. 677. 711.

7. 14. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem &c. 282. 283 285.

Ibid. Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 284. 285.

7. 25 Tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. 264. 442. 502. 505.

12. 3. Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. 166.

12. 3. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. 166. 409. 500. 670.

12. 6. Idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus &c. 12. 66. 78. 103. 150. 344.

12. 9. Alteri fides in eodem spiritu. 444.

12. 10. Alij discretio spirituum. 356.

12. 11. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. 78. 79. 166. 344.

12. 13. Omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. 292.

13. 2. Et si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum. 454. 509.

13. 10. Cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. 628.

15. 10. Gratia autem Dei sum id quod sum. 264. 364 395. 442. 499.

Ibidem. Gratia eius in me vacua non fuit. 364. 395.

Ibidem. Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum. 264. 364. 395 526. 646. 710.

15. 35. Quomodò resurgunt mortui? qualive corpore venient. 287.

15. 36. Insipiens tu quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur. 287.

15. 38. Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus. 287. 288. 289.

15. 42. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione &c. 288.

15. 47. Secundus homo de cœlo 322.

15. 56. Stimulus autem mortis peccatum. 435. 436.

Ad Corinthios 2.

3. 4. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. 18. 67. 161. 310. 355. 440. 500. 526. 647. 708. 709.

3. 6. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. 530.

3. 17. Vbi autem spiritus Domini ibi libertas

libertas. 624. 656.

4. 6. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem claritatis Dei, in facie Chriſti Ieſu. 166. 444.

4. 16. Interior noſter homo renovatur de die in diem. 649.

4. 17. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 474.

5. 15. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus 90. 573.

5. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. 435.

6. 1. Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 268.

11. 2. Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. 192.

13. 3. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus. 649.

Ad Galatas.

2. 21. Si enim per legem iuſtitia, ergò gratis Chriſtus mortuus eſt. 146

4. 31. Quâ libertate Chriſtus nos liberavit. 264.

2. 16. Scientes autem quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti. 451.

3. 6. Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. 451.

3. 7. Cognoſcite ergò, quia qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ 452.

3. 22. Vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. 439.

3. 28 Omnes vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu. 292. 293.

4. 4. Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere. 418.

4. 19. Filioli mei, quos iterùm parturio donec formetur Chriſtus in vobis. 444.

4. 31. Quâ libertate nos Chriſtus liberavit. 656

5. 17. Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem. &c. 271. 279. 708.

6. 15. In Chriſto enim Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura. 279.

Ad Epheſios.

1. 3. Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem &c. 107. 485.

1. 4. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem vt eſſemus ſancti &c. 380. 381.

1. 5. Qui in charitate prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum. &c. 380 381.

1. 11. Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. 561.

1. 15 Propterea ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Chriſto Ieſu. 188.

2. 3. Eramus natura filij iræ. 261. 525.

2. 7. Vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes divitias gratiæ ſuę in bonitate ſuper nos. 474.

2. 8. Gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt. &c. 25. 64. 109. 123. 146. 249. 264. 312. 343. 414. 499. 502.

2. 9. Non ex operibus, vt ne quis glorietur. 312.

2. 10. Ipſius enim factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparavit &c. 312. 415. 473.

4. 7. Vnicuique autem noſtrùm data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. 67. 342.

4. 8. Dona dedit hominibus. 645.

4. 13. Donec occurramus omnes in virum perfectum. 292.

4. 23. Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem. 707.

5. 8. Eratis aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino 444.

5. 32. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. 269.

6.9. Et perſonarum acceptio non eſt apud eum. 446.

6.23. pax fratribus, & charitas cum fide à Deo patre & Domino Ieſu Chriſto. 181.

Ad Philippenſes.

1.6. Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. 68. 188. 499.

1.29. Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis &c. 146. 409. 499. 502. 595.

2.6. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. 277. 416.

2.7. Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens &c 416. 417. 423.

2.13. Deus eſt enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate. 68. 161. 264. 301. 314. 341. 352. 362. 365. 394. 445. 446. 473. 478. 499. 647. 650. 708. 709.

3.9. Inveniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt: ſed illam quæ ex fide eſt Ieſu Chriſti. 455. 480.

3.12. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim 479.

3.15. Quicumque ergo perfecti ſumus hoc ſentiamus. 479.

4.7. Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra &c. 366.

4.13. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. 365.

Ad Coloſenſes.

1.3. Gratias agentes Deo patri, qui dignes nos fecit in partem ſortis ſanctorum &c. 86. 89.

1.13. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ. 191. 542.

1.17. Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt. 463.

1.20. Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius. 463.

1.26. Myſterium quod abſconditum fuit à ſæculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis &c. 92

1.29. In quo & laboro, certando ſecundum operationem eius, quam operatur in me in virtute. 365.

1. Ad Theſſalonicenſes.

1.10. Qui eripuit nos ab ira ventura. 477.

5.10. Vt ſive vigilemus ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus. 587.

2. Ad Theſſalonicenſes.

2.16. Exhortetur corda veſtra & confervet in omni opere & ſermone bono. 310.

3.2. Non enim omnium eſt fides. 341. 345.

1. Ad Thimotheum.

1.14. Supperabundavit autem gratia Domini noſtri, cum fide & dilectione &c. 442.

2.1. Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus 49.

2.4 Qui omnes homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. 28. 42. 94 97. 99. 118. 126. 316. 457. 460. 461. 462. 575.

2.6. Qui redemptionem ſemetipſum pro omnibus 584.

4.10. Qui eſt ſalvator omnium hominum, maximè fidelium. 105.

6.16. Qui ſolus habet immortalitatem. 653.

Ad

2. *Ad Timotheum.*

1. 9. Qui nos liberavit, & vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam &c. 13. 26. 547.

1. 10. Qui destruxit quidem mortem, 425.

4. 8. Reposita est mihi corona iustitiæ. 650. 710.

Ad Titum.

3. 5. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. 13. 26. 89.

Ad Hebræos.

2. 15. Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant servituti. 360.

11. 6. Sine fide impossibile est placere Deo. 343. 456.

12. 2. Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum. 146. 342. 445. 505.

13. 4. Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus. 325.

13. 21. Aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se. 353. 473. 479.

Iacobi.

1. 14. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. 641.

1. 16. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. 67. 150. 187. 347. 367. 446. 479. 502.

1. 18. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. 279.

1. *Petri.*

1. 3. Qui secundùm misericordiam suã magnam regeneravit nos in spem vivam. 371.

4. 6. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 481.

4. 8. Charitas operit multitudinem peccatorum. 273.

2. *Petri.*

1. 2. Quomodò omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt &c. 179.

Epistola prima B. Ioannis.

Cap. 1. 1. Et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ. 406.

1. 8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est &c. 19 270. 272. 281.

2. 16. Quæ non est ex patre, sed ex mundo est. 484.

3. 9. Qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet &c. 19. 281. 637.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

4. 3. Omnis spiritus qui solvit Iesum ex Deo non est. 426.

4. 7. Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est. 181. 357.

4. 10. Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. 13. 26. 281.

4. 18. Perfecta charitas foras pellit timorem. 3. 515.

4. 19. Nos ergò diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. 26.

Iuda.

V. 4. Subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium 725.

FINIS.

D. PROSPERI AQVITANICI RHEGIENSIS EPISCOPI AD SACRAM VIRGINEM DEMETRIADEM: EPISTOLA:

Olim quidem Ambrosio attributa, sed in Louanienſi editione operum Proſperi Anni 1566. ſuo authori Proſpero reſtituta, ob rationes in præloquio ad lectorem congeſtas. Cæterùm an Proſper Aquitanicus fuerit Epiſcopus, præſertim quando hanc ſcripſit Epiſtolam, non immeritò inter eruditos ambigitur. Aubertus Miræus partim in ſcholijs ſuper cap. 84. Gennadij de ſcriptoribus Eccleſiaſticis partim in ſuo Auctuario cap. 99. negat eum vnquam fuiſſe Epiſcopum; & rationibus non contemnendis idipſum confirmat, quæ videri apud ipſum poſſunt, vti & apud eos quos citat.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

Magnis præconijs veram humilitatem exaltat, aduerſantemque illi ſuperbiam digna vituperatione confundit; ac per hoc, virginem ad elationem cauendam, & præſidio ſinceræ humilitatis ſe armandã perſuadet.

PROSPER Epiſcopus ſacræ virgini Demetriadi. Cum ſplendidiſſimæ ſanctimoniæ tuæ ſublime propoſitum ſuper humilitatis fundamenta conſiſtere, piè & ſapienter intelligis: in hoc vſque ô ſacra virgo Demetrias, dignationem tuæ dignitatis inclinas, vt prouectiones tuas etiam meo Cap. 1.

ſtilo exigas adiuuari. Quod ego, ad tenuitatem facultatis meæ reſpiciens, omnibus modis recuſarem: neque tam maturo & erudito animo cohortatiunculas meas adhibere præſumerem, niſi fiduciam efficiendi id quod iubetur, à iubente conciperem: & tuis meritis atque orationibus confiderem eſſe præſtandum, vt *oriatur in deſerto aqua*: & *fiant in ſiccâ terrâ flumina*. Vndè collaborandum tibi mecum eſt, vt qui *ſapientiam præſtat parvulis, & linguæ mutorum facit diſertas*: iubeat de cordis mei ariditate profluere, quod ſitis tua dignè poſſit haurire. Quæ ergò materia ſtylo dabitur: & vndè loquendi tecum cauſa ſumetur? Si laudes tuas ſcribere aggrediar, & maiorum ſeriem, quæ per te multum illuſtratur, euoluam: oneroſum me forte & impudentem videri poſſe arbitror, qui vel humanæ tibi gloriæ tentationem adulando ingeram, vel tuis ac tuorum prædicationibus ingenium meum par eſſe præſumam. Si vero de commendando virginitatis bono diſſeram, ſuperflua erit eius nunc propoſiti inſinuatio, quod tu à primo ætatis tuæ flore ſine humanis cohortationibus elegiſti: & de quo inter ipſa principia multi, qui tunc in Eccleſia præeminebant meritò non ſiluerunt. Valdè enim mirabile erat, & inter præcipua diuinæ gratiæ exempla numerandum: quod virgo Anicia ſuper omnes faſtigium trahens beatæ nobilitatis euecta, de cuius fœcunditate auis atque atauis reſponſura poſteritas & familiæ votis expectabatur & patriæ, conuerſo repentè animo, deſiderio cæleſtium nuptiarũ declinaſti mortale coniugium, & vt omnem proſapiam tuam etiam huius virtutis titulo conſecrares, primam ſtirpis tuæ perpetuam virginem filio virginis ſpopondiſti. Illam ergò ætatem tuam & illa principia, rationabiliter doctiſſimi viri ſuis adhortationibus incitarunt: Et licet plantationi ſuæ ſummus agricola validà ad præfectum tuum incrementa præberet, cooperatores tamen gratiæ dei opportunè piam adhibuere culturam, vt germen tenerum fortitudinis robur acciperet, & dignos generoſitate ſua fructus propoſiti tui arbor afferret. Noſtris autẽ paginis quid erit loci? Et poſt ornatiſſima ſcripta excellentium magiſtrorum, quid vtilitatis in eo, quem indicere dignata es, ſermone reperies: niſi forte, quia & illorum in doctrinis & tuis ſtudijs ad ſublimiores gradus virtutum conſuetudo proficit, cauendam te elationis admoneam, & humilitatis tibi ſinceritatem fidâ ſignificatione commendem; vt in omnibus

Pſal. 106. 33.

Pſal. 104. 41.

Iſa. 43. 19.

Sap. 10. 21.

Vide Aug. epiſt. 143. & 179. & Hieron. epiſt. 8. & Ianoc. Papam 1. epiſt. 14. tomo 1. Concil. vide etiã epiſt. Pelagij hæreſiarchæ ad hanc ipſam virginem, ad calcem boni primi horum opuſculorum: cui hanc proſper oppoſuiſſe videtur pro antidoto.

bus actionibus in quibus tibi es benè conscia, nunquam audeas esse secura?

De hoc igitur congruentissimo tibi & salubrrimo bono, quod dominus donauerit differamus: vt inspectioni nostræ non tantum visibilia eius, sed etiam occulta referantur. Est enim multiplex virtutis istius qualitas, & licet in exterioribus quoque pulchra sit, in intimis tamen suis multò est speciosior multoq; luculentior; vbi nihil obscurum, nihil turbidum, nihil est inquietum: quia *pax multa diligentibus legem Dei, & non est illis scandalum.* Accessuri autem ad beatę humilitatis intuitum omnem illam * abiectionem, quæ ignauos & inconstantes animos deprimit, repellamus: Nec generale nomen ita nos à iudicio discretionis excludat, vt omnes quoquomodo humiles putemus esse laudabiles. Imitatur quidem plerumque necessitas voluntatem, & ab imagine modestiæ parum differt forma segniciæ. Sed aliud est quod grauat, aliud quod exercet; nec in eundem finem venit labor indeclinabilis miseriæ, & expetitæ fortitudo patientiæ. Vnum est paupertatis vocabulum, sed non vna mens pauperum: quia non idem est gaudere benè expensis diuitijs, quod aut gemere de non acquisitis, aut dolere de perditis. Timoris etiam quo Deus metuitur, nulla est in appellatione distinctio: sed aliud est timere quia peccaueris, aliud timere ne pecces: & ibi est formido de supplicio, hic sollicitudo de præmio. Ob hoc enim de illo seruili metu dicitur, quia *perfecta charitas foras mittit timorem:* De hoc verò liberali, *Timor domini manens in seculum seculi.* Remota itaque illa specie humilitatis quæ tota sine fructu est, voluntarios tantum pendamus affectus; qui etiamsi in gradibus meritorum inueniuntur impares, non sunt tamen ab ipsa virtute discordes.

Psal. 118 165. — Cap. 2. — * Obiectionem. — 1. Ioan. 4 18. — Psal. 18. 10.

Prima ergò humilitatis ratio in communis vitæ versatur officijs; quibus & diuina clementia conciliatur, & societas humana connectitur. Multum enim ad roborandum dilectionem valet; cum secundum doctrinam Apostolicam, *inuicem se homines honore præueniunt*, & alteri alterum superiorem existimantes, amant seruire subiecti, & nesciunt tumere prælati: cum & pauper diuitem non sibi dubitat anteferre, & diues pauperem sibi gaudet æquare: cum & sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ. Cum denique non plus tribuitur mag-

Cap. 3. — Rom. 12. 10.

nis opibus, quàm bonis moribus; nec maior ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum inhonora iustitia. Ab hoc æquo & modesto iure concordiæ, in quo nullum de gradu superiore certamen, nec fœlicitas aut inflat propria, aut urit aliena, pulchrè & mirabiliter à plerisque proficitur ad illam humilitatis fortitudinem, quæ & se extra omnem constituit dignitatem, & mauult apta esse iniurijs accipiendis, quàm idonea repellendis, vt impleatur quod ait dominus: *Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*: *Et quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo*: Illud quod Apostolus docet dicens: *Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Tales enim multum ad imitationem ipsius domini nostri & Saluatoris accedunt: qui *cum dines esset, pauper factus est*: &, *cum malediceretur, non maledicebat: & percutienti se non comminabatur*: & quoniam dixerat, *diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui vos oderunt*: vt huiusmodi beneuolentiam confirmaret exemplo, ipse pro ijs à quibus crucifigebatur, orabat. Matt. 5. 40. 1. Cor. 6. 7. 2. Cor. 8. 9. 1. Pet. 2. 23. Mat. 5. 44.

Cap. 4. Qui ergò fideliter & scienter intelligunt quo opere saluati, & quo pretio sint redempti: nolunt de mundi huius sapientibus, nolunt esse de fortibus: quoniam sicut ait Apostolus, *quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret*: vt non *glorietur omnis caro in conspectu eius*: id est, vt nemo se placere deo per mundi sapientiam putet, quæ tota carnalis est, & à vera sapientia cum omni sua vanitate destruitur. *Dominus* enim *nouit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt*. Cum itaque discipuli veritatis humanam gloriam fugiunt, & à temporalium amore desciscunt, vt quæ dei sunt sapiant, non quæ hominum, proficiunt sensibus, non deficiunt: neque vigorem cordis omittunt, sed excellentissimæ intelligentiæ lumen accipiunt; viuentes quidem in hoc mundo, sed omnes mundi strepitus relinquentes, vt *redimant tempus, quia dies mali sunt*. Quo autem precio quies huius temporis aptius comparatur, quam vt ipsi mundo omnes diuitiæ, omnes dignitates & vniuersarum cupiditatum materiæ refundantur, & sancto beatoque commercio ematur Christiana libertas, fiantque filij dei de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate sublimes? Non enim, vt dilectores 1. Cor. 1. 27. Psal. 93. 11. Ephes. 5. 16.

huius

huius seculi putant, praui cordis aut segnis est animi terrenas opes spernere, honores occiduos fastidire, nec ibi gloriam quærere, vbi *laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur.* Vndè si verè intelligatur, contemptus iste rerum præsentium ad quæ tendat, & qualia concupiscat; nihil huiusmodi mentibus rectius, nihil inuenietur electius, quæ sacratissimis desiderijs vniuersa transcendunt, neque ad vllam creaturam quamuis potentem atque mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilium & inuisibilium ambiunt creatorem, cui appropinquare claresceere est, quem timere gaudere est, cui seruire regnare est.

Psal. 9. 24.

Sed hæc virtus, quæ temporalis copiæ & patientiæ negligens, ad vitam æternam angusta & ardua † mittitur, non debet voluntarios pauperes in consortium Christianæ humilitatis admittere: eos autem à societate boni huius excludere, qui ampla prædia, magnifica patrimonia, & multas in hoc seculo possident facultates: cum in populo dei multi semper qui diuitijs benè vterentur extiterint, nec vllo modo vel dici vel cogitari liceat, quod Abraham, & Isaac, & Iacob, *quorum se esse Deum* dominus protestatus est, ideò verâ humilicate caruerint, quia pauperes non fuerunt. Aut quod vir sacratissimus Melchisedech, *domini & Saluatoris nostri præferens formam*, non fuerit perfectè humilis, quia & sacerdotio eminebat & regno. Vel quod beato Iob de quo deus pronunciat, dicens: *Nunquid consideraſti seruum meum Iob quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus & timens Deum & recedens à malo?* ideo virtus ista defuerit quia *erant* (sicut scriptum est) *in possessione eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingenta asinæ ac familia multa nimis: Eratque vir ille magnus inter omnes orientales:* quasi tunc istius gratiæ perticeps factus est, quando omnibus facultatibus perditis, vniuersa quoque familia filijsque priuatus, & *percussus vulnere pessimo à planta pedis vsque ad verticem capitis, testa sanies radebat, sedens in stercore*; ad imaginem elationis postmodum reuocatus est, quando corporis incolumitate renouata, *septem* rursus *filiorum triumque filiarum factus est pater, & duplo in vniuersam substantiam est ditatus augmento.* Absit autem ab animis fidelium tam irreligiosa persuasio, vt cuiquam sanctorum quibus deus & diuitias est largitus & honores, ad capiendum veræ humilitatis meritum credatur &

Cap. 5. † *Eniciatur. Vide Aug. epist. 89. q. 3. alias 4.*

Exod 3. 6.

Hebr. 7. 3.

Iob 2. 3.

Iob 1. 3.

Iob 2. 7.

Iob. 42. 13.

Iob 42. 10.

opulentia offuiſſe, vel dignitas; cum eis ad huius virtutis profectum vtraque profuerint. Quamuis enim tota *vita hominis tentatio ſit ſuper terram*; & tam abundantia, quam inopia, materia ſoleant eſſe peccati, cum vel diues extollitur ad ſuperbiam, vel pauper proſilit ad querelam: extiterunt tamen in omni tempore, & in noſtrâ quoque ætate non deſunt, ſicut & boni pauperes, ita & boni diuites. Nec fruſtra Beatus Apoſtolus Paulus Timotheum admonet, dicens: *Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſuperbè ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum, benè agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum: vt apprehendant veram vitam.* Quod vtique fieri in vniuerſâ Eccleſiâ, quæ per totum mundum eſt diffuſa, non dubium eſt; & pauperes Chriſti non eorum tantum facultatibus ſuſtineri, qui vt expeditiores dominum ſequerentur, ſimul ſe omnibus ſuis opibus exuerunt: ſed eidem operi etiam illorum ſubſtantias deſeruire, qui poſſeſſionibus ſuis non aliter, quam rebus pauperum præſunt: vt Eccleſiaſticæ vtilitati ſub quadam procuratione famulentur, elaborantes ſinguli pro ſuarum virium portione, vt ad victum atque veſtitum familiæ dei neceſſaria conferantur, & ſimul proſpicientes vt in domibus ipſorum ſub iuſto ſanctoque moderamine omnes & benignitas foueat, & diſciplina contineat: dicente Apoſtolo, *ſi quis autem ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit: & eſt infideli deterior.*

Iob 7. 1. iuxta 70.

1. Tim. 6. 17.

1. Tim. 5. 8.

Cap. 6. Cum itaque Eccleſia Dei, quæ eſt corpus Chriſti, ita ſit multimodâ varietate contexta, vt in vnum decorem etiam quæ non ſunt paria, concurrant: & de omni genere hominum, & de omni gradu officiorum, de omni menſurâ operum, de omni qualitate virtutum fiat totius ædificationis inſeparabilis connexio, & indifferẽs pulchritudo; nec deſit ſoliditati, quod non defuerit portioni: tantaque ibi pax, tantaque concordia, vt non poſſit eſſe niſi omnium, quod eſt etiam ſingulorum; indubitanter apparet, copulatricem quandam eſſe virtutem, quâ ſibi confœderatur & concinit multiplex ſanctorum vnitas, & ſpecioſa diuerſitas. Hæc autem virtus vera humilitas eſt; quæ inter quoſlibet meritorum gradus nunquam ſui poteſt eſſe diſſimilis. Nam & in officiorum viciſſitudine, & in manſuetudinis lenitate, & in volũtariæ paupertatis electione, inuenitur,

inuenitur multa distantia, & alter altero in propositi sui deuotione aut maior aut minor est: In verâ autem humilitate nihil diuisum, nihilque non solidum est: & ideò, omnes participes suos vnum facit, quia inæqualitatem ipsa non recipit.

Cap. 7.

Huius igitur boni proprietas in confessione est gratiæ dei, quæ tota repellitur, nisi tota suscipitur. Sicut enim alienus est à numero fidelium & à sorte sanctorum, qui in aliquo à catholica veritate dissentit: ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de eius plenitudine diffitetur; quasi homo auxilio dei in quâdam actionum suarum parte egeat, in quâdam autem parte non egeat, sitque vllum tempus, vllumue momentum, quo pernicioſum illi esse non possit, si ab eo Spiritus sanctus defuerit: qui vtique secundum veræ deitatis essentiam, vbique totus est, & omnia comprehendit, sed ab illis modo quodam intelligitur recedere, quos destiterit gubernare. Cessatio quippe auxilij eius pro absentiâ accipitur, quam sibi insanissimè vtilem putat, qui in ijs quę rectè gesserit, se magis quam deum gaudet operatum. Plenè ergò & veraciter confitenda est gratia dei, de cuius hoc primum munere est, vt auxilium ipsius sentiatur. Propter quod dicit Apostolus: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sint nobis.* Vndè si quis est qui aliqua se habere existimat bona, quorum non deus largitor sit, sed ipse sibi auctor existat; manifestum est, hunc non dei spiritum habere, sed mundi, & de illâ secularis sapientiæ tumere doctrinâ, de quâ dicit dominus: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius seculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* secundum quam (sicut ait Apostolus) quidam *cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Videsne qualis superbis retributio debeatur, & quali mercede repleantur, qui si quo modo ad cognitionem veritatis accesserint, suæ hoc sapientiæ tribuunt, & de naturali ingenio gloriantur; tanquam deum non dei munere, sed proprij intellectus facultate cognouerint? Omnia quidem elementa mundi, & vniuersæ creaturarum naturæ, hoc ipsâ sui exigunt specie, vt *inuisibilia Dei per ea quæ facta*

1. Cor. 2. 12.

1. Cor. 1. 19.

Rom. 1. 22.

Rom. 1. 20.

facta sunt intellecta conspiciantur : & in pulchritudine cœli & terræ quædam sunt paginæ, ad omnium oculos semper patentes, & auctorem suum nunquam tacentes : quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum, & eloquia scripturarum : sed quicquid illud est quo corporeorum sensuum exteriora pulsantur, in agro cordis cui impenditur ista cultura nec radicem potest figere, nec germen emittere; nisi ille summus & verus agricola potentiam sui operis adhibuerit, & ad vitalem profectum ea quæ sunt plantata, perduxerit. Siue enim contemplatio creaturarum, siue sacrorum series voluminum, siue scientia differentium, sincero & assiduo testimonio prædicet veritatem, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

1. Cor. 3. 7.

Cap. 8. Inter omnes igitur lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est grauior quàm superborum ruina; maximè cum ipsa elatio in deo tendit iniuriam. Nam aliter inflantur, qui cupiditate extollentiæ singularis omnibus appetunt anteferri, aliter verò intumescunt, qui dei auxilium refutantes, quæ fieri sine ipsius opere non possunt, ex sua perfici virtute contendunt, & spem suam à domino auferunt, atque ad se transferunt : vt adimpleatur in eis quod scriptum

Hier. 17. est : *Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachij sui, & à domino discedit cor eius.* Hæc superbia à diabolo sumpsit exordium : qui quoniam sua quam à creatore acceperat, potentia & dignitate sibi placuit, seque auctoris sui gloriæ comparauit, cum ijs angelis quos in consensum impietatis suæ traxerat, à cœlesti sublimitate deiectus est : Et iccò primis hominibus nocere potuit, quia illis malè credulis per mendacia venenata persuasit, vt meliores se futuros putarent, si in libertate sui arbitrij prosilirent, quàm si in legis datæ custodia permanerent.

Vide c. 43 de ingrat.

Cap. 9. Siue itaque in lapsu diaboli, siue in præuaricatione hominis, initium peccati superbia est : quæ congruenter & auaritia nominatur, quia vtraque appellatio eum significat appetitum, qui & suam mensuram concupiscat excedere, & non dignetur diues esse nisi proprijs : tanquam habeat hoc simile deo, vt bonorum suorum ipse sibi fons, ipse sibi sit copia. Hęc autem elatio de peruerso vsu donorum dei nascitur. Nam si conditor naturarum nulla pulchra, nulla sublimia naturis rationabilibus contulisset : vndè se extollerent non haberent.

Non

Non enim de ijs quæ non accepit superbit, nec inflari quisquam de eo potest, quod à participatione eius alienum est. Nunquam gloriatur de sobrietate temulentus, neque de beneuolentiâ inuidus: aut de lenitate sæuus, vel de castitate extollitur impudicus. Ipsa se à virtutibus vitia secernunt; & cùm in peccatis agitur, non insita per naturam, sed ex malâ voluntate concepta & propria diliguntur: quia sicut scriptum est, *Mendax de proprio loquitur*: Cum autem in bonis & rectis actibus laudabilis vita ducitur, dei est quod geritur, dei est quod amatur. *Omne* enim *datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Vndè quia inter vitia aut nulla est, aut rara iactantia, & facilè spernitur qui de opprobrio gloriatur, malum superbiæ maximè virtutibus est cauendum; quia nullis opportunius insidiatur, quàm quibus laus iusta debetur.

Ioan. 8. 44.

Iac. 1. 17.

Cùm ergò per ineffabilem misericordiam dei captiuis libertas, perditis salus, mortuis vita reparatur: cm in sacramento crucis & resurrectionis Christi, ad nouitatem redit vetustas, & ad innocentiam regeneratur impietas; antiquus hostis maligniùs fremit, & acriùs inardescit: & cum innumeris nocendi artibus humanum genus nitatur euertere, serens discordias, incitans iras, acuens cupiditates, suadens turpia, falsa commentans, & errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans, plus vritur de virtute stantium, quàm lætetur de fragilitate labentium. Multi enim seruientes deo, & in lege eius die ac nocte meditantes, crucifixerunt carnem suam cum desiderijs & concupiscentijs, omniumque illecebrarum incentiua domuerunt; non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus deprauati, mundum istum nec dilexére obsequentẽ, nec timuére terrentem. Tantam itaque firmitatem, & tam sublime propositum quâ impugnatione diabolus posset adoriri, nisi vt quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem, vt indè nouissima instrueretur tentatio, vndè nocuit prima deceptio? Non itaque desidiosis & tepidis, neque inertibus & incultis, sed magis quibusdam animis sedulis, & bonorum actuum probitate luculentis, per gloriam irrepsit humanam: & quos impulsione non mouit, elatione deiecit. Quantò enim clariores erant meritis, tantò eos aptiores suis inuenit insidijs. In paradiso namque Ecclesiæ constitutos, &

Cap. 10.

Pelagius.

virtutum delitijs abundantes, ad confidentiam liberi incitauit arbitrij: vt profectus suos in se constituerent, & ad arborem propriæ voluntatis manum præsumptionis extenderent. Innumerabilium Restiterunt quidem huic impietati recta innumerabilia corda sanctorum, & non solùm docti quique Pontifices, verum etiam vniuersales Ecclesiæ plebes, Apostolicæ sedis exemplo, insaniam noui dogmatis horruerunt. Sed inuenerunt quoſdã viperina consilia, quibus doctrinæ suæ virus infunderent, & quorum linguam per dolos falsæ rationis armarent. Hinc illa erat naturę humanę fraudulenta laudatio, & illęsę per omnes homines originalis defensio dignitatis: hinc Adæ peccatum exemplo posteris asserebatur nocuisse, non transitu: & quàm illi possibile fuerat non violare mandatum, tam liberum esse vnicuique declinare delictum: hinc euacuatio baptismatis paruulorum, qui solâ adoptione donari, nullo tamen reatu dicerentur absolui: hinc postremò diuinæ gratiæ stimulata & Semipelagiani. insincera confessio, quæ secundùm merita daretur, non ex quâ merita nascerentur. quam partem superbæ prędicationis quidam sibi, cùm cætera abnuerent, seruauerunt. Sed hoc eos aut nimis imperitè, aut valdè nequiter fecisse non dubium est: vt omnium hominum generalem ruinam, meritorum priuilegio subleuarent: & cùm inter nostros originalis peccati vulnera faterentur, inter suos tamen hoc tenere ostenderent, quod primorum hominum prævaricatio solis imitatoribus offuisset: Naturalem autem facultatem, nihil sui in alieno amisisse peccato, cui & possibile esset & liberum per voluntariam deuotionem promereri gratię largitatem.

Cap. II. Verum istam damnati dogmatis portionem catholicæ mentes facilè intelligunt, & meritò detestantur. Dicente enim domino Iesu: *Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: non enim veni vocare iustos, sed peccatores*, conuincuntur isti in superbia etiam sine voce clamare; sani sumus, opus medico non habemus: quæ nobis expectanda sunt præsidia de ope gratiæ, quibus suppetunt vires de incolumitate naturæ? non autem frustra Ioannes protestatur & dicit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Nec frustra scriptum est, *nemo mundus à sorde, nec infans cuius vnius diei vita est super terram:* Et, *quis poterit facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Propter quod sicut nunc in Ecclesiâ manet constitutio Saluatoris dicentis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto,*

Luc. 5. 31

Ioan. 1. 29.

Iob 14. 4. iuxta 70.

Iob 14. 4.

Ioan. 3. 5

ſancto, non intrabit in regnum cœlorum: Ita ſacratiſſimè erat in
Gen. 17. 14. lege præcautum, vt *natus puer, niſi die circumcideretur octauo, exterminaretur anima eius de populo ſuo*; nullum in hæreditate Iſrael habitura conſortium. Quæ omnia, & multò plura documenta, non tantâ curâ ſacris paginis Spiritus ſanctus inſeruiſſet, ſi talis eſſet natura in filijs Adam, qualis in ipſo eſt
1. Ioan. 3. 8. principaliter inſtituta. Sed quia *filius dei venit vt ſolueret opera diaboli, & vt quæreret ac ſaluaret quod perierat*: manifeſtum eſt
Rom. 19. 10. omnes in Adam damnationi obnoxios eſſe naſcendo, niſi in Chriſto liberati fuerint renaſcendo. Vndè vigilanter nobis conſiderandum eſt, in ipſo regenerationis munere quid geratur. Quamuis enim ad vnum cõeurrant, omnes eiuſdem myſterij portiones, aliud tamen eſt quod viſibiliter agitur, aliud quod inuiſibiliter celebratur: nec idem eſt in ſacramento forma quod virtus, cum forma cum humani miniſterij adhibeatur obſequio, virtus autem per diuini operis præſtetur effectum: ad cuius vtique potentiam referendum eſt, quod dum homo exterior abluitur, mutatur interior: & fit noua creatura de veteri, vaſa iræ in vaſa miſericordiæ transferuntur, & in corpus Chriſti cõuertitur caro peccati: de impijs iuſti, de captiuis liberi, de filijs hominum fiunt filij dei, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis; ſed ex deo nati ſunt*. Quod quia indubitanter accepimus, veriſſimum eſt
Ioan. 1. 13.
Rom. 8. 14. quod Apoſtolus docet, dicens: *Quicunque enim ſpiritu dei aguntur, ij filij ſunt dei*. Vndè videant, cuius ſe haberi filios velint, qui definierint, omnes homines voluntate propria regi, cum
Rom. 8. 9 idem Apoſtolus proteſtetur & dicat: *Qui ſpiritum Chriſti nõ habet, hic non eſt eius*.

Refutatâ igitur ſuperborum impiâ vanitate, quibus in peccatum etiam illa quæ in eis videntur laudanda vertuntur, nos illam humilitatẽ, cui virtus & gloria † dei eſt, eligamus: ſcientes prophetã Dauid ceciniſſe de ſanctis: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in tuâ*
Pſal. 88. 17. *iuſtitiâ exaltabuntur; quoniam gloria virtutis eorum tu es*? Qui & alibi pijſſimè confitetur dominum in ſanctis ſuis eſſe laudandum dicens; *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit*
Pſal. 67. 36. *virtutem & fortitudinem plebi ſuæ*. Hinc etiam Hieremias cõcordat, & dicit; *Hæc dicit dominus, nõ glorietur ſapiẽs in ſapientiâ ſuâ,*
Ier. 9. 23 *& non glorietur fortis in fortitudine ſuâ, & non glorietur dives in diuitijs ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere & ſcire*

Cap. 12. † Deut.

quia ego sum dominus. Ipse verò intellectus & scientia vndè habeantur, pandūt prouerbia Salomonis, & dicūt, *quoniam dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus.* Vnde in Ecclesiaste libro ipsius legimus, quod & corda & opera iustorum in manu dei sint: & tantū in studijs suis proficiant, quantum eos ille prouexerit: *Quantumcunque*, inquit, *laborauerit homo vt quærat non inueniet. Et quodcunque dixerit sapiens vt sciat, non potest inuenire, quia vniuersum hoc vidit cor meum, quæ iusti & sapientes & operationes eorum in manu dei.* Tale est quod Apostolus prædicat, dicens, omne verbum bonum & omne opus sanctum est Spiritus Sancti, sine quo nihil recte agatur. *Ideò* inquit, *notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu: Et nemo potest dicere, dominus Iesus; nisi in Spiritu sancto. Diuisiones verò sunt gratiarum, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem dominus, & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum; alteri fides in eodem spiritu: alteri operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Prou. 2. Eccl. 8. 17. Eccles. 9. 1. 1. Cor. 12. 3.

Cap. 13. Sunt & alia innumerabilia testimonia, quæ ex paginis & noui & veteris testamenti, quadam condemnatione confirment, hanc esse veræ humilitatis excellentissimam dignitatē, vt omnia quæ hominem faciunt Christianum, ad diuinæ gratiæ donum referantur. Sed tantam multitudinem sententiarum in vnum congerere, immodicum fuit; præsertim cum mihi sermo esset ad sanctimoniam tuam, cui ex formulâ eorum quæ commemorauimus, omnia se aut recordanti offerent, aut legenti; licet quædam, etiam breuissima, tantæ sint plenitudinis, tantæque virtutis, vt nullo aduersantis ingenio possint in sensum alium detorqueri. Nam quæ contradictio admitti potest in eo quod ipsa veritas discipulis suis per Euangelium Ioannis dixisse narratur. *Sicut palmes*, inquit, *non potest facere fructum nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum: quia sine me nihil potestis facere.* Nonnè conuincitur palmes elatus quòd omni fertilitate vacuatur, si vitis vbertate non alitur? Quis enim sine auxilio gratiæ fructum potest Ioan. 15. 4.

afferre

afferre iustitiæ? aut quis audet dicere se à Christo non diuidi? qui Christum in se diffitetur operari? An fortè verendum est, ne liberum tollere videamur arbitrium, cùm omnia per quæ propitiatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens veritatis ostenditur. Operante enim spiritu dei iuuatur arbitrium, nõ aufertur: & hoc agit gratia, vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita; non remaneat in languoribus suis, sed per opem miserentis medici curata reualescat, & gaudeat se non interrogantem edoctam, & non quærentẽ esse quæsitam. Quia impletur quotidiè quod Esaias propheta prædixit, *quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.* Esa. 52. 15.

Quomodò autem hoc fiat, Ioannes Apostolus docet, dicens. *Scimus quia ex deo sumus; & mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam filius dei venit & dedit nobis sensum: vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius.* 1. Ioan. 5 19.

Quod vtique nunc eâdem potentiâ dominus indesinenter operatur, qui ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Mat. 28. 20.

Vt ergò misericordiam dei quæramus, dei misericordia est, qui ait: *Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero,* vndè mirè per Hieremiam idem dominus manifestat, quod dei gratiam nemo præueniat merito suo, sed propter dilectionem qua Deus diligit, etiam auersos ad misericordiam trahi. *Dilectione,* inquit, *æterna dilexi te; propterea traxi te ad miserationem; quia ædificabo te, & ædificaberis virgo Israel.* Cui sententiæ Ioannes quoque Apostolus congruit, dicens: *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.* Et infrà: *Nos ergo diligamus, quoniam Deus prior dilexit nos.* Paulus quoque Apostolus in eadem est sententia, dicens in Epist. ad Timoth. 2. *Collabora Euangelio secundum virtutem Dei qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta: non secundũ opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis ante tempora æterna.* Ad Titum etiam scribẽs docet, nullo bono hominis merito, dei gratiam præueniri: *Eramus* inquit *& nos insipientes aliquando, increduli, errantes, seruientes desiderijs & voluptatibus varijs in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri: non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis Spiritus sancti:* Rom. 9. 15. Hier. 31. 3. 1. Ioan. 4 10. Mat. 28. 20. Rom. 9. 15. Hier. 31. 3. 1. Ioan. 4 10. 1. Ioan. 4 19. 2. Tim. 1. 8. Tit. 3. 3.

Cap. 1

quem effudit abundè in nos per Iesum Christum Saluatorem nostrũ, vt iustificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus, alienari quidem non potest à propriâ hominis voluntate; Siquidem nihil rectè faciet nisi quod volens egerit: sed vt ad id quod æquum & vtile est, animi tendat intentio, de illius æternę & incõmutabilis voluntatis inspiratione concipitur: Et
§ Medica sicut arte † medici fit in oculis caligantibus, vt possint videre quod non vident, nec tamen non ipsorum est visio quam medicina contulerit: ita in cordibus tardis & hebetibus, per Spiritum sanctum acies obducta tergitur, & de vero lumine tenebrosæ iam & deficientes lucernæ lumen accipiunt; nec tamen nisi ipsarum erit, quicquid fulgoris acceperint. Vndè dicit dominus: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi vt ardeat?* Et idem iubet, *lucernæ nostræ sint semper ardentes*; vt scilicet superno igne accensus animus non tepescat, sed studeat semper ardere: ac si vigorem eius aliqua turbarit aduersitas, vndè cœpit inflammari, indè poscat igniri.

Luc. 12. 49. *Luc.* 12. 35.

Cap. 15. Proindè quia manifestissimè, & prophetica, & euangelica, & Apostolica doctrina, nec superbos nos vult esse, nec desides; cooperatores nos esse oportet gratiæ dei, vt illam excitantẽ, iuuantem, locupletantem, & quotidie prouehentem, vigilanter & sobriè subsequamur, nunquam cessantes ab actione gratiarum, quia inter secunda vitæ istius & aduersa, quibus geminâ semper tentatione pulsamur, si proficimus, indè alimur; si stamus, indè subsistimus; si recidimus, indè reparamur. Dicit enim spiritus per prophetam Dauid: *à domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cum ceciderit non collidetur: quia dominus supponit manum suam.* Non itaq; frustra præcipitur vt boni simus, cum dicitur, *declina à malo, & fac bonum*: Sed nec frustra per Hieremiam dicit dominus; *timorem meum dabo in cor eorum, & visitabo eos, vt bonos eos faciam.* Nec superflua erat præceptio Pauli Apostoli ad Romanos dicentis: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*: cum Corinthijs dicat, *oramus autem ad Deum, vt nihil mali faciatis.* In omnibus enim monitis dei atque mandatis, vna eademque ratio est & diuinæ gratiæ, & humanæ obedientiæ: nec ob aliud vnquam datur præceptum, nisi vt quæratur præcipientis auxilium. Voces enim docentiũ, & literæ paginarum, quæ ad eruditionem audientium vel legentium deo seruiunt, non carent eius virtute cui seruiunt; & quan-

Psal. 36. 23. *Psal.* 36. 27. *Hier.* 32. 40. *Rom* 12. 21. 2. *Cor.* 13 7.

dò id

dò id quod iubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus diuini operis declaratur.

Vigilant autem tentatoris insidiæ, vt vbi proficit deuotio, Cap. 16.
surrepat elatio, & vt homo de bono opere in se potius quam
in domino glorietur: sed solicitudo nos Apostoli contra hoc
Philip 2. 12. periculum monet, dicens: *Cum timore & tremore vestram salutẽ operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Quantò ergò excellentius in mandatis dei quique proficiunt, tantò maiores habẽt causas formidinis & tremoris: ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi conscia, & laudis auida, in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immundâ vanitate, dum sibi videtur clara virtute. Sed contra hoc periculum quid beatus Petrus in primâ Epistolâ prædicet, audiamus: 1. Pet. 4. 11. *Si quis*, inquit, *loquitur, tanquam sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum cui est gloria & imperium in* 2. Pet. 1. 2. *secula.* Item in Epistolâ secundâ: *Gratia* inquit, *vobis adimpleatur in recognitione domini nostri Iesu Christi, qui nunc omnia nobis diuinâ virtute sua quæ ad vitam & pietatem pertinent, donauit per agnitionem suam, qui vocauit nos propria gloriæ virtute, per quam maxima nobis & preciosa promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eam quæ in mundo est, concupiscentia corruptionem.* Si ergò omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, Deus nobis diuinâ suâ virtute donauit; nihil magis fugiendum est, quam appetitus huius concupiscentiæ, quæ virtutem negat diuini operis, amore propriæ dignitatis: Et cùm aliæ cupiditates ea tantum bona quibus aduersantur imminuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul vniuersa corrumpit. Cum itaque totius superbiæ generale nomen odiosum sit: siue illa de honore suo, seu de nobilitate, vel de immodicis opibus intumescat; hæc pars ipsius omnibus tentationibus nocentior inuenitur, quæ videtur ijs quas perditas cupit, amica esse virtutibus. Sed quia sublimiora quæque grauius corruunt: gaudet princeps superbiæ, eos quos potuerit suâ impulsione prosternere, ad celsiora creuisse.

Huic autem malo firmissimum bonum humilitatis oc- Cap. 17.
currit. Quam ideò diximus veram: quia omnium virtutum inexpugnabilis fortitudo, & quædam suorum est vita

membro-

membrorũ. Discernimus enim illam ab ijs officijs quæ potest etiam cum mundi sapientibus habere cõmunia: & in eo proprietatem ipsius definimus, quod per omnia deo subditur: nec potest quicquam de meritis suis perdere, quorum causas atq; profectus non in se, sed in suo auctore constituit. Dignũ quippè est, vt imago Dei deo splendeat, & indè pulchra, indè sit compta, dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui domine.* Psal. 4. Alioquin adultera est, & à diuino aliena coniugio, si alterius 7. cuiusquam decorem in speculo sui cordis ostentat, aut vllis alijs monilibus acquiescit ornari, nisi illis quæ de thesauris sponsi per sancti Spiritus pignus accepit.

Cap. 18. Si autem quælibet anima christiana huius debet continentiæ soliditate muniri, quia omnes nuptiale sacramentum in quocunque vocationis suæ ordine susceperunt: quantò magis personæ tuæ dignitas præsidio huius virtutis armanda est, cui de opulentissimis gratiæ dei donis tam multiplex se ingerit materia gloriandi. Quamuis enim cõmunis tibi sit cum multarum virginum puritate virginitas, non tamen facilè reperitur quę possit tibi magnificẽtiá domus & splendore antiquissimæ familiæ comparari. De quibus vt non superbias, nec tibi hoc ipsum quod eis Christum præposueris ascribas: ipsa est vera humilitas, vera charitas, vera virginitas. Ab omni quippe contaminatione mens libera est, quę siue in se, siue in proximo nihil diligit, nisi quod ex deo esse nouit. Nam amare aliquid quod non ex opere & spiritu dei sit: non est casta dilectio: & sufficit tentatori sublimes & claras animas hac illusione violasse, vt quas ad illicita non impulit, placendo sibi de elatione deiecerit.

Cap. 19. & ipsius. De hac charitate sine dubio Apostolus loquebatur, & istius proprietatem subtilissimis discretionibus eliquabat, dicens: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans aut cymbalũ tinniens. Et si habuero prophetiam & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* In quarum definitionum formula multo laboraremus * obscurio, nisi sequentia demõstrarent quæ esset species istius charitatis, cui soli tot operum labores, tot virtutum merita nõ præirent. Esto enim vt multiplex

* Obscure

tiplex loquendi peritia quæ non solùm ad omnem humanæ facundiæ artem, sed etiam ad angelici eloquij peruenerit facultatem, si charitate careat, inutili æris sono & tinnitui sit comparabilis cymbalorum. Esto vt habens prophetiam, scientiam habens, fidem dæmonibus imperantem, nihil sit, quia charitate sit vacuus: vt etiam ille ab hac esse possit alienus, qui in alimoniam pauperum suas distribuerit facultates, vel qui corpus suum igne torrendum pro Christi confessione tradiderit; incredibile videretur, nisi beatus Paulus hoc diceret, qui tamen cum eiusdem charitatis membra describeret, doceretque qualis esset hæc virtus, sine qua nullæ possint prodesse virtutes: *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt*, & reliqua.

1. Cor. 13 4

Inflatio ergò & ambitio, & propriorum bonorum superba defensio possunt destruere eleemosynas, possunt euacuare martyria: si & magnas opes amore quis humanæ laudis effundat, & sæua supplicia non ea fortitudine quam deus tribuit, sed eâ quam de se præsumpsit excipiat. Hoc est enim propriâ fiduciâ inflari, hoc vanam gloriam quibuslibet ambire dispendijs: hoc postremò est, nolle habere quæ dei sunt; & ibi suum constituere meritum, vbi diuinum cessarit auxilium. Hæc superbia omni peccato nocentior, omni genere est elationis infanior. A quibuslibet enim lapsibus delictorũ facilè surgitur, quandò opem à reparatore suo poscit elisus. Huic autem ruinæ nihil subuenit: quia aut difficilè peccatum suum superbus agnoscit, aut etiam si intellexerit non currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur: nec vnquam ibi proficit cura, vbi morbus est ipsa medicina. Cap. 20

Hunc autem corruptissimum pestilentiæ ipsius flatum, spiritus veræ humilitatis, & veræ charitatis excludit: in nullo enim hæ virtutes ab inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, vt qui in vna earum construitur, simul vtraque potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas. Et si illa recolamus quæ sine bono charitatis infructuosa esse Apostolus definiuit, inueniemus, eadem similem habere charitatem si eis humilitas vera defuerit. Quem enim fructum habebit, aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides, aut cum iactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Vndè quia in 4 Cap. 21

4 virili-tem

3 Diſtructionem. Cap. 22. diſtrictione ſuperbiæ, & humilitas tendit, & charitas: de vtraque habeatur dictum, quicquid de vna eſt diſputatum.

Supereſt nunc, ſacratiſſima dei virgo, vt ſobrio caſtoque iudicio ſancti cordis tui larcam diſcutias; & aculeo totius elationis obtrito, inueſtiges in te atque dinumeres, quæ & qualia tibi ſponſus tuus dona contulerit: quæ à me non oportuit recenſeri, ne aut plura contexerem, aut pauciora percurrerem. Verecundiæ enim tuæ oneroſa foret etiam vera laudatio, & ipſe contra diſputationem meam facerem, ſi cui ab humana gloria continentiam ſuaſiſſem, ad eandem te tuis præconijs incitarem. Ipſa ergo aulam tuæ mentis ingredere: & in ſecretario puriſſimæ conſcientiæ tuæ, qualia tibi repoſita ſint ornamenta circumſpice: & quicquid ibi ſplendidum, quicquid pulchrum precioſumque reppereris, diuini operis & muneris eſſe ne dubites: ita vt in omnibus bonis opulentiæ tuæ, & gratiam donatoris, & ius proprietatis agnoſcas. Accepiſti enim quæ habes, & quicquid tibi diligentia tui laboris accreuit, per ipſum tibi eſt auctum, per quem fuerat inchoatum. Itaque vtendum tibi eſt eis quæ largitus eſt deus: & ab eodem ſemper eſt petendum, vt donis eius fideliter & ſcienter vtaris. Quid enim nobis boni poteſt eſſe ſine ipſo? quandoquidem etiam vt rectè oremus, ex ipſo eſt, dicente Apoſtolo: *Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quoniam ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.* Et ne dubium eſſet de quo ſpiritu loqueretur, iam ſupra dixerat. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater. Itaq; ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quoniam ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur vt conglorificemur.*

Rom. 8. 26.

Rom. 8. 15.

Cap. 23. Implet igitur Spiritus ſanctus organum ſuum: & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda ſanctorum. Qui ideò cum die Pentecoſtes in Apoſtolos plebemque credentium, ſicut à domino fuerat promiſſus, 4 influeret: in ſpecie linguarum apparuit ignearum, & loquelis omnium nationum eos ſuper quos inſederat, fecit effari: vt dubium non eſſet, per ipſius inſpirationem, vtilem affectum, rationabilem ſermonem, animis fidelium miniſtrari: Sicut ipſe dominus.

4 implerat.

Mat. 10. 19. dominus discipulis suis insinuauit, & dixit, *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris qui loquitur in vobis.* Quod † non in solo magnarum tribulationum tempore credamus fieri, sed etiam in pace præstari; audiamus Apostolum definientem, quod ipsę quoque cogitationes nostræ nisi à deo nobis insitæ fuerint, rectæ esse non possint. *Fiduciam*, inquit, *talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* † ne

2. Cor. 3. 4.

Vndè cum sanctorum animis ex deo sit, vt illis meditatio iusta, petitio efficax; † actio ex deo sit, in fide firmitas, in tribulatione patientia, in persecutione victoria; magna est in vera humilitate fœlicitas, cui Deus dilectio, Deus sapientia, Deus consilium, Deus fortitudo est. Nec dubiè ista subiectio iam ex magnâ parte in illius futuræ beatitudinis est constituta consortio, vbi *Deus erat omnia in omnibus.* Quod ideò hâc vitâ ad plenum non potest obtineri, quia nondum mortale nostrum induit immortalitatem, nec corruptio transijt in incorruptionem: caro adhuc contra spiritum, & contra carnem spiritus concupiscit, nec inuenitur in vllo hominum tanta concordia, vt legi mentis lex quæ membris est insita, non repugnet. Propter quod ex omnium sanctorum personâ accipitur quod Ioannes Apostolus ait: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est*; Cum tamen idem ipse dicat: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Vtrumque ergò verum est: quia & nemo sine peccato est, in eo quod nemo est sine lege peccati: & qui natus ex deo, peccatum non facit; quia per legem mentis, id est, per charitatem, quæ dei semen est, peccatum non facit: *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum*: & sine quâ nullum prodest bonum, per † quam deletur omne peccatum. Dum igitur *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*: non quidem obtinetur vt iam † anima in omnibus Deus sit; quia nullus est sine tentationis stimulo & sine mutabilitatis incerto: sed quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum*: sine dubio inde habetur virtutum omnium portio, vndè habebi-

Cap. 24.

† ac sic ex deo sit.

1. Ioan. 1. 8.

1. Ioan. 3. 9.

2. Pet. 4. 8.

† hanc.

Sap. 9. 15.

† omnia.

Iac. 1. 17.

tur plenitudo: & tantò quisque est beatior, deoque coniunctior; quanto plus in eo fuerit gratiæ diuinæ, quam actionis humanæ. *Benedic* itaque *domino in omni tempore, & laus eius in tuo ore sit semper*: Anima autem tua non acquiescat nisi in domino laudari. Superbi quidàm refragabuntur; sed *mansueti hæc audient, & lætabuntur.* Psal. 33. 2. Psal. 33. 3.

FINIS.

D. PROSPERI AQVITANICI EPISCOPI RHEGIENSIS,

De gratia & Libero arbitrio Epistola ad Ruffinum. *

* Ruffinum.

*Domino fratri dilectissimo in Christo, & merito venerabili Ruffino, * Prosper æternam dicit Salutem.*

* Ruffino.

ACCEPI per communem amicum fraternæ erga me solicitudinis tuæ signa, & curam sinceriſſimæ charitatis gratulanter agnoui. Ac nequid maligni rumores, inquantum se auribus tuis subtrahere nequeunt, formidinis tibi aut anxietatis inferrent, absoluere te ab omni scrupulo, quantum Epistolari licuit sermone, curaui; in tantum studens omnia pleniſſimâ veritate tibi pandere, vt quia non potuisti in totũ, quæ ab aduersantibus disseminantur, audire: per meipsum queas quicquid de nobis ad inanem inuidiam fertur referturque, cognoscere. Sed insinuanda prius sanctitati tuæ est qualitas quæstionis, de qua ista nascuntur: quò tibi magis pateat falsitas obloquentium: & videas quam lucem quibus tenebris conentur obducere. Prologus.

Pelagiana igitur hæresis, quo dogmate catholicam fidem destruere adorta sit, & quibus impietatum venenis viscera Ecclesiæ, atque ipsa vitalia corporis Christi voluerit occupare, notiora sunt quam vt opere narrationis indigeant. Ex his tamẽ vna est blasphemia, nequissimum & subtiliſſimum germen aliarum, qua dicunt gratiam dei secundum merita hominum dari. Cùm enim primùm tantam naturæ humanæ vellent astruere * sanitatem, vt per solum liberum arbitrium posset assequi dei regnum: eò quod tam plenè ipso conditionis suæ præsidio iuuaretur: vt habens naturaliter rationalem intelle- Cap. 1. Destruit hæc Aug. ep. 46. 47. 95. de gra. & lib. ar. hit. ca. 1. * sanitatem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

intellectum, facilè bonum eligeret, malumque vitaret: & vbi in vtráque parte libera essent opera voluntatis, non facultatem his qui mali sunt ad bonum deesse, sed studium. Cùm ergò, vt dixi totam iustitiam hominis ex naturali vellent rectitudine ac possibilitate subsistere, atque hanc definitionem doctrina sana respueret; damnatum à catholicis sensum, & multis postea hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, hoc apud se ingenio seruauerunt, vt ad incipiendum, & ad proficiendum, & ad perseuerandum in bono necessariam homini dei gratiam profiterentur.

Cap. 2. Sed in hac professione, quomodò vasa iræ molirentur irrepere, ipsa dei gratia vasis misericordiæ reuelauit. Intellectum est enim, saluberrimeque perspectum, hoc tantum eos de gratiâ confiteri, quòd quædam libero arbitrio sit magistra, seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perque terrores extrinsecus iudicio eius ostendat, quo vnusquisque secundum voluntatis suę motum si quæsierit, inueniat: si petierit, recipiat: si pulsauerit, introeat. Quia scilicet gratiæ ipsius vocatio, hoc primum circa nos agat, vt nostrę facultatis arbitrium admoneat, nec aliud sit gratia, quàm lex, quàm propheta, quàm doctor, cui circa omnes homines per vniuersum mundum commune & generale sit studium, vt qui voluerint credant, & qui crediderint, iustificationē merito fidei & bonæ voluntatis accipiant: ac sic gratia dei secundum hominum meritum tribuatur. Atq; hoc modo gratia non sit gratia. Quia si meritis redditur, & non ipsa est bonorum creatrix, frustra gratia nominatur.

Vide cap. de ingratis ca. 20.

Cap. 3. Has autem versutias, quibus se filij tenebrarum, in similitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cum & Orientalium Episcoporum iudicia, & Apostolicæ sedis autoritas, & * Aphricanorum conciliorum vigilantia deprehenderit: beatissimus quoque Augustinus, præcipua vtique in hoc tempore portio domini sacerdotum, copiosè & pulchrè, in multis voluminum disputationibus destruxit: vtpotè inter multa dei dona, quibus illum abundantissimè spiritus veritatis impleuit, habens etiam hanc scientiæ & sapientiæ ex dei charitate virtutem, vt nō solùm illam adhuc in suis detruncationibus palpitantem, sed etiam multas prius hæreses inuicto verbi gladio debellaret. Cui inter tot certam num palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationem Ecclesiæ, & ad gloriam.

* *Africanorum. Augustini encomium.*

Christi

Christi quâ ipse illustratus est, perfulgenti, quidam nostrorũ (quod de ipsis multum dolendum est) occultis, sed non incognitis susurrationibus obloquuntur: Et prout sibi noxias aliquorum aures opportunasq; repererint, scripta eius, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant: dicentes, eum liberum arbitrium penitus submouere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem. Adijcientes etiam duas illum humani generis massas, & duas credi velle naturas, vt scilicet tantæ pietatis viro Paganorum & Manichæorum ascribatur impietas. Quæ si vera sunt, cur ipsi tam negligentes, ne dicam tam impij, sunt, vt tam abruptam perniciem ab Ecclesiâ non repellant? tam insanis prędicationibus non resistant? nec saltem aliquibus scriptis eum, à quo talis emanat doctrina, conueniant? Magnâ enim gloriâ suâ humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore reuocauerint: nisi fortè modesti homines, nouique censores, magnorum prius meritorum seni, honorabiliter ac misericorditer parcunt, & securi quia libros eius nemo vsquam recipiat, conquiescunt, atque ignouerint. Imò nouerunt, non solum Romanam, Africanamque Ecclesiam, & per omnes mundi partes vniuersos promissionis filios cum doctrinâ huius viri, sicut in tota fide, ita in gratiæ confessione congruere: Sed etiam in ipsis his locis, in quibus aduersus eum querimonia cõcitatur, esse, propitio deo, plurimos, qui ad perceptionẽ Euangelicę Apostolicęq; doctrinæ saluberrimis eius disputationibus imbuuntur, & quotidiè in membris corporis Christi, in quantũ ea ipse multiplicat, dilatantur. Si rectè reprehẽdimur, cur nõ constanter arguimur? Si arguendi nõ sumus cur occultâ obtrectatione mordemur?

Augustini obtrectatores, & obnoxias. Calumnia ingratorum.

Cap. 4.

Sed quis nescit, cur ista priuatim de stomacho garriant, & publicè de consilio conticescant? Volentes enim in sua iustitia magis, quàm in dei gratia gloriari, molestè ferunt, quod his quæ aduersum excellentissimę authoritatis virum inter multas collationes asseruërę, resistimus. Nec dubitant, si quã hinc mouerint quæstionem, in qualibet frequentia sacerdotum, in qualibet congregatione populorum, centenis sibi beatissimi Augustini voluminibus obuiandum. Quæ cum cordibus audientiũ manifestare cœperint, potentissimam Christianę fidei veritatem, & de fontibus diuini eloquij præsentium animos inundare; quis fidelium, quis piorum, recognitis & commendatis sibi salutis suæ causis, amaritudinem istam volet fumosę

Collationes Cassiani à Prospero refutatæ.

recipere

recipere vanitatis? Ego quidem etiam hoc de diuitijs misericordiæ dei spero, quod quos nunc libero falli arbitrio suo, & ab humilitatis via patitur euagari, non vsquequaque neque in finem sit intelligentiâ fraudaturus: sed hunc ipsum in longinquiora progressum, ideò ab eo tardiùs reuocari, vt opus gratiæ eius maiore gloriâ celebretur, cum sibi etiam aduersantium corda subdiderit, quibus de virtutum studio exortum est periculum, & de morum probitate discrimen. Non quia quisquam carere his debeat, sed quia miserrimus eorum vsus est, cum ex naturali putantur facultate prodisse; aut ex largitate quidem gratiæ, sed aliquo vel boni operis, vel bonæ voluntatis merito præcedente venisse.

Cap. 5. Asserunt quidem hæc quibusdam sanctarum scripturarum testimonijs, sed non rationabiliter adsumptis. Ad defensionē enim alicuius definitionis ea promenda sunt quæ alteri intellectui, à quo videtur definitio dissonare, nō cedant, & eam regulam, cui sunt aptata, non deserant. Dictum ergo aiunt | bero arbitrio vtentibus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam: tollite iugum meum super vos, & discite à me quoniam mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Quod ad omnes homines volunt pertinere, laborantes in incerto istius vitæ, oneratosque peccatis, vt qui voluerint mansuetudinem & humilitatem saluatoris imitari, & iugum mādatorum eius subire, inueniant requiem animabus suis, in spe vitæ æternæ: Qui autem hęc facere noluerint, sua culpâ careant salute: quam si voluissent, potuerunt obtinere. Sed audiāt & dictum à domino libero arbitrio vtentibus: *Sine me nihil potestis facere:* &, *nemo venit ad me nisi pater qui misit me, attraxerit eum:* &, *nemo potest venire ad me, nisi datū ei fuerit à patre meo:* & *sicut pater viuificat mortuos, ita & filius, quos vult, viuificat:* &, *nemo nouit filium, nisi pater; neq; patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Quę omnia cum sint incommutabilia, & nequeant vlla interpretatione in sensum aliū detorqueri, quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia dei affectum credendi obediendiq; generauit? Alioquin | sufficeret moneri hominē, nō etiam in ipso nouam fieri voluntatem; sicut scriptum est: *Præparatur voluntas à Domino.* Et sicut ait Apostolus: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Pro qua bona volū-

Augumē tum ingratorū. Matt. 11. 28.

Retorquē tur. Ioan. 15. 5. Ioan. 6. 44. Ioan. 6. 66. Ioan. 5. 21. Luc. 10. 22. Prou. 8. 35. iuxta 70. Phil. 2. 13.

tate,

tate, nisi quam in ipsis operatus est Deus: vt † quod donauerat velle, donaret & facere? † qui

Dicunt etiam ad demonstrandam liberi arbitrij facultatem: magnum in Centurione Cornelio extare documentum: quòd ante gratiæ perceptionem *timens atque orans Deum, eleemosynis & ieiunijs, & oratione*, spontaneo studio *fuerit intentus*: atque ob hoc diuino testimonio laudatus, donum regenerationis acceperit. Neq; intelligunt, omnem illam præparationē Cornelij, per Dei gratiā fuisse collatam: Siquidem cū S. Petrus per visionem omne genus animaliū, de baptizando Cornelio, ac perindè de omnibus gentibus doceretur, atque ille immūdum & indiscretum cibum Iudaicâ obseruantiâ recusaret, trina ad eum vox facta sit dicens: *Quæ Deus mundauit, tu ne commune dixeris*. Quo satis apertè ostenditur, omnia bona opera, quæ in Cornelio præcesserunt, dei † gratiâ ad emundationem ipsius inchoasse: vt cui dominus iam impertierat hoc donum, non dubitaret Apostolus conferre sacramentum: ne nouæ, & necdum reuelatæ vocationis vacillaret exordium, nisi per ipsa indicia præcedentium studiorum, deum in adsumendis cōstaret operatum: *Non enim omnium est fides; nec omnes credunt Euangelio*. Sed qui credunt, dei aguntur spiritu: qui non credūt, libero auertuntur arbitrio. Conuersio ergò nostra ad deum non ex nobis, sed ex deo est: Sicut Apostolus dicit. *Gratiâ salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: & non ex operibus, ne quis glorietur.*

Act. 10. 2. Cap. 6. Arg. Ingratorū. Resistitur. Act. 10. 15. † gratiā. 2. Thess 3 2. Rom. 10. 16. Ephes. 2. 8.

Agnoscat se humana debilitas, & in primo homine vniuersarum generationum damnata successio: & cum mortui viuificantur, cùm cœci illuminantur, cùm impij iustificantur, confiteantur vitam, & lumen, & iustitiam suam Iesum Christum: Et *qui gloriatur in domino glorietur*, non in se. Qui cum esset impius & cœcus, & mortuus; à liberatore suo gratis accepit & iustitiam, & lumen, & vitam. Non enim iustè agebat, & aucta est iustitia eius: nec ad deum gradiebatur, & confirmatus est cursus eius: nec diligebat deum, & inflammata est charitas eius; sed cum esset sine fide, ac proindè impius, accepit spiritum fidei, & factus est iustus: *Iustus autem ex fide viuit*: &, *Sine fide nemo potest placere deo*: &, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: vt scilicet intelligat, iustitiam infidelium non esse iustitiam; quia sordet natura sine gratiâ. Cap. 7. 1. Cor. 1. 31. Rom. 1. 17. Hebr. 11. 6. Rom. 14. 23.

Amissâ quippè naturali innocentiâ homo exul ac perditus ambulans Cap. 8.

ambulans sine viâ, profundiores intrabat errores: sed quæsitus,& inuentus,& reportatus est,& in viâ,quę veritas, & vita est, introductus ad dilectionem in deum, qui illum non diligentem prior dilexit, agnitus est: sicut dicit B. Apostolus Ioannes: *Non quæsi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos:* & iterum, *nos ergò diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos:* Et idem dicit: *Charissimi diligamus inuicem, quoniam charitas ex Deo est: Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum: Qui non diligit, non nouit Deum: quia Deus charitas est.* Cui B. Paulus corgruit, dicens: *In Christo Iesu, neque circumcisio, neque præputium valet aliquid: sed fides quæ per dilectionem operatur.* Vndè habetur hęc fides connexa charitati, nisi vndè eam ipse monstrat acceptam, dicens: *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis sed etiam vt pro ipso patiamini?* Quod vtique fieri sine magna charitate nõ poterat. Et iterum: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Sine quâ charitate Apostolus quantam fidem, quantamque scientiam, quas virtutes, quæ studia, quos labores, nihil prodesse testatur? Quia scilicet multa laudabilia atq; miranda possunt in homine reperiri, quæ sine charitatis medullis habent quidem pietatis similitudinem, sed non habent veritatem.

1. Ioan. 4 10. 1. Ioan. 4 19. 1. Ioan. 4 7. Gal. 5. 6. Philip. 1. 29. Rom. 5. 5

Cap. 9. Hoc ergò tanto & tam ineffabili bono, nemo inuentus est dignus: sed quicunque electus est à deo, factus est dignus: Sicut dicit Apostolus, *Gratias agentes patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Et idem ad Timotheum: *Conlabora*, inquit, *Euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione sanctâ: non secundum opera nostra sed secundum suum propositum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.* Et ad Titum: *Eramus*, inquit, *& nos aliquando insipientes & incrèduli, errantes, & seruientes desiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem: Cum autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Gratia igitur dei quoscunque iustificat, non ex bonis meliores; sed ex malis bonos facit: postea per profectum, ex bonis factura meliores: non adempto libero arbitrio, sed liberato: Quod donec sine deo solum fuit, mortuum fuit iustitiæ, vixitque peccato: Vbi

Col. 1. 3. 2. Tim. 1. 8. Tit. 3. 3.

autem

autem ipsum illuminauit misericordia Christi, erutum est à regno diaboli, & factum est regnum dei, in quo vt permanere possit, ne eâ quidem facultate sufficit sibi, nisi indè accipiat perseuerantiam, vndè accepit * industriam. * Forte iustitiam

Quoniam & ipsius S. Petri ardentissima fides in tentationibus defeciisset, nisi pro eo dominus supplicasset: sicut Euangelista manifestat, dicens: *Dixit autem Iesus Petro: Simon Simon, ecce Satanas postulauit, vt vos cribraret velut triticum. Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua: & tu tandem conuersus, confirma fratres tuos: & roga, ne intretis in tentationem.* Et vt magis probaretur liberum arbitrium nihil posse sine gratiâ: cui dictum fuerat: *Confirma fratres tuos*: &, *roga ne intretis in tentationem*: quique respondit, vtique ex libero arbitrio: *Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire*; eidem prædicitur, quòd *priùs quam gallus cantet, ter dominum negaturus sit*: Quod quid est aliud, quam quod in fide defecturus sit? Certè rogauerat pro eo dominus ne deficeret fides ipsius: Nec vtique frustrà rogauerat, cuius vna erat cum eo quem rogauerat operatio. Sed ne libero arbitrio videretur stare, qui de se magna promiserat, permittitur periclitari; vt conturbatum ac deficientem ille respiciat & reficiat, sine quo nemo consistit, nemo persistit. Cap. 10.

Luc. 22. 31. Luc. 22. 40. Luc. 22. 33. Luc. 22. 34.

Ab hâc autem confessione gratiæ dei ideò quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint, qualis diuino eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis agnoscitur; etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per secula cuncta natorum, certus apud deum, definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundum propositum dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quam ipsi gratiæ contraire. Neque enim remotum est ab inspectione communi, quot seculis, quàm innumera hominum milia, erroribus suis impietatibusque dimissa, sine vllâ veri dei cognitione defecerint. Sicut etiam in Actibus Apostolorum Pauli & Barnabæ verba declarant, dicentium Iconijs: *Viri fratres, quid hac facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines, adnuntiantes vobis, vt ab his vanis conuertamini ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: & qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum relinquens, benefaciens, de cælo dans pluuias, & tempora* Cap. 11. *Occasio erroris de gratia, horror prædestinationis fixæ & gratuitæ. Censura.* Act. 14. 14.

tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda eorum: Cum vtique si eis vel naturalis intelligentia, vel vsus beneficiorum dei ad capescendam vitam æternam sufficere potuisset, nostro etiam tempore rationalis nos contemplatio, & temperies aëris, & fructuum copia ciborumque, saluaret: quia scilicet melius natura vtentes, creatorem nostrum propter quotidiana ipsius dona coleremus.

Cap. 12. *Censura.* Sed absit ab animis piorum, & Christi sanguine redemptorum, stulta nimium & pernicioſa persuasio. Naturam humanam non liberat, extra vnum mediatorem dei & hominum, hominem Christum: *sine illo nemini salus est* Sicut *ipse fecit nos, & non ipsi nos*: ita ipse reficit nos, & non ipsi nos. Ac ne sibi facultas hominis precium reparationis huius, vel post restitutionem sui, per opera videretur iustitiæ repensare: effuderunt se diuitiæ bonitatis dei in ipsa quorundam primordia parvulorum: In quibus nec præcedens eligitur, nec secutura dennotio; non obedientia, nec discretio, non voluntas. De his enim loquor, qui mox vt nati sunt, renascuntur, & rapti ab hâc vitâ, æternæ beatitudini deputantur: Cum tamen innumerabilis multitudo, eiusdem naturæ, eiusdem conditionis infantium, sine regeneratione decedat. De quâ dubitari non potest, quòd partem in dei ciuitate non habeat.

Act. 4. 12. *Psal. 93. 3.*

Cap. 13. *Obiectio ingratorum explodituy.* Et vbi est illud, quod nobis quasi contrarium, à non intelligentibus semper opponitur: quod *Deus omnes homines velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*? Nunquid non sunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus vsque in hoc tempus sine dei cognitione perierunt? Et si maioribus natu (quod non rectè dicitur) mala opera, quæ libero arbitrio commiserant, obfuerunt; quasi boni, non mali gratiâ liberentur: inter saluatos parvulos & non saluatos parvulos, quæ meritorum potuit esse discretio? quid istos introduxit in regnum dei? quid istos exclusit à dei regno? Equidem si meritum consideres, non vna pars saluari meruit, sed vtraque damnari: Quia omnibus in Adæ præuaricatione prostratis, nisi quosdam adsumeret misericors gratia, maneret super vniuersos inculpata iustitia. Quæ autem sit discretionis istius in secreto consilio dei causa vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & sine fidei diminutione nescitur: modò confiteamur neminem immeritò perdi, neminem meritò liberari, & omnipotentissimam domini bonitatem

1. Tim. 2. 4.

Vide lib. 1 de vocat. gentium c. 22.

tatem omnes saluare, & omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos *vult omnes fieri saluos & ad agnitionem veritatis venire.* Nisi enim ipso vocante, docente, saluante, nemo venit, nemo eruditur, nemo saluatur. Quia etsi indifferenter omnibus hominibus iubentur prædicare doctores, & semen verbi
1. Cor. 3. 7. vbique differere, tamen *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.*

Vndè cùm Apostoli gentibus Euangelium prædicare cœpissent, de parte quâdam eorum qui audierant, scriptura com- Cap. 14.
Act. 13. 48. memorat, dicens: *Audientes autem gentes gaudebant & glorificabant verbum Dei, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Et alibi, cùm multæ mulieres audirent Paulum docentem, *Quædam*, inquit, *mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorũ, colens Deum, audiuit: cuius dominus aperuit cor vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo.* Et rursum eo ipso tempore, quo ad omnes gentes prædicatio Euangelij mittebatur, quædam loca Apostolis adire prohibebãtur ab eo, *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* multis vtique in illâ retardatis atque auersis Euangelij morâ, sine agnitione veritatis & sine regenerationis consecratione moriturisAct. 16. 6. Dicat ergò scriptura quod gestum est: *Transeuntes autem*, inquit, *Phrygiam & Galatiæ regionem vetiti sunt à sancto Spiritu loqui verbũ in Asia. Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit illos spiritus Iesu.* Quid autem mirum, si inter ipsa Euangelicę prędicationis exordia, nõ poterant ire Apostoli, nisi quò eos spiritus dei ire voluisset cùm videamus pleraſq; gentes modò primùm Christianæ gratiæ fieri cœpisse participes; aliàs autẽ nullum adhuc odoré boni istius attigisse?

An dicendum est voluntati dei humanas obsistere voluntates, & tam feros tamque intractabiles horum hominum Cap. 15. Obiectio praeludit. vide lib. 1. de vocat. gent. c. 25 & carm. de ingratis lib. 12. & 13.
mores, vt Euangelium ideò non audiant, quia prædicationi impia corda non pateant? & quis istis corda mutauit, nisi *qui*
Psal. 32. 15. *finxit sigillatim corda eorum?* quis huius rigoris duritiem ad obediẽdi molliuit affectũ, nisi qui *potens est de lapidibus Abrahæ*
Mat. 3. 9 *filios excitare?* Et quis dabit prædicantibus intrepidã illæsamque constantiam, nisi ille qui ait Paulo: *Noli timere, sed loque-*
Act. 18. 9. *re, & ne taceas: propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi vt noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate?* Puto autem quòd nemo audeat dicere vllam mundi gentem, vllam terræ prætermittendam esse regionem, in qua non sint

Ecclesiæ tabernacula dilatanda, dicente deo ad filium; *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: & iterum: *Reminiscentur, & convertentur ad dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentium*: Dicente quoque ipso domino: *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso mundo in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Quæcunque ergò gentes nondum audierunt, audient Euangelium; & *credent quotquot ex eis præordinati sunt in vitam æternam.* Non enim alij venient in consortium hæreditatis Christi, quam qui antè constitutionem mundi electi sunt, & prædestinati atque præsciti *secundum propositum eius qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.*

Psal. 2. 8. Psal. 21. 28. Matt. 24. 14. Act. 13. 48. Ephes. 1. 11.

Cap 16. Confiteamur igitur opera domini, & glorificemus misericordias eius: Nec impatienter feramus, quod quæ, aut quanta sint electionis vasa non nouimus. Quia & in anterioribus seculis, quando de vnius gentis populo dicebatur: *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius*: futura gentium latebat electio: & postmodum innotuit, quod reuelatum antè non fuerat: sicut dicit Apostolus, *Quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu, esse gentes cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Christo Iesu.* Et in Actibus Apostolorum: *Obstupuerunt*, inquit, *ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro; quia & in nationes gratia spiritus Sancti effusa est.* Si enim hoc consilium vocationis suæ dominus quamdiu voluit, abscondit, ac distulit; & quandò voluit, reuelauit; sanctisque eius ignorantia ista non nocuit; cur spei nostræ obesse credimus, si in quo numero, quibusve hominibus vasa misericordiæ in gloriam præparantur, occultur? cùm tamen constet regnum cœlorum omnes ingressuros bonos, hoc eis donante dei gratiâ; & nullos ingressuros malos, hoc ipsorum merente nequitiâ.

Psal. 75. 2. Ephes. 3. 5. Act. 10. 45.

Cap. 17. *Censura.* Nimium verò ineptè, nimiumque inconsideratè ab aduersantibus dicitur, quod per hanc dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio. Quamuis enim in paruulis baptismum transeuntibus, manifestissimè nullum opus nullusque appetitus eorum voluntatis existat; & plerosque vtentes quidem libero arbitrio, sed auersos à vero deo, vitamque in flagitijs exigentes, liberatrix regeneratio in ipso exhalandi spiritus fine sanctificet: tamen si eam filiorum dei partem, quę ad pie-

Vide cor. de ingratis c. 28.

tatis

tatis opera reseruatur, pio considerauimus intuitu, nonnè in eis non peremptum inueniemus liberum arbitrium, sed renatũ? Quod vtique cùm solum esset, sibique permissum, non nisi in suam perniciem mouebatur. Ipsum enim se excæcauerat, & ipsum se illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitriũ conuersum est, non euersum: & donatum est ei aliter sapere, aliter agere, & incolumitatem suam non in se, sed in medico collocare. Quia nondum tam perfectâ vtitur sanitate, vt ea quæ ei nocuerant, nequeant iam nocere: aut ab insalubribus possit iam viribus suis temperare. Proindè homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus: sed per se malus, per deum bonus: qui eum ita in illum initialem honorem alio initio reformauit, vt ei non solum culpam malæ voluntatis & actionis remitteret, sed etiam benè velle, benè agere, atque in his permanere donaret.

Iac. 1. 17 *Omne enim*, inquit Apostolus Iacobus, *datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Qui quale sit liberum arbitrium quod humano spiritu agitur, &

Iac. 3. 14 quale sit quod à deo regitur, euidenter ostendit, dicens: *Quod si zelum animarum habetis & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari aduersum veritatem, & mendaces esse; non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiæ, & fructibus bonis, non diiudicans, sine simulatione.* Quicunque ergò his virtutibus student atque inhærent, non suâ, sed superna sapientiâ, illustrati sunt: *quoniam dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia &*

Prou 2. 6 *intellectus.* Et hæc eorum verissima gloria est, si non in se, sed in domino gloriantur.

Cap 18. Calumnia excutitur.

Ea autem quæ de fato, & de duabus massis, duabusque naturis stultissimo mendacio, intenti viri iniuriæ iactitant, neque ipsum quidem onerant, in cuius libris copiosissimè huiusmodi destruuntur errores: nec nos pertubant, qui tales opiniones cum suis autoribus execramur. Sed videant quomodò se à dedecore istius exuant fallitatis, qui possint tam inepta confingere, si hi quorum abutuntur auribus, aliquantulum diligentiæ ad cognoscenda ea quæ præstantissimus minister gratiæ disputauit, intenderint: licet omnem istius inquisitionis moram ipsi, qui hæc loquuntur, præuenire debe-

Videatur Aug. lib. 2. contra 2. epist. Pelag. c. 7. lib. 4. contra Iulian. cap. 8.

rent,

rent, proferendo atque explicando libros, vllamve eorum particulam demonstrando, quam per dubium saltem intellectum tali interpretationi obnoxium vir sanctus ediderit. Sed prorsus nihil apud nos tale audierunt, nihil tale legerunt: quia non fato quicquam geri, sed omnia de iudicio nouimus ordinari. Nec ex duabus massis, duabusve naturis, sed ex vnâ massâ, quę est caro primi hominis, vnam scimus omnium hominum creatam, creariqúe naturam, & eandem per ipsius primi hominis liberum arbitrium, *in quo omnes peccauerunt*, Rom. 5. v. 12. esse prostratam: nec vllo modo ab æternæ mortis debito liberam, nisi eum ad imaginem dei secundæ creationis Christi gratia reformauerit, liberumqúe eius arbitrium agendo, † sperando, auxiliando, & vsque in finem præeundo seruauerit. † Vndè quia perspicit sanctitas tua (si tamen sermonis mei non obstitit obscuritas) frustra quosdam de nobis conqueri, & omnes illas ineptas criminationes, ad exasperandos auertendosqúe animos eorum, quibus aliud volunt persuadere, contexi: 4 confide ergo in virtutem misericordiæ dei, quoniam hæc contradictio, sicut in alijs mundi partibus, ita & in his regionibus conquiescet: vt prædicatio summi hoc tempore in Ecclesia viri, etiam ab his à quibus ad præsens reuellitur, adiuuetur. Tu autem dilectissime, & venerandissime mihi frater, si verè de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te conuenit, ipsis beati Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, vt in confitendâ dei gratiâ defecatissimam ac saluberrimam Euangelicæ, Apostolicæqúe doctrinæ intelligentiam consequaris. Gratia dei, & pax domini nostri Iesu Christi custodiat te in omni tempore, & per viam veritatis dirigat in vitam æternam.

† *inspirando. Epilogus.*

4 *confide ergo.*

DIVI PROS-

DIVI
PROSPERI
AQVITANICI

De Vocatione Gentium

LIBRI DVO.

Hoc opus de vocatione Gentium circumferebatur quondam sub nomine Ambrosii, sed in editione Lovanienſi reſtitutum eſt Proſpero, non tantùm ob ſtyli & phraſis ſimilitudinem, ſed etiam quia in Bibliothecâ regularium S. Martini Lovanij, & in Bibliothecâ Abbatiæ Camberonenſis, necnon in Boneffienſi Abbatiâ apud Namurcũ, in antiquiſsimis exemplaribus manuſcriptis habetur nomine Proſperi. Certè Ambroſii non eſſe, ex ſtylo clarius apparet, quam vt vlla oſtenſione egeat: & ex eo maximè, quod poſt Pelagianos non ſolùm ortos ſed etiam damnatos ſit conſcriptum, vt videre eſt libro 1. cap. 22. Cùm tamen Ambroſius diu antea è vivis exceſſerit: qui vtique ad annum Chriſti 400. non pervenit.

LIBER PRIMVS.

Materiam tractandam proponit: & non ſanè ſentire eos, qui prædicatione gratiæ liberum evacuari arbitrium contendunt, oſtendit.

CAPVT I.

INTER defenſores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ Dei, magna & difficilis dudùm † vertitur quæſtio. Quæritur enim. Vtrùm velit Deus omnes homines ſalvos fieri: Et quia negari hoc non poteſt, cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. Cùmque hoc ſecundùm † voluntates hominum fieri † videatur, gratia videtur excludi; quæ ſi meritis redditur, conſtat eam non donum eſſe, ſed de-

† *Aliàs quæritur.*

* *C. Voluntatem.*

* *C. datur.*

debitum. Vndè iterùm quęritur. Cur hoc donum sine quo nemo salvus † est, ab eo qui omnes salvari vult, non omnibus conferatur? Atque ità, contrariarum disputationum nullus terminus reperitur, dùm non discernitur quid manifestum, quid sit occultum. De hâc igitur compugnantiâ opinionum, quâ mensurâ & temperantiâ sentiendum sit, quantùm Dominus adiuverit, annitar inquirere; exercens atque discutiens modulum facultatis meæ in his quæ cordi meo sobriè (quantùm arbitror,) inhæserunt, vt si in eas regulas processerit stylus, quæ nihil offensionis, nihil habeant pravitatis, non solùm nobis, sed & aliis vtile sit, ad aliquem nos limitem pervenisse, quem non debeamus excedere. Primitus itaque de voluntatis humanæ motibus & gradibus disputandum est. Inter quam & gratiam Dei quorundam non sana discretio est, * existimantium quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium: nec advertentium eâdem regulâ sibi posse obiici, quod gratiam negent, cùm eam humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitem. * Si enim tollitur voluntas, vbi ipsa est verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, vbi est ipsa bonorum causa meritorum,

*C. esse potest.

*C. astimantium.

*C Sic enim tollitur voluntas nisi ipsa est verarũ origo virtutum Tollitur gratia, nisi ipsa est causa bonorum.

Omni animæ humanæ naturaliter ineße qualemcunque voluntatem; quæ aut sensualis, aut animalis, aut spiritualis est.

CAPVT II.

SEd iam auxiliante Christo, quod tractandum concepimus, inchoemus. Omni animæ humanæ quantùm intelligere atque experiri datur, naturaliter qualiscunque inest voluntas, quâ aut appetitur quod placet, aut declinatur quod displicet. Huius voluntatis (quantùm ad naturalem pertinet motum, ex vitio primæ prævaricationis infirmum, genera sunt duo, secundùm quę voluntas hominis, aut sensualis aut animalis. est. Sed cùm adest gratia Dei, accedit ei per donum spiritus tertium genus, vt possit fieri * spiritalis: & per hunc excellentiorem motum, omnes affectus vndecunque nascentes, supernæ rationis lege diiudicet.

*C Spiritualis.

De

De voluntate sensuali.

CAPVT III.

SEnsualis igitur voluntas, quam & carnalem possumus dicere, non erigitur supra eum motum, qui de corporis sensibus nascitur, qualis est in animis parvulorum: qui licet nullo iudicio rationis vtantur, ostendunt tamen aliquid se velle, cùm videndo, audiendo, odorando, gustando, tangendo, & ea quibus delectantur, amant: & ea quibus offenduntur, oderunt. * Quid autem est amare, nisi velle? * Aut quid est odisse, nisi nolle? Habent ergò etiam ipsi voluntatem suam, quæ * etsi providendi & consulendi impos atque ignara * sit, in his tamen amat agere, quæ carnis sensibus blandiuntur, donec vigor * rationalis ingenii per maturiora ministeria corporis excitetur, & ad famulantium sibi membrorum vsum, non alieno * motu, sed suâ lege moveatur.

In parvulis est tantùm voluntas sensualis.

*C. Quid est enim am.

*C. &.

* & * est c.

*C. rationabilis.

*C. nutu.

De voluntate animali: quâ nihil supra mercedem temporalis gloriæ acquiritur, etiamsi dono Dei in ea sublimiùs sapiatur.

CAPVT IV.

AB hoc ergò sensuali appetitu, in quo remanent hi, quos etiam in annis maioribus excordes videmus & fatuos, ad animalem surgitur voluntatem; quæ priùsquàm spiritu Dei agatur, etiamsi suprà sensualem motum sese attollere potest, tamen sine * sui amoris participatione in terrenis occiduisq;* versatur. In hâc humana etiam ingenia, si corporeæ voluptati non turpiter serviant, & cupiditates suas iustitiæ atque honestatis legibus temperent, nihil suprà meredem gloriæ temporalis acquirunt. Et cùm præsentem vitam decenter exornent, æternæ tamen beatitudinis præmium non habẽt, quia rectas actiones & bona studia sua, non ad eius laudem atque honorem referunt, à quo acceperunt vt * in ipsa animali discretione sublimiùs saperent, & excellentiùs cæteris enitescerent. Cùm enim quidam non solùm ad instituta vtilissimarum artium, & doctrinas liberalium disciplinarũ, sed etiam ad inquisitionem summi boni aciem mentis intenderint

*C summi.

*C S. Dei.

* C. versantur.

*Sine amore Dei nullum est verum meritum.

*Hæ voces, in ipsa animali discretione nõ sũt in C.

derint, & *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspexerint*: non agentes gratias tamen Deo, nec confitentes illum sibi esse huius facultatis autorem, sed *dicentes se esse sapientes*, hoc est, non in Deo, sed in semetipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem suis studiis atque rationibus propinquassent; *evanuerunt in cogitationibus suis*: & quod illuminante Dei gratiâ * invenerant, obcæcante superbiâ perdiderunt, relapsi à supernâ luce * ad tenebras suas, hoc est, ab incommutabili atque æterno bono ad mutabilem corruptibilemque naturâ. Cùm ergò tales in amorem sui recidunt, & ità sibimet placent, vt totum quod in se laudabile iudicant, non ad dona Dei referant, sed sibi vendicent, & studio propriæ voluntatis adscribant, procul ab illâ † spiritali * exulant voluntate, & nihil in se habent quo ad vitam provehantur æternam, incipientes in semetipsis etiam illa temporalia Dei dona corrumpere, à bono eorum vsu in consuetudinem innumerabilium transire vitiorum.

Rom. 1.2.

* C. invenerunt.

*. C. in.

† al. exultant.

* C. Spirituali.

Omnes gentes in elementis accepisse præcepta legalia, vt inexcusabiles sint in idololatriâ.

CAPVT V.

QVamvis enim scriptum sit, quod *cùm dispertiret excelsus gentes, quemadmodùm dispersit filios Adam, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei, & facta est portio Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel*: & scriptũ sit, Dominum dicere ad Israel: *Eritis mihi sancti, quia ego sanctus sum* DOMINUS *Deus vester, qui segregavi vos ab omnibus gentibus esse mihi*. Et quámvis scriptum sit in libro Hester, dicente Mardochæo, *Gratias tibi* DOMINE, *quoniam fecisti nova signa & prodigia, qualia non sunt facta in gentibus, dividens omne sæculum in sortes duas, elegisti vnam tibi populi tui, relinquens aliam gentibus*. Et Paulus & Barnabas dicant, *Et nos mortales sumus similes vobis homines annuntiantes vobis conuerti ad Deum vivum, qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*. Quamvis ergò hæc & multa similia veritatis scriptura pronunciet, secundam ipsam tamen credimus & piissimè confitemur, quod nunquam vniversitati hominum divinæ providentiæ cura

Deut. 32.8.

Levit. 19.

Hest. 16.

Ier. 70. Interp. Act. 14.4.

cura defuerit. Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen rationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit: vt propheticas voces & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Vndè & inexcusabiles facti sunt, quia Deos sibi Dei dona fecerunt; & quæ creata erant ad vtendum, venerati sunt ad colendum. *Providentia Dei erga omnes actiones.*

Quod absque divinâ gratiâ voluntas tanto citius propinquat iniquitati, quanto acriùs intenditur actioni, quia non in gloriam Dei vivit.

CAPVT VI.

IN quam impietatem etiam illa gens, quam sibi ab omnibus Dominus segrevavit, tota transisset, nisi misericordiæ suæ propositum sustentandis electorum lapsibus prætendisset. Nam plenæ sunt paginæ veteris testamenti de Israeliticæ defectionis relatu: vt apertè appareat, divinæ semper fuisse gratiæ, quod non omnis ille populus discessit à Domino. Ità humana natura in primi hominis prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei, semper in deteriorem est prolivior voluntatem, cui committi non est aliud quàm dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, infirma ad efficiendum, facilis ad audiendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quam virtutum avidior, famæ quam conscientiæ diligentior, & per omnem sui experientiam miserior fruendo his quæ concupiverit, quam carendo: nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem; quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tantò citiùs propinquat iniquitati, quanto acriùs intenditur actioni. Quamdiù ergò homini ea placent quæ Deo displicent, voluntas eius animalis est: quia etiamsi in bonis moribus agat, malè adhuc vivit, si non in Dei gloriam vivit. Hoc est enim proprium & præcipuum piorum, vt *in Domino glorientur*, nec se nisi in Deo diligant. Benè enim se amant, qui in se opera Dei amant. Nam & Deus hoc amat in nobis, quod ipse fecit: & hoc odit, quod ipse non fecit. Si ergò opus Dei amamus in nobis, bonam voluntatem rectè amamus in nobis *Infirmitas voluntatis humanæ.* *Necessitas gratiæ.*

Omnis voluntas bona à Deo est.

bis, quæ vtique si opus Dei non esset, amanda non esset. Quis autem homo (nisi malæ voluntatis * fuerit) bonam in se non * amat voluntatem, quæ superni agricolæ prima plantatio est? Dicente enim veritate, *Omnis plantatio quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur*: Quicquid non est eradicandum, manifestum est à patre esse plantatum. Bona autem voluntas, omnium virtutum germen est primum. Quæ innixa origini suæ, in illâ æternâ, & incommutabili voluntate requiescit, vt verè sit * spiritalis: quoniam *qui adhæret Deo, vnus spiritus est*, dùm per communionem illuminantis & illuminati, iustificantis & iustificati; regentis & subditi, omnis actio ad vnum refertur: & quod ad vnum refertur, vtriusq; est. Quia nec à Deo alienari potest quod dedit nec ab homine quod accepit.

** fuerit abest a C*

**C amet.*

Mat. 15.13

** Spiritualis.*

1.Cor.6.17

In homine, cum ad pietatem redit, non aliam in eo creari substantiam, sed eandem quæ fuerat labefactata, reparari, nec aliud ab eo auferri nisi vitium, priore voluntate correctâ.

CAPVT VII

HIc tractandum videtur: Vtrùm cùm bonę voluntatis esse homo incipit, eadem quæ in ipso erat corrigatur voluntas, an alia ei quam non habebat, & quæ priori repugnet, detur. Quod vt evidentiùs appareat, altiùs id non pigeat inquirere. Omnes homines in primo homine sine vitio conditi sumus, & omnes naturæ nostræ incolumitatem, eiusdem hominis prævaricatione perdidimus. Indè tracta mortalitas, indè multiplex corporis * animique corruptio, indè ignorantia & difficultas, curæ invtiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, iniusta gaudia, pœnitenda consilia, & non minor miseriarum multitudo quam criminum. His ergò atque alijs malis in naturam humanam irruentibus, fide perditâ, spe relictâ, intelligentiâ obcæcatâ, volũtate captivâ: nemo in se vndè repararetur invenit. Quia etsi fuit qui naturali intellectu conatus sit vitijs reluctari, huius tantũ tẽporis vitâ sterliter ornavit, ad veras autem virtutes æternamque beatitudinem non profecit. Sine cultu enim Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est; nec placere vllus Deo, sine Deo potest. Qui verò Deo non

Vitia naturæ ex peccato Adæ orta.

**C animæq;*

Nulla est virtus vera sine Dei cultu.

non placet, cui nisi sibi & diabolo placet? A quo cùm homo spoliaretur, non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est: quia nec detrudi ab innocentiæ statu posset, nisi voluntate peccaret. Quæ ergò natura erat bona, qualitate facta est mala, & ille animi motus, qui nunquàm potest sine aliquo — esse amore, hoc est, sine aliquâ voluntate, non perdidit appetitum, sed mutavit affectum; id recipiens desiderio, quod debuit refutare iudicio. Cùm igitur homo ad pietatem redit, Psal.77.39 de quo id eò dictum est, *Spiritus vadens & non rediens:* quia nisi illum Deus converteret, non rediret: non fit novum figmẽtum, novaq; creatura, non alia in eo creatur substantia, sed eadem quæ fuerat labefactata, reparatur. Nec aliud ab eo aufertur, nisi vitium quod natura non habuit.

Gratiam sic reparare opus Dei, vt liberum arbitrium non auferat: sed potiùs per ipsummet illud sanet.

CAPVT VIII.

FVit enim in Adam natura sine vitio, qui per voluntatis inobedientiam mala multa contraxit, & in posteros magis magisq; multiplicanda transfudit. Quæ vt vincantur atq; in nihilum deducantur, non efficit nisi gratia salvatoris, qui — opus suum opere suo reparat. Sicut enim dicit Ioannes A- *Naturam* 1.Ioan 3.8 postolus: *In hoc apparuit filius Dei, vt solvat opera Diaboli.* Et sic rũ- *sanat sola* Matt.3. pit vincula captivi, sic vestit nuditatem spoliati, sic sanat *gratia.* Luc. 10. vulnera sauciati: vt quod in ipso agit, etiam per ipsum geratur. Cui vtique contrà hostem suum non expedit sine protectore confligere. Cum illo enim habet certamen à quo aliquandò superatus est. Non ergò fidat † de viribus suis, quæ * *vox, Vt* etiam cùm essent integræ, non steterunt, sed per illum quæ- *non est in. C.* rat victoriam, qui solus non est victus, & omnibus vicit: Et si quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo se accepisse, Rom.8. quem quærit. Nec quia *Spiritu Dei agitur*, ideò se putet liberũ arbitrium non habere: quod ne tunc quidem perdidit, quãdò diabolo voluntate se dedit, à quo iudiciũ volũtatis depravatũ est, non ablatũ. Quod ergò non * interfectum est per vul- * *Ereptũ.* — nerantem, non tollitur per medentẽ; vulnus sanatur, non natura removetur. Sed quod in naturâ periit, non restituitur nisi ab authore naturæ.

Apud

Idem ca 26 cont. Coll.

Apud quẽ quod perdidit natura, non periit: æterna est enim sapientia, æterna veritas, æterna bonitas, æterna iustitia, omnium denique; virtutum lumen æternum est, totumq; quod virtus est, Deus est. Qui si non operatur in nobis, nullius possumus participes esse virtutis. Sine hoc quippè bono, nihil est bonũ: sine hâc luce, nihil est lucidum: sine hâc sapientiâ, nihil sanũ: sine hâc iustitiâ, nihil rectũ. Dicit enim per Esaiam Dominus, *Ego sum, ego sum* DEUS, *& non est præter me qui salvet*, & Hieremias: *Scio* (inquit) *Domine quia non in homine via sua, nec viri est vt dirigat iter suum.* Homo namq; mortalis damnata in Adam origine carnaliter natus, ad spiritualem novi generis dignitatẽ, nisi spiritu sancto regente, non pervenit. Sed nec vllo hanc desiderio appetit, qui calorem ipsius desiderij non accepit à Deo; de quo dicit Dominus: *ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi vt ardeat?* Ignis autem iste, dilectio est Dei; quam amator mundi corde captivo non potest cõcipere: plenus est enim amore vanitatum; quas etiã si potuerit ex aliquâ parte vitare, & transcensis temporalibus ac visibilibus ad æterna & invisibilia intelligendo profecerit; si à colendis quoq; simulacris recesserit, & venerari cœlum ac terrã, omniaq; mundi huius elementa destiterit; fidem tamen dilectionemq; Christi, conturbatus de eius ipsâ humilitate, non capiet; & scandalum Dominicæ nativitatis ac mortis, proprio iudicio non evincet.

Omnis virtus à Deo mana.

Isa. 43. 11. Ier. 10. 23

Luc. 12. 49.

Humana ratio non sufficit ad fidẽ Christi concipiẽdã.

Propter sapientiã enim mundi resistentẽ sapientiæ Dei, vt superbia præsumentium de se cæcaretur, *placuit* DEO *per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Vndè qui doctrinis secularibus tument, ridendam magis quàm adorandam crucẽ Christi æstimant: & quantò sublimiùs quisq; ad humanarũ disciplinarum instituta conscendit, tantò magis prædicationis nostræ humilia & infirma fastidit. Nec mirum si Evangelio crucis Christi philosophia obnititur, cui etiam Iudaica eruditio reluctatur. Nec docti igitur nec indocti, cuiuslibet stirpis aut ordinis, humanâ ratione ad Dominum ducuntur; sed omnis homo qui ad Deum convertitur, Dei primùm gratiâ commovetur: Non enim ipse sibi lumẽ est, nec cor suũ radio propriæ lucis accendit. Si enim B. Ioannes, quo nemo hominum maior natus est, *non erat lumẽ*, quia non suo splendore lucebat; sed de illo *vero lumine quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, vt lux esset, acceperat; quis ille erit qui tot opinionum colluctationes, tot vincula consuetudinis, tot præiudi-

1. Cor. 1. 21

Ioan. 1. 9.

iudicia vetuſtatis, ſuo tantùm iudicio abrumpat; & ſolâ voce extrinſecùs ſonante doctoris hoc tantùm de gratiâ habeat quod audivit, & totum de voluntate quod credidit? Quod ſi ità eſſet, nihil inter gratiam legemq́; diſtaret, nec indulgentiæ quemquam ſpiritus vivificaret, ſi occidens litera permaneret. Lex enim quod fieri aut non fieri iubet, non præſtat vt aut fiat aut non fiat; quoniam ſeveritati eius non libertate ſed ti-
Mat. 5. 17. more ſervitur. Dominus autem vt *legem non ſolveret ſed impleret*, per gratiæ auxilium efficax fecit legis imperium, & multiplicando clementiam ſuſtulit pœnam; vt peccatum non vlciſcendo plecteret, ſed remittendo deleret. Vndè adulteram ex legis conſtitutione lapidandam, & veritate liberavit & gratia; tùm exſecutores præcepti de conſcientiis territi
Luc 19. 11 trementem ream ſub illius iudicio reliquiſſent, qui *venerat quærere & ſalvum facere quod perierat*; & ideò *inclinatus*, id eſt, ad humana dimiſſus, & in opus noſtræ reformationis inflexus,
Ioan. 18. 6. *digito ſcribebat in terram*, vt *legem mandatorum* per gratiæ *decreta vacuaret*, & oſtenderet ſe eſſe qui dixerat; *Dabo leges meas in*
Ier. 31. 33. *ſenſu ipſorum & in corde ipſorum ſcribam eas*. Quod vtiq; quotidie facit, dùm cordibus vocatorum ſuam inſerit voluntatem, & ſtilo ſpiritus ſancti quicquid in animæ paginis diabolus invidendo falſavit. Cùm igitur verbum Dei per miniſterium prædicantium auribus carnis infertur; miſcetur operatio potentiæ dīvinæ cum ſono vocis humanæ; & qui incitavit evãgelizantis officium, audientis quoq́; firmavit affectũ Dulceſcit animæ cibus verbi; veteres tenebræ novâ luce pelluntur, & obtutus interior caligine antiqui erroris exuitur: transfit animus de voluntate in voluntatem: etſi illa quæ pellitur, aliquâ contagione remoratur; ea tamen quæ gignitur electiora quæq́; ſibi vendicat. Vt lex peccati, & lex Dei diverſas atque
Gal. 5. 17. diſcretas in eodem homine habeant manſiones: *& in concupiſcente carne adverſus ſpiritum carnis etiam concupiſcentijs ſpiritu repugnante* per exteriora quidem inſidiari tentator audeat, ſed mens auxilio Dei munita prævaleat. Ad magnam enim vtilitatem fidelium materia eſt reſervata certaminum, ſvt non ſuperbiat ſanctitas, dum pulſatur infirmitas. Vndè & Apoſtolus
2. Cor. 12. 7 dicit. *In magnitudine revelationum ne extollar, datus eſt mihi angelus Sathanæ qui me colaphizet. Propter quod ter* Dominum *cogitavi vt diſcederet à me: ſed dixit mihi ſufficit tibi gratia mea: nã virtus in infirmitate perficitur*. Quærat ergò Dominus imaginem ſuam, &

Sine gratiâ lex impleri non poteſt.

errantem ovem bonus pastor inveniat, nec dedignetur ægram diù in invio fatigatâ humeris suis ferre, & non revocando tantum, sed etiam portando salvare. Quærat Dominus imaginẽ suam, & omnium quæ in eam inciderunt sordium concretione detersâ speculum humani cordis enubilet. Scriptum est enim. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonnè tu qui solus es?* Quærat Dominus imaginem suam, vt in revelatione ac iustificatione eius gratia reformantis appareat, sicut in se factum Paulus Apostolus protestatur & dicit. *Erant autem ignoti facie Ecclesiis Iudeæ quæ erant in Christo; tantum auditum habebant, quod is qui persequebatur nos aliquandò nunc evangelizat fidem quam expugnabat, & in me clarificabant Dominum.* Sic ergò tunc Christianus populus didicerat, & illi primitivæ Ecclesiæ quorum *erat vnum cor & vna anima*, sic credebant; vt cùm viderent quempiam ad agnitionem veritatis ab errore conversum, glorificarent Dominum; & fidem correcti, confiterentur muneris esse divini. Ipse quoq; Dominus discipulos suos magistros omnium gentium sic docebat dicens. *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, magnificent patrẽ vestrũ qui in cœlis est.* Fixâ ergò hâc fide in cordibus nostris, immobiliterq; fundatâ; quâ saluberrimè credimus omnia bona, ac maximè ea quæ ad vitam æternam provehunt, Dei munere custodiri; puto quod pius sensus non debeat in eâ quæstione turbari; quæ de omnium & de non omnium hominum conversatione generatur: si ea quæ clara sunt, non de his quæ occulta sunt obscuremus, & dùm procaciter insistimus clausis, excludamur ab apertis, cùm sufficere debeat vt in eo quo pervenimus ambulemus. Quid enim mirum si quidam ad vitæ sacramenta non perveniunt de quibus dicitur *Ex nobis exierunt sed non erant ex nobis: Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Quorum similes sunt illi *qui profitentur Dominum scire, factis autem negant.* Nam cùm scriptũ sit, *omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit*, de quibusdam tamen Dominus ait. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Et, *multi mihi dicent in illa die Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc dicam illis. Nunquam novi vos: discedite à me operarij iniquitã-*

Iob. 14. 4.
Gal. 1. 22. Act. 4. 32.
Mat. 5. 16.
1. Ioan. 2. 19.
Tit. 1 16.
Rom. 7. 11.
Matt. 7. 21.

tatis? Tales non invocant nomen qui non habent *spiritum* adoptionis *filiorum in quo clamamus abba pater. Nemo autem potest dicere Dominum Iesum nisi in spiritu sancto, & quicunq; spiritu Dei aguntur hi filij Dei sunt.* Qui ad Dominum per Dominum veniunt & salvati volentes omninò salvantur, quia ipsum desiderium salutis ex Dei inspiratione concipiunt & per illuminationem vocantis, in agnitionem veniunt veritatis. Sunt enim filij promissionis, merces fidei, spirituale semen Abrahæ *genus electum, regale sacerdotium* præscitum & præordinatum
1. Pet. 2. 9. in vitam æternam, sicut testatur spiritus sanctus per Hieremiam Prophetam dicens.

Quod scriptura sive de bonis, sive de malis loquatur, sive de electis, sive de reprobis, ità meminit vnius partis, quasi neminem hominum prætermittat.

CAPVT IX.

Hier. 31. 31 *Ecce dies veniunt dicit Dominus; Et disponam domui Israel, & domui Iuda testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti: quia ipsi non perseveraverunt in testamento meo, & ego eos neglexi, dicit Dominus: quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos dicit Dominus, Dabo leges meas in sensu ipsorum, & in corde ipsorum scribam eas, & ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vnusquisq; proximum suum, & vnusquisq; fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quia omnes cognoscent me à pusillo eorum vsq; ad magnum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum memor non ero. Et dabo illis viam alteram & cor aliud, vt me timeant omnes dies in bonum ipsis & filijs eorum post eos, & constituam illis testamentum æternum, quod non avertam post eos: & timorem meum dabo in cor eorum, ne discedant à me, & visitabo eos, vt bonos eos faciam.* Per Isaiam quoque de gratiâ suâ Dominus, quâ ex
Hier. 32 in 70. *c. eriũtur.
Esa. 43. ōnibus hominibus novâ creaturâ facit, eadē prænũtiat, dicēs;
Esa. 45. *Ecce faciam nova quæ nunc * orientur, & cognoscetis ea, & faciam in deserto viam, & in siccâ terrâ flumina. Benedicent me bestiæ agri, sirenæ et filiæ struthionum, quod dederim in deserto aquam, & flumina in siccâ terrâ ad potandum genus meum electum, populum meum quem* * C. me metipsum.

mihi acquisivi, vt enarrent virtutes meas. Et iterùm: *Per meipsum iuro, nisi* * *exibit de ore meo iustitia, & verba mea non avertentur, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo.* Si ergò impossibile est ista non fieri, quia nec incerta præscientia Dei est, nec mutabile consilium, nec inefficax voluntas, nec falsa promissio, omnes isti de quibus hæc prædicta sunt, sine cuiusquam exceptione salvantur. *Dat enim leges suas in sensum ipsorum, easque in cordibus eorum digito suo scribit,* vt agnitionem Dei, non doctrinæ humanæ opere, sed magisterio summi eruditoris accipiant. Quia *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Omnes hi *à pusillo vsque ad magnum cognoscunt Deum,* * quia vt venirent ad Christum *à patre audierunt atque didicerunt;* omnes educti ab errore diriguntur in viam vitæ, omnibus corde mutato recta sapere & recta velle donatur, omnibus timor, quo in mandatis Dei *eruditantur, inseritur *Fit in deserto via, & terra arida flumin.bus irrigatur,* vt qui priùs ad confitendum Deum, os non aperiebant, & velut muta atque irrationabilia animalia in feritatem transierant bestiarum divinorum eloquiorum fontibus mundati, benedicunt & laudant Deum, enarrantes virtutes & mirabilia misericordiæ eius, qui elegit eos, & in filios adoptavit, ac novi testamenti fecit hæredes. Si autem (vt Apostolus loquitur) *hominu confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat,* quomodo fieri potest, vt ex vllâ parte, divina promissio resolvatur? Manet prorsùs & quotidiè impletur quod Abrahæ Dominus sine conditione promisit, sine lege donavit. Quia etsi quidam quibus hæc * prædicata sunt, non crediderunt, *incredulitas * eorum fidem Dei non evacuavit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et illi quidem qui audito Evangelio credere noluerunt, inexcusabiliores facti sunt, quam si nullum præconium veritatis audissent. Sed certum est, eos apud præscientiam Dei Abrahæ filios non fuisse, nec in illorum sorte numeratos, de quibus dictum est *Benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ.* Credituros enim promisit qui dixit. *Et non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quia omnes cognoscent me à pusillo eorum vsque ad magnum.* Reconciliandos promisit, qui dixit. *Propitius ero iniquitatibus eorum & peccatorum eorum memor non ero.* Obedituros promisit qui

* exibit.

Deus dat vera sapere & velle.

* C custodiantur.

* C. prædicta.

* C. tamen add.

1. Cor. 3. 7.

Galat. 3. 15

Rom. 3. 3.

Gen. 26. 31. 34.

qui dixit. Dabo illis viam alteram & cor aliud, vt timeant me omnes dies. Perseveraturos promisit qui dixit, *Timorem meum dabo in*
Phiſp. 2. 11 *cor eorum ne discedant à me ; & visitabo eos, vt bonos eos faciam.* Postremò, omnes sine cuiusquam exceptione* promisit qui dixit, *Per me ipsum iuro, nisi * exibit de ore meo iustitia, & verba mea non avertentur, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua* Deo. Hic si dicamus non fieri quod Deus iuravit esse faciendum, falsitatem Deo (quod absit) & mendacium ascribimus veritati. Si autem, vt pietas fidesque persuadent, Dei verba non excidunt, & fit omninò quod statuit: quomodò nobis veracis promissionis firmitas apparebit, cùm multa adhuc hominum millia dæmonijs serviant, & idolis genu flectant? Nisi huiusmodi denuntiationes Dei secundùm illam incommutabilem scientiam editas noverimus, in quâ apud illum iam vniversitas humana discreta est, & sive de bonis sive de malis loquatur, ità vnius partis meminit, quasi neminem hominum prætermittat. Nam cùm dicit Apostolus, *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova* ; nunquid non omnes homines videtur dixisse renovatos? Aut cùm dicit: quia *in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipsum reconciliari omnia in ipso*; nunquid non ità loquitur, quasi neminem velit * exortem huius reconciliationis intelligi? Aut cùm ait *novissimis istis diebus locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniversorum:* nunquid aliud sonat forma * sententiæ, quam omnes homines in Christi hæreditate à patre esse transscriptos, secundùm prophetiam David dicentis: *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ?* Dicente* enim Domino: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me* nonne vniversorum videtur promissa conversio? Aut cùm de Ecclesiâ prophetatur & dicitur: *Omnis vallis replebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas:* nunquid vllus hominum videtur omissus, qui non significatus sit Christo esse subdendus? Quid cùm dicitur, *Et venit omnis caro in conspectu meo, vt adorent in Hierusalem, dicit* Dominus? Aut illud. *Et erit in diebus illis. Effundam de spiritu meo super omnem carnem*? Aut illud: *Allevat* Dominus *omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos* Nunquid non pronuntiatum est quasi ab hoc Dei munere nemo discretus sit? Habet ergò populus Dei plenitudi-

* Forte sibi obsecuturos. * C. Eniet. Vide Rom. 14.

Scriptura loquitur de parte quasi de toto.

† C. exterrè.

* C. scientia.

* autem C.

2. Cor. 5. 17
Coloſ. 1. 19
Heb. 1. 2.
Pſal. 2. 8.
Ioan. 12. 32
Eſai 40. 4
Eſa 66. 18
Ioel 2. 2. 8
Pſal. 144. 14.

nem suam: & quamvis magna pars hominum, salvantis gratiam aut repellat aut negligat, in electis tamen & præscitis, atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur universitas, vt de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti. Sicut etiam cùm de impijs sermo est; ità locutionem suam divinus stylus ordinat, vt ea quæ de quâdam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur, veluti est illud quod ait Ioannes Baptista: *Qui de cælo venit,* Ioan. 3.32. *super omnes est, quod vidit & audivit, testificatur, & testimonium eius nemo accipit.* Aut illud Apostoli. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Philip. 2.21 Aut illud quod Psalmus Davidicus canit: *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum: Omnes declinaverunt, simul inutiles sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad* Psal. 13. 3. *vnum* His igitur & aliis documentis quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri, non dubiè demonstratur, interdum & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominum omnes homines nominari. Quorum tamen discretionem plerunque scriptura citò aperit, vt sensus legentis ab vniversitatis appellatione ad partem quæ intelligenda est, transferatur. Sicut est illud Apostoli dicentis: *Prædicamus* 1.Cor.1.23 *Iesum Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis vero vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Nunquid ipsis Christus virtus quibus scandalum, aut ipsis sapientia quibus stultitia? Sed quoniam quidam ex * eisdem, iustificabuntur fide: quidam autem suâ impietate * obdurabuntur: vnum credentium & non credentium genus sub vocatorum appellatione discrevit, vt quos à fide significabat alienos, eos quamvis audissent evangelium, ostenderet vocationis extraneos.

† C. ipsis.
† iustificabantur.
† obdurabantur.

Quod

Quod ſcriptura de electis & reprobis eiuſdem populi loquitur tanquam de iiſdem.

CAPVT X.

HAc * regulâ per Eſaiam promittitur ſermo divinus, dicens † *Educam cæcos in viam quam non noverunt, & ſemitas quas neſciunt calcabunt. Et faciam illis tenebras * illuceſcere, & prava in directum. Hæc verba faciam, & non derelinquam eos.* Sed quod ſequitur: *Ipſi autem converſi ſunt retrò*, ad partem quandam generis ipſorum referendum eſt, non ad eos de quibus ait: *non derelinquam eos.* Iterùm dicit Dominus ad Iacob: *Noli * metuere, quia tecum ſum, Ab oriente adducam ſemen tuum, & ab occaſu colligam te. Dicam Aquiloni, adhuc: & Africo, noli vetare, adhuc filios meos de terrâ longinquâ, & filias meas à ſummo terræ, omnes in quibus vocatum eſt nomen meum. In gloriam enim meam paravi illum, & finxi & feci illum.* Quod autem ſequitur: *Et produxi plebem cæcam & oculi eorum ſunt cæci, & ſurdas aures habent:* non poteſt eis vllâ ratione congruere, quos in gloriam ſuam paraſſe ſe dicit. In his quippè omnibus verbis quæ de vno hominum genere dicuntur, aliis perſonis priora, aliis poſteriora conveniunt. Apud Apoſtolum quoque quod in parte populi agitur, ſub totius populi nuncupatione narratur, & in * reliquis plenitudo cenſetur. Cùm enim de Iudæorum obcæcatione diſſereret, & quoſdam ex ipſis gratiâ ſalvos fieri demonſtraret, Dico ergo, inquit, *Nunquid * repulit Deus populum ſuum? Abſit.* Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham de tribu Beniamin. *non * repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit.* Plebs ergò præſcita, plebs non repulſa, hi ſunt qui in Chriſto iuſtificati ſunt. Et quod de omni Iſraele dici videtur, in his tantùm quos ſibi gratiæ electio reliquos fecit, oſtenditur, ſicut ſequentia Apoſtolici ſermonis enarrant. Adiungit enim & dicit. *An neſcitis in Eliâ quid dicit ſcriptura, quemadmodum interpellat Deum adversus Iſrael: Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi reſponſum divinum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt † genu Baal. Sic ergò*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ † per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia.* Non ergò omnis Iſrael re-

Eſa. 42.16

Eſai. 43.15

Rom. 11.1.

† *Hanc regulam* C.
† *ducam* C.
† *in lucē* C.
† C. *timere.*
† C. *occidente.*
† C. *reliquus.*
* C. *repellit.*
† C *repellis.*
† C. *genuā ante Baal*
† *ſecundū.*

† c. volunt deest. † Illuminatione. reprobatus, nec omnis electus est, sed partem cæcitas * voluntaria avertit, partem sibi * illuminatio gratuita reservavit, & tamen ità de eis sermo habetur, vt in his qui pereunt, & in his qui salvi fiunt, nulla totius generis videatur facta discretio. Nam cùm legitur, *Secundùm evangelium quidem inimici propter vos, secundùm electionem autem * dilecti propter patres:* ità locutio sonat, tanquam eosdem dicat dilectos, quos dixit inimicos. Sed hanc caliginem Apostolus ipse detersit dicendo; *Quia cæcitas ex parte in Israel contigit*, vt vnũ genus in duas species intelligeremus esse divisum, & omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Israelem non semper ad vniversitatem, sed plerunque ad partem esse referendum.

* c Dei add.

Quod scriptura de diversorum temporum hominibus loquitur, quasi de eiusdem temporis generatione.

CAPVT XI

INter has autem formulas locutionum, etiam illam in scripturis dictionem debemus advertere, quâ id quod ad diversorum tẽporum homines pertinet, ità † promittitur, quasi de vnâ eiusdem ætatis generatione dicatur. Sicut est quod Sanctus Petrus Apostolus scribens sui & futuri temporis gentibus, ait, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annũcietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti* Nunquid cùm prædicarentur hæc, adhuc illi homines permanebant, *quos omnes Deus in præteritis generationibus dimiserat ingredi vias suas*, & iidem ipsi qui priùs traditi fuerant voluntatibus suis nunc de tenebris in lumen admirabile vocabantur? Nonnè illi iam defecerant, iam in hoc mũdo non erant? Nec ab errore ad veritatem reditus olim mortuis suppetebat? Et tamen quod post multa secula * gratia in posteris impiorum † sit, loquendi consuetudo perstrinxit, vt ipsi videantur nunc eligi, qui priùs fuerant derelicti. Pertinent autem hæc non ad eosdem homines, sed ad eiusdem * gentis homines, & vocatio quæ illuxit prope mundi finem, ad præteritam non recurrit ætatem. Ità modo * quodam & ipsi & non ipsi sunt, de quibus & quibus ista dicuntur, dùm in aliquo * speciali à generalibus non dividuntur, in aliquo verò à communibus separantur.

† c. promittur rect. 1. Pet. 2. 16. Act. 14. 15. † c. c. agebat add. † c. sic loq. † c generis. † c. quidem. † c speciali.

Quod

Quod illud Apostoli: Vult omnes homines salvos fieri: *de omni genere hominum intelligitur.*

CAPVT. XII.

SEd cùm legerint hæc vel audierint qui amant calumnioſa certamina, dicent nos per huiuſmodi diſputationes Apoſtolo contradicere † diffinienti quod *Deus omnes homines velit ſalvos fieri, & † in agnitionem veritatis venire.* Quam particulam verborum Apoſtoli, ità nos integrè pleneque ſuſcipimus, vt nihil ei de præcedentibus ſive ſubiectis, quæ ad ipſam pertinent, ſubtrahamus. Quoniam vt cætera divinorum eloquiorum teſtimonia ſequeſtremus, hic locus ſufficit ad evacuandum quod calumnioſè obiiciunt, & ad defendendum quod impiè diffitentur. Scribens itaque ad Timotheũ † Paulus Apoſtolus, ait: *Obſecro igitur primò omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram † ſalutari noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & † in agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* De hac ergò doctrinæ Apoſtolicæ regula, quâ Eccleſia vniverſalis imbuitur, ne in diverſum intellectum noſtro evagemur arbitrio, quid in ipſa vniverſalis Eccleſia ſentiat, requiramus; quia nihil dubium eſſe poterit in præcepto, ſi obedientia concordet in ſtudio. Præcepit itaque Apoſtolus, imò per Apoſtolum Dominus qui loquebatur in Apoſtolo, *fieri obſecrationes & poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, ac pro his qui in ſublimitate ſunt.* Quam legem ſupplicationis ita omnium ſacerdotum, & omnium fidelium devotio concorditer tenet vt nulla pars mundi ſit, in qua huiuſmodi orationes non celebrentur à populis Chriſtianis. Supplicat ergò vbique Eccleſia Deo non ſolùm pro ſanctis & in Chriſto iam regeneratis, ſed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Chriſti, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Chriſtum in membris † ipſius perſequuntur, pro Iudæis quorum cæcitati lumen Evangelij non refulget, pro hæreticis & ſchiſmaticis, qui ab vni-

1. Tim. 2. 4. — Cap. 4. — *C. definiti. ii. — † C. ad. — * C. magiſter gentiũ. add. — Ibidem. — * C ſalvatore. — * C. ad. — Eccleſia orat pro omnibus. — * C. ſuis.

vnitate fidei & charitatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi vt relictis erroribus suis convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem; & de ignorantiæ tenebris liberati, in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipsi præstare sibi nequeunt, malæ consuetudinis pondere oppressi, & diaboli vinculis alligati, neque deceptiones suas evincere valent, quibus tam pertinaciter inhæserunt, vt quantùm amanda est veritas, tantùm diligant falsitatem: misericors & iustus Dominus pro omnibus sibi vult hominibus supplicari, vt cùm videmus de tàm profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præstitisse, quod vt præstaret oratus est: & gratias agentes pro his qui salvi facti sunt, speremus etiam eos qui † nondùm illuminati sunt, eodem divinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarum,* vt in regnũ Dei priusquàm de hac vita exeant, * transferantur.

Deus vult orari pro omnibus.

*C. necdũ.
*C. & *C. transferendos.*

Secreti illius profunditas, quo Dei salvantis gratia aliquot pro quibus Ecclesia orat, præterit, nobis in hac vita patere non potest.

CAPVT XIII.

Quòd preces Ecclesia non examinãtur pro omnibus ad occulta Dei iudicia referendum.

QVod si aliquos (sicut videmus accidere) salvantis gratia præterierit, & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ iustitiæ iudicia referendum, & agnoscendum * est secreti huius profundit atem nobis in hac vita patere non posse. *Ex parte enim scimus, & ex parte prophetamus, & videmus nunc per speculum in ænigmate.* Nec sapientiores aut scientiores beatissimo Apostolo sumus, qui cùm de gratiæ potentiâ disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arcanum, iis quę * impossibile erat enarrare, succubuit. Cùm enim dixisset: *Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc vt non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte in Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret. sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eruat & avertat impietates ab Iacob, & hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum, Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos secundum electionem verò dilecti propter patres Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. Sicut enim aliquandò & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem, ita & isti nunc*

*C. finem est.
C. impossibilia erant enarrari.

1. Cor. 13. 12.

Rom. 11. 25 Isa. 59. 20.

nunc non crediderunt, in vestrâ misericordiâ vt & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus *omnia in incredulitate; vt omnium misereatur.* Cùm ergò hæc divinorum operum mysteria suprà mensuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis suæ profudisset excessu, totam expositionis rationem transtulit ad stuporem, & admirator eorum quæ protulerat, exclamavit & dixit: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ* Dei, *quàm incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum* Domini, *aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.* Præmissa enim docentis assertio locum dabat multimodæ quæstioni, vt variæ per tot populos ac tempora gratiæ Dei causa quæreretur, Cur scilicet anterioribus seculis dimissę essent omnes gentes ingredi vias suas, vno tantùm Israele (qui diuinis eloquiis eruditur) excepto, & ad cognitionem veritatis electo, cuius infidelitas locum tandem salvandis gentibus fecerit, tãquàm si vnus populus in fide sui generis permaneret, misericordia Dei cæteris sę nationibus præstare non posset. Cur denique ipsi quorum diminutio salus * gentibus est, ab obcæcatione suâ non liberentur priusquàm ingrediatur gentium plenitudo, quasi illuminari cum omnibus nequeant, qui omnes factâ omnium gentium adoptione salvandi sunt? Aut quomodò omnis Israel sublatâ obcæcatione salvandus sit, cuius innumerabilis multitudo in sua infidelitate deficiens, ad tempora * salvandis promissa non pervenit? vel quomodò ipsarum * gentium (quarum priùs non est facta vocatio) dicatur nunc ingredi plenitudo, cùm * tot promiscuę ætatis & conditionis hominum millia in omnibus nationibus quæ sunt sub cœlo, sine Christi iustificatione moriantur? Sed horum mysteriorum iudiciorumque causas piùs & doctus magister maluit ad altitudinem divitiarum sapientiæ Dei scientiæque suspendere, quam iustissimæ veritatis & misericordiæ bonitatis subtractum ab humana * cognitione secretum temerariâ inquisitione discutere, nihil omittens de his quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de his quæ non licet sciri.

Rom. 11. 33

Act. 14. 15.

Rom. 11.

*C. gentiũ.

*C. salutis.

*C. contra

*C. conditione.

Multa esse in dispensatione operum divinorum, quorum causis latentibus, soli monstrantur effectus

CAPVT XIV.

* C. diuinorũ operũ.

MVlta enim sunt in dispensatione * operum divinorum, quorum causis latentibus soli monstrantur effectus, vt cùm pateat quod geritur; non pateat cur geratur, negotio in medium deducto, & in occultum ratione subductâ, vt in eadem re & de inscrutabilibus præsumptio comprimatur, & de manifestis falsitas refutetur. Neque enim si nescio cur ille Græcus creetur, hic barbarus, ille in divitiis, ille in egestate nascatur: hunc valida proceri corporis pulchritudo sublimet, illum debilium membrorum exilitas contracta deformet, iste à catholicis editus, in veritatis cunabulis nutriatur, ille hæreticorum progenies, cum ipso lacte matris hauriat virus erroris; si deniq; mille alias differentias in habitu corporum, in qualitatibus animorum, in conditione temporum, in more regionum diiudicare non possum: ideò quod omnium horum Deus sit conditor atque ordinator ignoro. Qui vtique singulorum hominum ita & corpora creavit & spiritus, vt præter illam secuturam ex vniuscuiusque studio voluntariam diversitatem, ipsa conditionis exordia dissimilimâ numerositate variaret. Turbarent autem nos, & in diversum distraherent multæ vaniloquorum opiniones qui de incognoscibilibus * devenire in inconvenientia præsumpserunt, & has originales inæqualitates fatis (quæ nulla sunt) & sideribus deputarunt, nisi certissima notitia teneremus, Deum creatorem de elementis naturalibus provt vult vas vnumquodque formare, & vnam naturam animarum, & vnam naturam corporum, placitis sibi temperare mensuris. Quæ vtique opera Dei humanæ intelligentiæ * cognoscibilia * essent, si innotescere debuissẽt; & manifestaretur cur ita quidquid fieret nisi quod ita * fieret, scire sufficeret. Dicit DOMINUS ad Moysen. *Quis dedit os homini, & quis fecit mutum & non audientem, videntem & cæcum? nonne ego* DOMINUS *Deus?* Et per Esaiam, *Nonne ergò* * *fœcundum & sterilem feci, dicit* DOMINUS? in libro Ecclesiastico legitur. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Et Iob dicit; *Abundant tabernacula prædonum, & audacter, provocant*

Dei consilia abscondita.

Hominum originales differentias ordinat Deus occulto iudicio.

* C. definire inconvenientia.

* C. non subtraherentur si

* C. fieri.

Exod. 4.11.

* C fœcundum.

Isa. 66.9.

Eccl. 11.14.

Iob. 12.6.

vocant Deum, *cùm ipse dederit omnia in manibus eorum.* Et idem de omnium rerum humanarum profectu & defectu disputans, omnesque mutationes ad iudicia referens. *Apud ipsum est* (inquit) *sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui ædificet; si incluserit hominem, nullus est qui aperiat: Si continuerit aquas, omnia siccabuntur; si emiserit eas, subvertent terram. Apud ipsum est fortitudo & sapientia: ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur; adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem, Baltheum regum dissolvit, & præcingit funem renes eorum.* Ducit *sacerdotes* * *inglorioſos, & optimates supplantat, commutans labium veracium & doctrinam senum auferens, effundens despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant, relevans. Qui* * *relevat profunda de tenebris & producit in lucem umbram mortis. Qui multiplicat gentes & * perdit eas, & subversas in integrum * restituit. Qui immutat cor principum terræ, & * decipit eos vt frustra incedant per invium. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.* Et iterùm idem dicens voluntatem Dei irritam esse non posse: *Ipse enim* (inquit) *solus est & nemo avertere potest * cognitionem eius: & anima eius quod cumque voluerit, hoc fiet.*

* C. inglorios.

* C. revelat.
* C. perdet.
* C. restituit.
* C. decipiet.
* C cogitationes.

Ibidem 16.

Iob. 23. 13.

Quod pars hominum liberatur, ascribi non potest meritis voluntatum: veluti bonos elegerit gratia, malos præterierit.

CAPVT XV.

LIberatur pars hominum, parte pereunte: & si hoc voluntatum meritis * velimus ascribere, vt malos neglexisse gratia, bonos autem elegisse videatur, resistet nobis innumerabilium causa populorum, quibus per tot secula, nulla cœlestis doctrinæ annunciatio coruscavit: Nec meliores fuisse eorum posteros possumus dicere, quibus scriptum est; *Gentium populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam, & sedentibus in tenebris & vmbra mortis: lux orta est illis.* Et ad quos Petrus Apostolus dicit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocavit in tam admirabile lumen suum; qui quondam non populus, nunc autem populus Dei, quorum aliquando non est misertus, nunc autem miseretur.* Non ergò meritis minorum tribuitur quod non meruêre maiores. Par enim impietas & patres accusabat

* C. voluerimus.

Isa. 9. 1.

1. *Pet.* 2. 9.

Cur Deus quorundam misereatur, & quorundam nõ misereatur, occultum est.

cusabat & filios, eademque ignorantiæ cæcitas omnes simul in eosdem mergebat errores. Sed cur illorum non misertus & horum sit misertus Deus, quæ scientia comprehendere, quæ potest investigare sapientia? Latet discretionis * ista ratio, sed non latet ipsa discretio. Non intelligimus iudicantem, sed videmus operantem. Quid calumniamur iustitiæ occultæ, qui gratias debemus misericordiæ manifestæ? Laudemus & veneremur quod agitur, quia tutum est nescire quod tegitur.

* C. iustus

Ex eo quod parium parvulorum alij ad æternam vitam, alij ad mortem æternam ante intelligentiæ vsum hinc migrent, ostenditur inscrutabilitas diuinorum iudiciorum.

CAPVT XVI.

Iudicium Dei inscrutabile in discretione parvulorum

REspice autem & ad vniversalem multitudinem parvulorum, in quibus excepto illo, quo in damnationem nascitur gens humana, dilecto, nec, præterita possunt merita, nec futura censeri. Omnes enim de quibus nunc loquimur, antè vllum intelligentiæ vsum, ante liberum voluntatis arbitrium, alij ad æternam beatitudinem regenerati, alij ad perpetuam miseriam transeunt non renati. Si originalem culpam fateris, omnis numerus in reatu est. Si moralem innocentiam quæris, omnis summa sine vitio est. Non invenit quod discernat humana iustitia, sed habet quod eligat inenarrabilis gratia Dei.

* C. excelsi rect.

In abscondito est consilium, sed non latet donum; opus * erexit pietas, causam obscurat potestas. Sed tam indubitabile est quod non videtur, quàm quod videtur, quia autori manifesti operis, negari confessio etiam * incognitæ non potest æquitatis.

* C ignota.

Ex impiis qui in extremis conversi salvantur, ostenditur & gratia sine meritis dari, & inscrutabile esse Dei iudicium.

CAPVT. XVII.

QVod si & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitiis & sceleribus ætatem, sacramento baptismatis Christi in ipso vitæ renovantur, & sine vllo suffragio bonorum operum in regni cœlestis consortium transferuntur, quo intellectum divinum iudicium comprehendes? nisi

nisi vt indubitanter agnoscas gratuita esse Dei munera: & sicut nulla sunt tàm detestanda facinora, quæ possunt gratiæ arcere donum, ita nulla posse tam præclara opera existere; quibus hoc quod gratis tribuitur; per retributionis iudicium debeatur. Vilesceret enim redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogativa succumberet, si iustificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt non munus largientis, sed merces esset operantis. Vndè autem † posset probari, quod ad evacuandum originale peccatum nulla idonea esset industria: nisi & impij & facinorosi, per lavacrum Christi assumerentur in regnum, agnoscerentque qui in suâ iustitiâ gloriantur, quàm nihil dignum agere possint adoptione filiorum Dei, si ad regenerationis non † perveniunt sacramentum, cum eadem quâ sceleratissimi peccatores conditione teneantur, pares futuri in sanctificatione, si † affuerit † regeneratio, simul perituri, si cessaverit ablutio. Si ergò etiam ex nequissimis in ipso vitæ exitu gratia invenit quos adoptet, cùm tamen multi etiam qui minus nocentes videntur, doni huius alieni sunt: quis hoc aut sine dispensatione Dei fieri, aut sine profundâ dicat æquitate decerni? Quod vtique non ideo iniquum est quia occultum est, sed ideò æquum est, quia iudicium Dei esse non dubium est. Quod enim ab illius pendet arbitrio, quâ sententiâ iudicari debeat priusquàm iudicetur, incertum est. Cùm autem res ad finem suum venerit, nemini liberum est de exitu conqueri; quia certissimum est, nihil aliter Deum facere debuisse quam fecerit. Qui multimodæ vocationis varietatem, ad vnam gratiam pertinentem etiam illa regula Evangelicæ comparationis astruxit, quâ ostendit patremfamilias diverso tempore conducentem operarios vineæ sub pactione denarij † quo vitæ æternæ significatur æqualitas. Vbi sine dubio hora vndecima intromissi in vineam, totius diei operariis † exæquati, istorum, de quibus nunc loquimur; præferunt sortem, quos ad commendandam gratiæ excellentiam in defectu diei & conclusione vitæ, divina indulgentia † numeravit, non labori pretium solvens, sed divitias bonitatis suæ in eos, qui s sine operibus elegit effundens, vt etiam hi qui in multo labore sudarunt, nec ampliùs quàm novissimi acceperunt, intelligant, donum se gratiæ non operum accepisse mercedem. Vndè si & nos adversum patremfamilias murmuremus, eo quod

Gratia non datur ex meritis.

† C. *posset.*

† c *pervenerint.*

† c. *adfuit miseratio.*

Quod Deus quosdam facinorosos convertat in ipso vitæ exitu aliis minus malis derelictis inscrutabile est.

† c. *deest totum illud quo. v. et s. æqualitas.*

† c *aggregati.*

† c. *numerator.*

† c *Vocatis totius diei operariis exæquentur.*

noviſsimè † vocati totius diei operariis coæquentur, nec amplius multa opera quàm penè nulla mereantur, dicetur nobis quod vni eorum reſponſum eſt : *Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conveniſti mecum ? Tolle quod tuum eſt & vade. Volo autem & huic noviſsimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi de re mea facere quod volo ? Aut oculus tuus nequam eſt quia ego bonus ſum ?* Matt. 20. 13. Certè huic calumniatori iniuſta videbatur hæc largitas, & quid eruditionis retulit ? quid rationis accepit ? non eſt ei diſpenſationis huius revelata iuſtitia, nec ad inſpectionem ſecreti latentis admiſſus eſt, ſed vt à diſcutiendis Dei iudiciis abſtineret, oppoſita eſt ei bonitas miſerantis, & volentis poteſtas, quaſi illi & ab Apoſtolo diceretur : *O homo, tu quis es qui reſpõdeas Deo ? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit. Quare me feciſti ſic?* Rom. 9. 20.

Gratia, ſine qua bona merita eſſe nequeunt, non accipitur à quoquam niſi ex Dei voluntate, ſine meritis.

CAPVT XVIII.

† c *Gentis & add.*

OMnibus ergò hominibus cuiuſlibet † generis, cuiuſlibet conditionis & ætatis, cauſa percipiendæ gratiæ voluntas Dei eſt, apud quam ratio electionis abſcondita eſt, ab ea gratia incipientibus meritis quam accepére ſine meritis. Quæ ſi poſſent bona eſſe ſine gratia, non diceretur : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum* : Et, *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis* : ſed diceretur : Niſi quis fuerit iuſtus & bonus, beatus in æternum eſſe non poterit. Nec opus eſſet per aquam & ſpiritum renaſci, ſi per mandatum ſufficeret erudiri. Et evacuaretur fides, quæ credit per baptiſmum omnia peccata dimitti, ſi gratia non malis & impiis, ſed bonis & rectis doceretur impendi. Origo itaque veræ vitæ, veræque iuſtitiæ in regenerationis eſt poſita ſacramento, vt vbi homo renaſcitur, ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur. Et † incipiunt ad perpetuam gloriam proficere per fidem, qui vix ad temporalem vanæ laudis poterant pervenire mercedẽ. Sive enim rudæus legis ſcientia tumens, ſive Græcus ſtudio ſapientiæ naturalis inflatus, priuſquàm iuſtificetur per fidem Chriſti, concluſus eſt ſub peccato : Et ſi in ſua † infelicitate perſtiterit ; ira Dei manet ſuper eum, illa ſcilicet

Gratia principium omnis meriti.

Ioan. 3. 5.

Ioan. 6. 54.

Fides eſt initium boni.

† *Et incipiant c.*

† *Infidelitate c.*

in

in Adæ prævaricatione contractâ, de qua Apostolus loquitur dicens: *Et vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquandò ambulastis secundùm seculum mundi huius, secundùm principem potestatis aeris huius, Spiritus qui nunc operatur in † filios diffidentiæ, in quibus & nos aliquandò conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ sicut & cæteri.* Et iterùm: *Qui eratis illo tempore sine Christo alienati a conversatione Israel, & hospites testamentorum promissionis spem non habentes, & sine Deo in mundo.* Et iterùm; *Eratis aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et iterùm; *Gratias agentes Deo Patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris & potestate tenebrarum & transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Et iterùm; *Eramus enim & nos aliquandò insipientes, incredduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit salvatoris nostri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis † spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Salvatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.*

Ephes. 2. 8.

† C. filijs

Ibidem. 12.

Eph. 5. 8.

Coloss. 1. 12.

Tim. 3. 3.

† C. renovationis add.

Qualis sit natura sine gratia.

CAPVT XIX.

ET vt brevissimè pateat, qualis sit natura humana sine gratia, dicat Iudas Apostolus, quid agat vel ignorantia imperitorum, vel doctrina sapientium: *Hi autem (inquit) quæcunque quidem ignorant, blasphemant: quæcunque autem naturaliter † vt muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Dicat etiam sub verbis Zachariæ Evangelista Lucas, ante illuminationem gratiæ in qua humanum genus nocte versetur, & de quibus † C. autem. ignorantiæ tenebris Dei populus eruatur. *Et tu (inquit) puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius ad dandum scientiam salutis populo eius, in remissionem peccatorum ipsorum, propter viscera misericordiæ Domini in quibus visitavit nos oriens ex alto, lucere his qui in tenebris & in umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

V. 10.

† C. volut bruta.

Luc. 1. 76.

Viscera misericordiæ Dominus ad omnium nationum impendit salutem omnesq; salvat: & tamen etiam verum est, quod testimonium eius nemo accipit.

CAPVT XX.

HÆc autem viscera misericordiæ dominus non ad vnius tantùm populi redemptionem, sed ad omnium nationum impendit salutem dicente Evangelista: *Quia Iesus * moriturus erat pro gente, non tantùm pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum.* Hoc enim agit illa vox Domini, quæ per quandam pietatis tubam toto terrarum orbe relonantem, homines & invitat & convenit. Nam cùm dixisset: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic beneplacitum est ante te* addidit: *Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi filius, & cui voluerit filius revelare.* Et deindè adiecit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve est.* Ioannes verò Baptista in Evangelio Ioannis Prophetico spiritu protestatur dicens: *Qui de cœlo venit super omnes est, quod vidit & audivit, testificatur, & testimonium eius nemo accipit. Qui accipit testimonium eius significavit quoniam Deus verax est.* Igitur quantùm attinet ad humani generis cæcitatem, longâ ignorantiæ & superbiæ nocte contractam, venit in hunc mundum creator mundi, & *mundus eum non cognovit; Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Qui super omnes est, quod vidit & audivit testificatur, & testimonium eius nemo accipit.* Sed quia non frustrà Deus Dei filius venit in mundum, & dedit semetipsum pro omnibus, mortuus est, non tantum pro gente, sed etiam vt *filios Dei dispersos congregaret in vnum*, & vniversis dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*, & servato sibi cognoscibilis electionis arbitrio, dat sui patrisque notitiam, quibus † eum voluerit revelare. Omnes filij lucis, filij promissionis, filij Abrahæ, filij Dei, genus electum, regale sacerdotium, veri Israelitæ, præcogniti & prædestinati in regnum Dei (qui eos vocavit non solùm ex Iudæis sed etiam

ex

* C. moriturus.

Ioan. 11. 52

Mat. 11. 24

Ioan. 3. 32.

Ioan. 1. 5.

Deus quos vult ad fidē adducit.

† c. eam.

ex gentibus) testimonium eius qui de cœlo venit, accipiunt,
Rom.4.20. significantes quia Deus verax est, id est; expressè significantes in sui salvatione quoniam Deus verax est, implens & perficès quod promisit Abrahæ omnium gentium patri, qui pollicente Deo quod hæres futurus esset mundi *non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, & plenissimè sciens, quoniã quod promisit, potens est & facere.* Quis autem tàm alienus est à fide Abrahæ, quis tàm degener ab vniversarum gentium patre, qui promissionem Dei aut non impleri, aut ab alio præter eum qui promisit, dicat impleri: Ille quidem erit mendax, Deus autem est verax, & omnis qui accipit testimonium eius hoc signat, hoc indicat, quod per lucem illuminantem factus est intelligens, sicut Ioannes Evangelista testatur dicens: *Scimus*
1.Ioa.5.19. *quia mundus totus in maligno positus est, & scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius.*

Non esse scrutandum, cur Deus alios eligit, alios non eligit: sicut nec, cur anteà omnibus gentibus prætermissis, vnum Israelem elegit.

CAPVT XXI.

SI verò quæritur cur Salvator omnium hominum non omnibus dedit hunc sensum, vt cognoscerent verum Deum, & essent id est, permanerent in vero filio eius: quàmvis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractã (de quo plenius in sequentibus differemus) tamen ita fortè hoc velatum sit, sicut illud absconditum est, cur anteà, omnibus gentibus prætermissis, vnum populum sibi quem ad veritatis cognitionem erudiret exceperit, de quo iudicio Dei si non est conquerendum, multò minùs de hoc, quod cùm electione omnium gentium geritur, murmurandum est. Quæ enim Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non † neganda, ne & in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati. Non autem ignoramus esse quosdam tàm inconsideratæ præsumptionis, & tàm superbæ arrogantiæ, vt quod præcipuus magister gentium, non ab hominibus neque per hominem, sed divinitus eruditus, suprà mensuram scientiæ suæ longè & altè remotum esse

His tres versus vsq; ad illud. Quàmvis cred. absunt à C.

† *C. negligenda.*

confessus est, audeant falsi nominis temerare doctrinam, & nihil illic occultum, nihil velint esse secretum, vbi Apostolus non quid sentiendum esset aperuit, sed quid non scrutandum esset, ostendit. Nullis etenim (quod supra iam diximus) studiis, nullis ingeniis indagare concessum est, quo iudicio, quove consilio Deus incommutabiliter bonus, incommutabiliter iustus, semper præscius, semper omnipotens, ideò *omnia in incredulitate* † *conclusérit, vt omnium misereatur*, & tamen illis seculis, quibus vnum Israelem erudiebat, innumerabiles populos impiorum illuminare distulerit, & nunc eundem Israelem, donec vniversitas gentium introeat, obcæcatum esse patiatur, pereuntem in tot millibus nascentium atque morientium, & salvandum in eis quos mundi finis invenerit. Quo mysterio toto scripturarum corpore dilatato, innotuit quidem nobis quid factum sit, quid fiat, qui fvè faciendum sit; sed quare ità fieri placuerit, ab humanæ intelligentiæ cõtemplatione subtractum est. Rom. 11. 32

† C. *dimittéris.*

Vicissitudo illuminationis aut defectionis gentium & Iudæorum inscrutabilis.

Eos qui discretionem quâ Deus alios elegit, alios non elegit, ad merita referunt voluntatis humanæ, docere neminem gratis, sed ex retributione salvari, & ex parvulis aperte confutari.

CAPVT XXII.

ISti autem qui nescire aliquid erubescunt, & per occasionem obscuritatis tendunt laqueos deceptionis; omnem discretionem quâ Deus alios * eligit, alios; non * eligit (*multi enim sunt vocati, pauci autem electi*) ad merita humanæ referunt voluntatis, docentes scilicet neminem gratis sed ex retributione salvari, quia naturaliter omnibus sit insitum, vt si velint, possint veritatis esse participes, eisque affluere gratiam, à quibus fuerit expetita. Quæ diffinitio vt interim de gratiæ veritate taceatur, de his videtur aliquam ostentare ratiunculam, qui libero vtuntur arbitrio. De parvulis verò, quibus sine vllo bonæ voluntatis merito in originali vulnere cum cæteris mortalibus causa communis est, nihil potest expositionis afferri, quâ doceatur cur isti salvi fiant renati, illi pereant non renati, sub illius providentia & omnipotentia, in cuius manu est anima omnis viventis, & spiritus vniversæ carnis hominis. Et cui dicitur: *Breves dies hominis sunt, numerus dierum eius apud te est.* Non autem puto istos voluntatum patronos, sim-

Mat. 20. 16

Electionem salvandorũ non posse refundi in merita voluntatis humanæ, manifestum est in parvulis.

Iob. 12.

Iob. 14. 5.

* *elegit.*
* *elegit.*

simplicitate illorum tàm impudenter vsuros, vt aut † fortuitu ista dicant accidere, aut non renatos asserant non perire. Apertè enim aut cum Paganis convincerentur sentire de fato, aut cum Pelagianis transfusum in posteros Adæ negare peccatum. Fato autem non baptizari parvulos, nec Pelagiani potuerunt dicere: sed quia eos liberos à peccato ausi sunt profiteri, meruêre damnari. Cum autem de discretione omnium hominum quæstio ventiletur, & ab omnibus hominibus parvuli nequeant separari, simulque totius ætatis hominibus veritas dixerit: *Filius hominis venit quærere & salvare quod perierat*: frustra profunditatê inscrutabilis gratiæ per liberum arbitriũ conantur aperire, qui causam electionis in eorum constituunt meritis qui eliguntur: & cum multa de malorum voluntate ac iudicio inepta & falsa protulerint, in parvulorum tamen discretione deficiunt, nec possunt de eius quæstionis ratione redditâ gloriari, quæ de omnibus hominibus tractatur, & non de omnibus expeditur.

† C. fortuito.

Pelagiani negant peccatum originale.

Luc. 19. 10.

Omne bonum hominis meritum ab initio fidei vsque ad perseverantiæ consummationem donum esse divinum, & primum hoc ostenditur de fide.

CAPVT XXIII.

MVltiformitas autem & magnitudo divinæ gratiæ, probat istos contra veritatem, etiam quod de maiorum voluntatibus loquuntur astruere, eorumque persuasioni divinorum eloquiorum testimonia repugnare. Quæ si omnia sermoni nostro velimus annectere, modus non erit * differendo. Quæ tamen se recordationi offerunt, non * omittentur, vt quantùm satis est, manifestetur omne hominis bonum meritum ab initio fidei vsque ad perseverantiæ consummationem, donum atque opus esse divinum. Igitur fides, quæ bonæ voluntatis & iustę actionis est genitrix, quo ipsa fonte nascatur, Apostolus Paulus exponat, qui pro Romanorum fide Deo gratias agit, dicens: *Primùm quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniverso mundo.* Ad Ephesios quoque scribens: *Propterea* (inquit) *& ego audità fide vestrâ quæ est in Domino Iesu, & in dilectione in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens*

* c differẽdi.

* C. omittantur.

Omne meritum est donum Dei.

Rom. 1. 8.

Ephes. 1. 16

ciens in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis. De fide etiam Colossensium similiter Deo gratias agens: *Gratias agimus* (inquit) *Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis.* Et vt alia bona ab eodem bonorum authore percipiant, quid pro eis oret enarrans: *Ideò* (inquit) *& nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu* * *spirituali, vt ambuletis dignè, Deo placentes in omni opere bono fructificantes, & crescentes in omni scientia Dei, in virtute confortati secundùm potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate cum gaudio.* Item ad Thessal. qui spiritu fidei dilectioniſque fervebant: *Gratias agimus* (inquit) *Deo semper pro omnibus vobis memoriam facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ & laboris & charitatis & sustinentiæ spei Domini nostri Iesu Christi ante Deum & Patrem nostrum.* Et infra. *Ideò & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.* Potuitne plenius aut evidentiùs demonstrari, Dei esse donum credentium fidem, quàm vt ideò agerentur gratiæ Deo. Quoniam hi quibus verbum Dei per homines prædicabatur, non quasi de hominum sermone dubitarunt, sed tanquàm Deo loquenti per homines crediderunt, qui in ipsis est operatus vt crederent? In secunda quoque ad eosdem Thessal. Epistola de fide in Christo proficientium ita Apostolus loquitur: *Gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres, ita vt dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vnius cuiusque vestrum in invicem, ita vt & nosipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra & fide in omnibus persecutionibus vestris & in tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.* Petrus quoque Apostolus ex Deo haberi fidem prædicans, ita scribit: *Scientes quod non corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana conversatione vestra paterna traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi Iesu, præcog-*

Coloss. 1. 4.

* spirituali, c.

1. Thess. 1. 2.

1. Thess. 2. 13.

Fides est donum Dei.

2. Thess. 1. 3.

1. Pet. 1. 18.

præcogniti quidem ante constitutionem mundi, manifestati autem novissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deum, qui suscitavit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, vt fides vestra & spes esset in Domino. Item idem in secunda epistola de fidei percep-
1. Pet. 1. 1. tione sic loquitur: *Simon Petrus servus & Apostolus Iesu Christi, his qui coæqualem nobis adepti sunt fidem per iustitiam Domini & salvatoris Iesu Christi.* Vnde autem habeatur spiritus fidei, Ioan-
1. Ioa. 4. 2. nes Apostolus manifestissimè docet dicens: *Omnis spiritus qui confitetur Iesum in carne venisse, ex Deo est, & omnis spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est, & hic est antichristus.* Item dicit, ab eo
Ibidem 6. recipi Evangelium, in quo est spiritus veritatis; *Nos* (inquit) *ex Deo sumus. Qui novit Deum audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis; & spiritum erroris.* Itē
Act. 3. 16. in actibus Apostolorum Petrus Apostolus fidem esse per Dominum Iesum pronuncians: *Hunc* (inquit) *quem videtis & nostis, confirmavit nomen eius, & fides quæ per eum est dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* De fide quoq; Lydiæ, cuius inter alias mulieres quæ Evangelium pariter audiebant, Dominus cor aperuit ita in eadem narratur historia: *Die autem sabbathorum egressi sumus extra portam iuxta flumen*
Act. 13. 16. *vbi videbatur esse oratio, & sedentes loquebamur mulieribus quæ convenerant: & quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirorum colens Deum audivit, cuius Dominus cor aperuit, vt in-*
Mat. 16. 15. *tenderet his quæ dicebantur à Paulo.* Non autem ex humana sapiētia esse fidem, sed ex inspiratione divina ipsius veritatis voce firmatur: dicente enim Domino ad discipulos suos: *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es christus filius Dei vivi. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon bar Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in*
Rom. 12. 3. *cœlis est.* Paulus verò Apostolus hanc ipsam fidem secundùm mensuram dari pro arbitrio largientis ita prædicat: *Dico enim per gratiam quæ data est mihi omnibus qui sunt inter vos non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, sicut vnicuique divisit Deus mensuram fidei.* Item idem vnitatem rectæ fidei, &
Rom. 15. 5 confessionem in honorem Dei à Deo esse commendans: *Deus autem* (inquit) *patientiæ & consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi.* Et infra: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis spe in virtute spiritus sancti.* Quo testimonio non solùm fides,

sed

sed etiam gaudium & pax & abundantia spei, docentur nisi in virtute sancti spiritus non haberi. Ad Ephesios verò scribēs Apostolus de divitiis gratiæ pro malis bona retribuentis, & de fide quæ non ex nobis, sed ex Dei dono habetur, hæc loquitur: *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam suã charitatem qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cuius gratia salvi facti sumus, & conresuscitavit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus vt in illis ambulemus.* Proprium ergò hoc habet nova creatura per gratiam, vt qui figmentum Dei sunt, qui nativitate cœlesti conduntur in Christo, non otio torpeant, nec desidia resolvantur, sed de virtute in virtutem proficiant per viam bonorum operum ambulando; hoc est enim fingi, hoc de vetere creatura novam fieri, hoc de imagine terreni hominis ad imaginem cœlestis hominis reformari. Quod totum sive palam per cooperatores gratiæ, sive occultè per subministrationem spiritus, ille inchoat, ille auget & perficit, cuius agricultura, cuius ædificatio, & cuius figmentum sumus.

Epist. 2. 4.

Quid gratia homini conferat.

Omne bonum in homine esse ex gratia, & fidem dari non petitam, vt ipsius petitionibus cætera bona consequamur.

CAPVT XXIV.

ABundè, quantùm arbitror, his testimoniis (quàmvis & alia documenta aggregari potuerint) demonstratum est, fidem quâ iustificatur impius, nisi ex Dei munere non haberi, eamque nullis meritis præcedentibus tribui, sed ad hoc donari, vt principium possit esse meritorum, † & cùm ipsa data fuerit non petita ipsius iam petitionibus bona cætera eõsequatur. Vndè, itaq; quædã de plurimis assumenda sunt testimonia, quæ in diversitate donorum ostendant gratiæ largitatem. Ex Deo itaque esse, vt homo viam Dei eligat, & vt surgat à lapsu, Psalmus Davidicus canit dicẽs; *A Dño gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Item idem quod duce Deo veniatur ad Deum: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa*

Fides principium omnis meriti.
† *Al. vt.*

Electio boni est à Deo.

Psal. 36. 23.

Psal. 42. 3.

me

me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua. Itē quod in Domino ſit hominis fortitudo, & Dei Fortitudo
Pſal. 58.10 voluntas præveniat liberandū: *Fortitudinem* (inquit) *meam ad te eſt à Deo.*
*cuſtodiam quia Deus ſuſceptor meus, * Deus meus voluntas eius pra- * C miſeri-*
veniet me. In Prover. quoq; legimus de ſapientiâ & intellectu: cordia.
Prov. 2.6. *Quoniam* Dominus *dat ſapientiam, & à facie eius ſcientia & intelle-* Sapientia
Prov. 8.14. *ctus.* Item in eodem libro de diſpenſationibus ſapientiæ Dei, eſt à Deo.
ſine quâ nullæ rectæ ſunt actiones, ità dicitur. *Meum conſilium & mea tutela, ego prudentia, mea autem virtus. Per me reges regnāt, & tyranni per me obtinent terram.* Item alibi, quod nemo poſſit
Prov. 10.24 rectè incedere niſi Domino dirigente? *A Domino corriguntur*
Prov. 21. 1. *greſſus viri, mortalis autem quomodo intelligit vias ſuas?* Item ali-
Prov. 8. in 70. bi: *Omnis vir videtur ſibi iuſtus, dirigit autem corda* Dominus. Et infrà; *Præparatur voluntas à dño.* Itē ibidem de cogitatione atque conſilio. *Multæ cogitationes in corde viri, conſilium autem Domini*
Prov. 19.20 *obtinet.* In libro verò Eccleſiaſtæ * dicitur, quod & habere * C. ſcribi-
neceſſaria, & eis benè vti, donum ſit Dei; *Non eſt*, inquit, *bo-* tur.
*num homini niſi quod * mandat & bibat, & oſtendat anima ſua* † manduca-
Eccl 5.17. *bonum in labore ſuo. Et quidem hæc vidi ego, quia à manu Dei eſt.* vit & bibit
Quoniam quis manducabit aut paſcet abſque illo? Item in eodem & oſtendit.
libro legitur, quod corda & opera iuſtorum in manu ſint Dei, † C. voluerit.
& tantùm in ſtudiis ſuis proficiant, quantùm ille donaverit, Bonus uſus
Eccl 8.17. *Quantumcunq; laboraverit homo vt quærat, non inveniet; & quod-* rerum eſt
cunq; dixerit ſapiens vt ſciat non poterit invenire; quia vniverſum à Deo.
hoc dedi in cor meum & cor meum vniverſum hoc vidit, quia & iuſti & ſapientes & operationes eorum in manu Dei. In libro autem Sa-
Sap. 7. 15 pientiæ de eodem gratiæ opere ità dicitur: *Quoniam ipſe & ſapientia dux eſt, & ſapientium emendator. In manu eius enim & nos & ſermones noſtri, & omnis ſapientia & operum ſcientia &*
Sap. 8.11. *diſciplina.* De continentiâ quoq; quod ex Dei habeatur munere, eadem ſcriptura ſic loquitur. *Vt ſcivi, quia aliter non poſſum eſſe continens, niſi* Deus *det, et hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius* Continentia
eſſet hoc donum. Cui ſententiæ Pauli Apoſtoli doctrina, con- Dei donum.
1.Cor. 7.7. cordat in primo ad Corinthios hæc ſcribentis; *Volo autem omnes homines eſſe ſicut me ipſum, ſed vnuſquiſque proprium habet donum ex* Deo, *alius ſic, alius verò ſic.* Dominus verò in Evangelio ſecundùm Mathæum hæc de continentiæ dono inſinuaſſe
Mat. 19.10 narratur. Dicentibus namque diſcipulis ſuis. *Si ita eſt cauſa viri cum vxore, non expedit nubere*, dicit illis Ieſus, *Non omnes capiunt verbum iſtud ſed quibus datum eſt à patre meo.* De timore

Dei & sapientia ità in Ecclesiastico legitur; *Corona sapientiæ timor Domini; vtraque autem dona sunt Dei.* Item in eodem, *Timor Domini super omnia se superposuit, beatus cui donatum est habere in timorem Domini.* Isaias quoque de diuitiis spiritalibus quarum autor est Dominus, ità loquitur. *In thesauris saluis nostra aduenit, sapientia & pietas & disciplina à Domino: hi sunt thesauri iustitiæ.* Item de altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cuius bonitas nullius merito præuenitur, hæc dicit; *Quis mensus est manu aquam, & cœlum palmo, & vniuersam terram pusillo, qui statuit montes in libra, rupes in statera, Quis cognouit sensum Domini, aut quis eius fuit consiliarius, qui instruxit eum, aut quem consuluit, & instruxit eum, vel quis ostendit ei iudicium, aut viam prudentiæ, quis ostendit ei, vel quis prior dedit ei, & retribuetur illi?* Vndè in libro Iob secundùm eundem sensum leguntur domini verba dicentis. *Quis ante dedit mihi, vt retribuam illi? Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt.* Ieremias verò quod à Deo sit homini recta sapientia, sic profatur. *Scio, Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est vt dirigat iter suum.* Item quod ad Deum conuersio cordis ex Deo sit, per ipsum Dominus protestatur & dicit, *Restituam illos in terram istam, & ædificabo, & non destruam, & plantabo eos & non euellam, & dabo illis cor vt sciant me, quia ego sum Dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero illis in Deum, quia conuertentur ad me ex toto corde suo.* Item idē prædicans quod vt Deus cognoscatur, ex Deo sit; *Et scient,* inquit, *quia ego Dominus Deus illorum, & dabo illis cor cognoscendi me, & aures audiendi:* Quod autem omne verbum bonum, & omne opus sanctum subministratio sit spiritus sancti, sine quo nihil rectè agatur, in prima ad Corinthios Paulus apostolus docet, dicens, *Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu alii gratia sanitatum in vno spiritu, alii prophetatio, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Tantùm

Eccl. 1. 2.
Eccl. 25. 14
Isa. 15 sum. 70.
Isa. 40. 12.
Iob. 41. 3.
Ier. 10. 23.
Ier. 24. 6.
1. Cor. 12. 3

*C. Baruch. quoque radicat.

Spiritus sanctus autor omnis boni.

tùm verò vnumquemque habere gratiæ, quantùm Dominus
Eph.4.4. donaverit, idem Apostolus ad Ephesios ait; *Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus* DOMINUS, *vna fides, vnum baptisma, vnus* DEUS *& pater omnium, qui super omnes est, & super omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi, propter quod dicit; Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Item idem in secundâ ad Corinth. dicit, quod ne ad cogitandum quidem quod spiritale est, idonei si-
2.Cor.3.4. mus nisi per gratiam Dei: *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nob. smetipsis, sed sufficientia nobis ex Deo est, qui & idoneos fecit nos ministros novi testamenti non literæ sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat;* & iterùm in eâdem epist. dicens bonorum operum effectum & sufficientiam à
2. Cor.9.8. Dei gratia ministrari; *Potens est autem,* inquit, *Deus omnem gratiam * abundare facere in vobis, vt in omnibus per omnia sufficientiam* † *abundantem.*
Psal.111.9 *habentes * abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Qui autem ministrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem.* Ad Ephesios verò scribens Apostolus docet quod omnia bona quibus placetur Deo, dona sunt Dei, & quod ab ipso peti oporteat, vt non ha-
Ephes.3.14 bentibus tribuat: *Huius rei,* inquit, *gratia, flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, vt det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiore homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & firmati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, qua sit latitudo, & longitudo, sublimitas & profundum * supereminentem scientiæ cha-* * C *scire etiam add.*
ritatem Christi vt impleamini in omnem plenitudinem Dei: Ei autem qui potens est omnia facere superabundantiùs quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia & in Christo Iesu, in omnia sæcula sæculorum, Amen. Omnis autem boni Deum esse autorem, cuius dona nec incerta sint nec mutabilia, sed ex æternâ voluntate venientia,
Iacob.1.16 Iacob. Apost. ità loquitur: *Nolite errare fratres mei dilecti. omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descen-*

dens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. Cui & Zacharias propheta concinit, dicens: *Salvavit Dominus in die illo ſicut oves populum ſuum, quoniam lapides ſancti volvuntur ſuper terram ipſius. Quia ſi quid bonum, ipſius eſt, & ſi quid optimum, ab ipſo eſt.* In Evangelio verò ſecundùm Matt. quod * ſcientiæ & intellectus dona ſint Dei, quæ quibus voluerit largiatur, ità dicitur: *Tunc accedentes diſcipuli eius, dixerunt; Quare in parabolis loqueris ad eos? At ipſe reſpondens, ait illis; Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum.* Ioannes quoq; Evangeliſta pronunciat, neminem aliquid boni habere, niſi quod deſurſum acceperit, dicens: *Non poteſt homo accipere quicquã niſi fuerit ei datum de cælo.* In eiuſdem verò Evangelio doctrina eſt ipſius veritatis, quod nemo veniat ad filium niſi attractus à patre, quia venturum Deus & intelligentem & obedientem facit: Nemo, ait, *poteſt venire ad me niſi pater qui miſit me, attraxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Scriptum eſt enim in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à patre & didicit, venit ad me.* Et infrà: *Propter hoc dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi datum fuerit ei à patre meo* In fide autem & in operibus bonis proficere ac perſeverare vſque in finem, muneris atque auxilij eſſe divini, ſanctarum ſcripturarum confirmat autoritas. Etenim ſcribens Paulus Apoſtolus Philippenſibus ait: *Confidens hoc ipſum quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* Huius autem teſtimonii virtutem quidam volens ad ſui ſenſus pravitatem convertere ità quod dictum eſt: *Qui cepit in vobis* volebat intelligi, quaſi dictum eſſet: *qui cepit ex vobis*, vt & initium & conſummatio operis non ad Deum, ſed ad hominem referretur, qui & incipere, & perficere voluiſſet. Sed hanc inſaniſſimam ſuperbiam, in eadem epiſtola excellentiſsimus gratiæ prædicator elidit dicens: *In nullo terreamini ab adverſarijs qua eſt illis cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo. Quia vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* Et iterùm: *Cum metu* (inquit) *& tremore veſtram ſalutem operamini, Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Item in 1. ad Theſſ. docet ex Deo eſſe principium & profectum, conſummationemque virtutũ, dicens: *Ipſe autem Deus et pater noſter, et dominus Ieſus dirigat*

† C. *ſcientiæ*

Perſeverãtia eſt donum Dei.

Zach. 9. 16

Mat. 13. 10

Ioan. 3. 27.

Ioan. 6. 44.

Philip. 1. 6.

Ibid. 28.

Philip. 2. 13

1. Theſſ. 3. 11

viam nostram ad vos, vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem in invicem & in omnes, quemadmodum & nos in vos ad confirmanda corda vestra sine querelâ in sanctitate vitæ, ante Deum & patrem nostrum in adventu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius, ad Corinth. quoq; scribens, & omnium virtutum proficientem perseverantiam Dei donum esse com-

1. Cor. 1. 4. mendans: *Gratias* (inquit) *ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo & sapientia sicut testimonium Christi con-*

Rom. 8. 35. *firmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus revelationem domini Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsque ad finem sine crimine, in diem adventus domini Iesu Christi.* Item ad Romanos de charitate Christi, quâ eos quos diligit, inseparabiles facit, id est, vsq; in finem perseverantes. Nam quid est aliud perseverare, quâ tentatione non vinci? *Quis nos* (inquit) *separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio?*

Psal. 43. 23 *an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur totâ die, existimati sumus sicut oves occisionis, sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos.* Item

1. Cor. 15. 56. ad Corinth. de victoriâ, quam perficit Christus: *Stimulus* (inquit) *mortis peccatum est, virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum.* Item ad Thessalonicenses de perseverantiâ quam Deus tri-

1. Thess. 1, 5 buit; *Ipse autem* (ait) *Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in adventum Domini nostri Iesu Christi servetur. Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam faciet.* Item ad Thess. quod omnia bona nostra, sive in operando, sive in loquendo, & in eis perseverantia, dona sunt Dei, ita

2. Thess. 2. 15. prædicat, dicens: *Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratiâ, exhortetur corda vestra & confirmet in omni opere & sermone bono. De cætero fratres orate pro nobis, vt sermo domini currat & clarificetur, sicut & apud vos, & vt liberemur ab importunis hominibus & malis. Non enim omnium est fides. Fidelis autè*

1. Pet. 5. 10 *Deus est, qui & confirmabit vos & custodiet à malo.* Petrus quoque Apostolus, vndè esse virtutem perseverantiæ doceat, audiamus; *Deus autem* (inquit) *omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque, cui est virtus & potestas in secula seculorum.* Ioannes verò Apostolus; quod victoria sanctorum opus Dei sit habi-

tantis in ſanctis, ità loquitur: *Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis mundum, quoniam maior eſt qui in vobis eſt, quam qui in mundo.* Item idem: *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* In Evangelio autem ſecundùm Lucam, Deum dare, vt in virtute perſeveretur, ità † promittitur. *Dixit autem Ieſus Petro: Simon, Simon, ecce Satanas poſtulavit vt vos * cerneret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua, & tu converſus confirma fratres tuos, et orate ne intretis in tentationem.* In Evangelio quoque Ioannis, de ovibus Chriſti quæ de manu ipſius à nullo rapiuntur, hæc legimus dicere veritatem. *Sed vos non creditis, quia non eſtis de ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego novi illas, et ſequuntur me, et vitam æternam do illis, et non peribunt in æternum, nec quiſquam rapiet eas de manu mea.* Item in eodem Evangelio, de his quos pater dat filio, qui & omnes veniunt ad filium, & quorum nullus perit, hæc ipſius domini ore dicuntur: *Omne quod dat mihi pater, venit ad me: & eum qui venit ad me non eiciam foras, quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.*

† C promittur.
† cernere pro ſecernere, cribrare.

1. Ioan. 5. 1
Luc. 22. 31.
Ioan. 10. 26
Ioan. 6. 37.

Quæſtionem, cur potiùs hic quam ille accipiat gratiam, eſſe impenetrabilem, nec poſſe ex libero arbitrio ſolvi.

CAPVT XXV.

MVlta ſunt alia in canonicarum ſerie ſcripturarum, quę vitandæ prolixitatis ſtudio prætermiſimus, quoniam quæ aſſumpſimus, nec pauca ſunt, nec obſcura, nec levia: quibus pleniſſimè declaratur, omnia quæ ad promerendam vitam æternam pertinent, ſine gratiâ Dei nec inchoari, nec augeri poſſe, nec perfici: & contra omnem † electionem de libero arbitrio gloriantem, illam invictiſſimè reniti ſententiam dicentis Apoſtoli. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Igitur profunditas illius quæſtionis, quam ſecundùm admirationem Apoſtoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij velle & nolle non ſolvitur: quia licet inſit homini * bonum nolle; tamen niſi donatum non habet do-

*electionem C. rect.

1. Cor. 4. 7.

Nota.
*C. velle & nolle.

donum bonum velle: & illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam. Sed quid illud sit quod hæc eadem natura in omnibus hominibus ante reconciliationem mala *, in omnibus misera, non in omnibus iustificatur, & à pereuntibus quâdam sui parte discernitur ab eo qui *venit quærere et salvare quod perierat*, humano sensu prorsùs non potest indagari. Quantumlibet enim impiorum malignitas accusetur, resistens gratiæ Dei, nunquid * probabuntur, eam quibus est collata meruisse? Aut illa virtus gratiæ, quæ sibi quos voluit, subdidit, convertere eos qui inconvertibiles permanssere, non potuit? Tales fuerunt qui sunt attracti, quales hi qui in suâ duritiâ sunt relicti. Sed illis tribuit gratia stipenda quod voluit, istis † tribuit veritas iusta quod debuit, vt iudicium Dei magis inscrutabile sit in electione gratiæ, quam in retributione iustitiæ. Veruntamen ne illa pars fidei, quâ piè credimus Deum velle vt omnes homines veritatis agnitione salventur, per hoc quod de effectibus gratiæ evidenter ostenditur, infirmata videatur, annitendum est auxiliante Christo, vt nobis stabilitas huius definitionis appareat, sed quia necessariæ inquisitionis negotium non levem operam sibi poscit impendi, secuturam disputationem ab exordio alterius voluminis inchoemus.

Luc. 19. 10

* Deus dat bonũ velle.

† C. rea. Inscrutabilitas discretionis bonorum a malis.

† C. probabunt Deus subiicit sibi per gratiam suã quos vult.

† C. retribuit.

[definitionis.

DIVI

DIVI PROSPERI AQVITANICI

De vocatione omnium Gentium

LIBER SECVNDVS.

Tria esse in hâc quæstione certa, Deum velle omnes salvos fieri, cognitionem veritatis & salutem esse ex gratiâ, & iudicia Dei esse impenetrabilia.

CAPVT I.

REMOTIS abdicatisque omnibus concertationibus, quas intemperantium disputationum gignit animositas, tria esse perspicuum est, quibus in hâc quæstione de qua secundùm volumen incipimus, debeat inhæreri. Vnum,* quod profitendum est, Deũ velle omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; Alterum, quod dubitandum non est. Ad ipsam† cognitionem veritatis & perceptionis salutis, non suis quenquam meritis, sed * ope atque opere divinæ gratiæ pervenire; Tertium ‡ quod confitendum est, Altitudinem iudiciorum Dei humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse; & cur non omnes † salvet, qui omnes vult salvos fieri, non oportere disquiri; quoniam si quod cognosci non potest; non quæratur inter primam & secundam definitionem non remanebit causa certaminis, sed securâ ac tranquillâ fide vtrumq; prædicabitur, vtrunque credetur. Deus quippè, *apud quem non est iniquitas, & cuius vniversa viæ misericordia & veritas*: omnium hominum bonus conditor, iustus est ordinator, neminem indebitè

† C. quo.
† c agnitionem.
* opere atq, ope C.
† C. quo.
† C. homines non s.q. o. homines. v s.s add.

Rom. 9. 14. 2. Par. 19. 27.

bitè damnãs neminem debitè liberans, noſtra † plectens cùm punit noxios, ſua retribuens cùm facit iuſtos, *vt obſtruatur os* †*exempla.*
Pſal.62.12. *Pſal. 50.6.* *loquentium iniqua, & iuſtificetur Deus in ſermonibus ſuis, & vincat cùm iudicatur*, Nec damnati iuſtâ querimoniâ, nec iuſtificati verax eſt arrogantia, ſi vel ille dicat non meruiſſe ſe pœnam, vel iſte aſſerat meruiſſe ſe gratiam.

Scriptura docet Deum velle omnes homines ſalvos fieri.

CAPVT II.

SIcut autem ea quæ ad manifeſtationem gratiæ ex divinis proferuntur eloquiis nulla poſſunt † ratione differendi arte violari, vt perſpicuæ conſonanteſque in tantâ numeroſitate ſententiæ ad aliquod pravæ interpretationis trahantur incertum: ita etiam quod de ſalvatione omnium hominum in eodem ſcripturarum corpore reperitur, nullâ contrariâ argumentatione temerandum eſt, vt quantò hoc ipſum difficiliore intellectu capitur, tanto fide laudabiliore credatur. Magna enim fortitudo eſt cõſenſionis, cui ad ſequẽdã veritatẽ authoritas ſufficit, etiã latente ratione. Proindè vigilanter conſideremus, prædicatoribus Evãgelij quid à Domino iubeatur. Secundùm Matthæum quippè ſic ait: *Data eſt mihi poteſtas omnis in cœlo & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis. Et ecce vobiſcum ſum omnibus diebus*
Mat.22.14. *Marc.16.15* *vſque ad conſummationem ſæculi.* Secundùm Marcum verò eiſdem Apoſtolis ita dicitur: *Ite in orbem vniverſum, prædicate Evangelium vniverſæ creaturæ: & qui crediderit & baptizatus fuerit, ipſe ſalvus fiet: qui verò non crediderit, damnabitur.* Nunquid † hâc † *voxratiõ nequeſtè abeſt a C.* † *c. inadd.*
præceptione vllarum nationum vllorumve hominum facta diſcretio eſt? Neminem meritò excepit, neminem † ſeparavit genere, neminem conditione diſtinxit. Ad omnes † *C. genere ſeparavit.*
prorſus homines miſſum eſt Evangelium crucis Chriſti. Et ne prædicantium miniſteria humano tantùm viderentur operе peragenda. *Ecce ego* (inquit) *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque*
Mat.28.20. *ad conſummationem ſæculi*, id eſt, cùm ſicut oves introieritis in medium luporum, nolite de veſtra infirmitate trepidare, ſed de mea poteſtate cõfidere, qui vos vſque ad conſummationem ſæculi in omni hoc opere non derelinquam: non ad hoc

vt nihil patiamini, sed quod multò maius est, præstiturus, vt nulla sęvientium credulitate † superemini, In mea enim potestate prædicabitis, & per me fiet, vt inter contradicentes, inter furentes, Abrahæ filij de lapidibus suscitentur. Ego insinuabo quod docui, ego faciam quod promisi. *Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ante reges & præsides stabitis propter me in testimonium illis & gentibus. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet enim frater frátrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit vsque in finem, hic salvus erit. Apparuit ergò* (vt Apostolus ait) *gratia † salutaris Dei omnibus hominibus*, & tamen ministri gratiæ odio erant omnibus hominibus. Et cùm alii essent qui oderant, alii qui odiis persequentium premebantur, neutra tamen pars nuncupatione omnium hominum privabatur, habente quidem salutis suæ damnum, rebellium portione, sed obtinente plenitudinis sensum, fidelium dignitate. Dicit enim Ioannes Apostolus: *Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

† c. separemini.

Mat. 3. 9.

Mat. 10. 17.

Titum 2. 11

† c. Salvatoris nostri.

1. Ioan. 2. 1.

Inscrutabile est cur Deus iudicarit quorundam vocationem differendam.

CAPVT III.

MAgni autem & inenarrabilis sacramenti mysterium est, quod prædicatoribus, quibus dictum est, *Ite in orbem vniversum & prædicate Evangelium omni creaturæ*, iisdem prius dictum fuerat: *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne introieritis, sed potiùs ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* Quàm vis enim ad omnium hominum vocationem Evangelium dirigeretur, omnesque, *Dominus salvos fieri & in agnitionem veritatis vellet venire*, non tamen sibi dispensationum suarum abstulerat potestatem, vt aliter quàm occulto iustoq; iudicio statuerat, consilii sui ordo decurreret. Vnde locum non habent contumacium murmura querularum, quia quod Deus fieri voluit, constat non aliter fieri debuisse quàm voluit. Posteriore verò tempore cùm iam Dominus Iesus in Dei patris gloria consideret, & prædicatores verbi suscepto negotio

Marc. 16. 15.

Mat. 10. 5.

1. Tim. 2. 4.

tio deſervirent, volentes Apoſtoli evangelizare verbum in
Act. 16. 7. Aſia, vetiti ſunt ab ſpiritu ſancto, & diſponentes ire in Bithyniam, prohibiti ſunt ab ſpiritu Ieſu, non vtique negata illis populis gratia, ſed, quantùm apparuit, retardata. Nam * poſteà etiam apud ipſos fides Chriſtiana convaluit. Quæ autem fuerit differendæ vocationis cauſa, non claret & tamen rei geſtæ docemur exemplo, quod inter generalia, vel promiſſa, vel opera, vel præcepta, quædam Deus à communibus excepta cauſis, occultiore novit ordinare ratione. Credo vt interpoſitis quibuſdam * obumbrationibus, ea quæ ſecretius micant, mirabilius innoteſcãt, ne negligentior fiat acies de facilitate cernendi, & quodammodò dormitet aſſuetis, ſi non excitetur inſolitis. Has autem incognoſcibiles illuminationum dilationes, inter quas vtique multi in infidelitate deficiunt, non ſolùm in populis remotioribus impiorum, ſed etiam in civitatibus fidelium per plurimas domos ac familias novimus fieri, dùm Chriſtianæ fidei etiam qui Chriſtiani futuri
Malac. 4. 2. ſunt, adverſantur. Multi enim quod oderunt amabunt, quod non recipiunt, prædicabunt. Et quis inter hæc * querulis aut
Sap. 5. 6. * curioſis notum faciet, cur adhuc *Sol iuſtitiæ* quibuſdam gentibus non oriatur, & à tenebroſis cordibus, etiam nunc radios ſuos * veritas revelanda contineat? Cur corrigendi tàm diù ſinantur errare, & quod ſenibus in fine præſtandum eſt, per tàm longam non tribuatur ætatem? Cur filiis iam in Chriſtum credentibus, necdùm credant parentes? Et rurſum, à religioſis parentibus ſoboles prava diſcordet? Cùm tamen Deo (qui initiorum fidei, incrementiq; largitor eſt) ſecundùm ipſius præceptum quotidie pro omnibus ſupplicetur, vt etſi exaudiat, nota ſit gratia miſerationis: etſi non exaudit, intelligatur iudicium veritatis.

** C. poſtmodùm.*

Cauſa dilatæ vocationis aliquorum occulta

** C. vmbrationibus.*

** C. querulus aut curioſus.*

** C. veritatis.*

In præteritis ſæculis ſemper admonuit divina bonitas homines ſui cultus per elementa: ſicut populum Iſrael, peculiariter per legem & prophetas.

CAPVT IV.

SEd ne in præteritis quidem ſæculis hæc eadem gratia (quæ poſt Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem vbiq; diffuſa eſt, & de qua ſcriptum eſt: *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi*
Pſal. 76. 19

terra) defuit mundo. Quàmvis enim ſpeciali curâ atque indulgentiâ Dei populum Iſraeliticum † conſtet electum, omneſque aliæ nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundùm propriam permiſſæ † ſint vivere voluntatem, non ità ſe tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, vt eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum, nullis ſignificationibus admoneret. Cœlum quippè ac terra & mare, omniſque creatura quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem ſui imbueretur authoris, implente omnia ſpiritu Dei, *in quo viuimus mouemur & ſumus.* Quoniam & ſi *longè eſt à peccatoribus ſalus*, præſentia tamen ſalutis ipſius ac virtute nihil vacuum eſt. Igitur, ſicut dicit propheta, *Miſericordiâ Domini plena eſt terra*: quæ nullis vnquàm ſæculis, nullis generationibus, defuit, eamq; providentiam, quâ vniverſitatem rerum adminiſtrat & continet, regendis alendiſq; naturis ſemper impendit, diſpoſitum habens [ex] † incommutabilis æternitate conſilij, † quibus quidq; temporibus diſtribueret, & multiformis gratiæ ſuæ inſcrutabiles inveſtigabileſq; menſuras, per quæ dona ac ſacramenta variaret. Sicut enim iſta gratiæ largitas, quæ in omnes noviſſimè † effluxit, non evacuat eam, † quæ ſuper vnum Iſrael ſub lege † roravit, nec præſentes divitiæ fidem præteritæ abrogant parcitati; ita nec de illa cura Dei, quæ patriarcharum filiis propriè præſidebat, coniiciendum eſt gubernacula divinæ miſericordiæ cæteris hominibus fuiſſe ſubtracta. Qui quidem in † comparatione electorum videntur abiecti, ſed nunquam ſunt † manifeſtis occultiſq; beneficiis abdicati. Legimus enim in † Actis Apoſtolorum, Paulum & Barnabam Apoſtolis Lycaoniis dicere; *Viri quid hæc facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt, qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens, de cœlo dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda veſtra.* Quod eſt autem hoc teſtimonium, quod ſemper Domino deſervivit, & tanquàm de eius bonitate ac poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius dives

† C. conſtat

† C. ſunt.

Act. 14. 16.

Divina bonitas nullis vnquàm defuit.

Act. 17. 28. Pſal. 118. 155.

Pſal. 118. 64.

† incommutabili C.

† C. quid quibus t. d. *Gratia differentia pro diverſis temporibus.*

C illuxit.

† C. quam.

† C. erogavit.

* C. comparationem.

* C. ad dd.

* C. Actibus.

Act. 14. 14.

Vniverſa creatura Deum annunciant.

dives & ordinata largitio per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum ac voluminibus temporum, communis & publica divinæ institutionis doctrina legeretur? Cœlum ergò cũctaq; cœlestia, mare & terra, omniaq; quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetuâ maiestatem sui loquebãtur authoris, & tamen maximus numerus hominum, * qui vias voluntatis suæ ambulare permissus est, non intellexit, nec secutus hanc legem est, & odor vitę, qui spirabat ad vitã, * C. ait. factus est * ei odor mortis ad mortem, vt etiam in illis visibilibus testimoniis discereturi, *quod litera occideret, spiritus autem vivificaret.* Quod ergò in Israel per constitutionem legis & prophetica eloquia gerebatur; hoc in vniversis nationibus totius creaturæ testimonia & bonitatis Dei miracula semper egerunt.

* C. quia.

1. Cor. 3. 6.

Qui inter gentes Deo placuerunt, spiritu fidei & gratia sunt discreti.

CAPVT. V.

SEd cùm in illo populo (cui vtraque eruditio præfuit) nemo nisi gratiâ iustificatus sit per spiritum fidei, qui ambigat eos, qui de quibuscunque nationibus quibuslibet temporibus Deo placere potuerunt, spiritu gratiæ Dei fuisse * discretos? Quæ etsi parcior * antea atque occultior fuit, nullis tamen sæculis se negavit virtute vnâ quantitate diversâ, consilio incommutabili, opere multiformi

* C. discretos.
* C sunt.

Gratia nullis sæculis subtracta.

Non omnibus, etiam nunc, eadem mensura gratiæ confertur.

CAPVT VI.

NAm & in his diebus quibus totum mundum ineffabiliũ donorum flumina rigant, non idem modus omnibus, nec eadem mensura confertur. Quãvis enim per ministros verbi & gratiæ Dei eadem cunctis veritas prædicetur, eadem cohortatio adhibeatur, Dei tamen agricultura est, Dei ædifica-

catio, cuius virtus inuisibiliter agit vt incremento proficiat quod ædificatur aut colitur. Sicut atteſtatur Paulus Apoſtolus, dicens. *Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus? miniſter eius cui credidiſtis, & vnicuique ſicut Dominus dedit: Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed* DEVS *incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Qui plantat autem & qui rigat, vnum ſunt. Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* DEI *enim ſumus adiutores, Dei agricultura eſtis,* DEI *ædificatio eſtis.* Agriculturæ ergò huius atq; ædificationis in tantùm quiſque adiutor operarius ac miniſter eſt, in quantùm vnicuique Dominus dederit Et hi qui miniſtrorum labore excoluntur, ad eum proficiunt modum ad quem illos incrementi author evexerit. In agro enim Domini non vniformis, nec vna plantatio eſt. Et quàmvis in vnum decorem totius templi ſtructura conveniat, non idem tamen locus eſt, nec idem vſus omnium lapidum, ſicut & in vno corpore non omnia membra eundem actum habent, dicente Apoſtolo: *Nunc autem poſuit* DEVS *membra, & vnumquodque eorum ſicut voluit.*

Deus ſolus bonæ fructus author.

1.Cor 3.5.

Quiſque proficit ſicut Deus donat.

1.Cor.12.8

Cùm omne bonum ex gratia Dei ſit, imparitas meritorum nec in liberum arbitrium eſt referenda, nec in querelam eſt vocanda.

CAPVT VII.

HÆc verò membra vnde apta, vnde vtilia, vnde ſint pulchra, idem doctor exponit, dicens, *Ideò notum vobis facio, quod nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere Dominum Ieſum niſi in ſpiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem* DOMINVS, *& diuiſiones operationum ſunt, idem verò* DEVS, *qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, ſecundùm eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu † alij operatio virtutum, alij prophetatio, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Hæc magiſtro gentium tantâ luce, tantâ evidentia prædicante, † quâ ratione, quâ causâ dubitandum eſt. An omnium nobis virtutum germen ex Deo ſit? vel quis niſi inſipientiſſimus de

Ibidem.

† C. alij gratia ſanitatum in eodem ſpiritus add.

† C. qua ratio quæ cauſa dubitandi eſt.

diffe-

differentia divinorum munerum conqueratur. Aut imparibus ascribendum meritis arbitretur, quod non æqualiter de superna liberalitate conferatur? Si enim hæc distributio secundùm præcedentium operum merita proveniret, nemini ipsorum donorum catalogum tali conclusione Apostolus terminaret, vt diceret: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Vbi vtique si meritorum causas voluisset intelligi, diceret: *Dividens singulis prout merentur*, sicut † plantatoribus † aut rigatoribus præmium devotionis spopondit, dicens, *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.*

Differentia meritorum in Deum refundenda.

1.Cor.12.11.

† C. &.

1.Cor. 3.8.

Vnicuique sine merito datur, vnde tendat ad meritum: & à gratia iam donato expectatur, vt id quod accepit, augeat per illum qui dat incrementum.

CAPVT VIII.

DAtur ergò vnicuique sine merito, vndè tendat ad meritum, & datur ante vllum laborem vnde quisque mercedem accipiat secundùm suum laborem. Quod ita esse, etiam † evangelicæ veritatis testimonio agnoscitur, vbi per compa-
Mat.25.14 rationem dicitur, quod *homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis substantiam suam, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alii verò vnum, vnicuique secundùm propriam virtutem,* id est, secundùm propriam & naturalem possibilitatem; nō autem secundum proprium meritum, quia aliud est posse operari, aliud operari: & aliud est posse habere charitatem, aliud habere charitatem: & aliud est capacem esse continentiæ, iustitiæ, sapientiæ, aliud verò esse continentem, iustum, atque sapientem. Non itaq; omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis † sanatus est; quia reparabilem & sanabilem esse, de natura est, reparatum autem & * sanatum esse, de gratia Dei. Denique isti quibus secundùm modulum capacitatis suæ, quē in eis distributor substātiæ prævidebat, dispar creditus est numerus talentorum, non meriti remunerationem, sed operis accepēre materiam. In qua duorum servorum vigilantissima industria non solùm glorioſis laudibus honestatur, sed etiam in æterna domini sui gaudia intrare præcipitur. Tertij verò pigrum

† C. *ex doctrina e.v. agnosc.*

† C. *sanat.*
* C *sanam.*

pigrum otium & desidiosa nequitia sic punitur, vt & vitupe-
rationis decoretur opprobrio, & portione quam acceperat,
exuatur. Dignus enim erat perdere invtilem fidem, qui non
exercuerat charitatem. Vndè & in subsequenti sermone, quo
apertissimè declaratur futuri forma iudicij, sedente filio ho- Mat.25.31
minis in sede maiestatis suæ, antequàm factâ congregatione
omnium gentium, alij ducuntur ad dexteram, alij ad sinistram
constituendi, laudatis dextris de operibus charitatis; nihil a-
liud sinistris obiicitur, quàm misericordiæ benevolentiæque
neglectus. Acceperant ergò etiam isti fidem, sed non sectati
fuerant dilectionem. Nec de non servato, sed de non aucto
munere damnabuntur. Quàmvis enim omnia bona, dona sint
idèo tàm. Gratia datur vt per eã nova dona impetrentur. Dei, & à Deo tamen quædam etiam non petita tribuuntur,
vt per ipsa quæ accepta sunt, ea quæ nondùm sunt donata Ioan.12.
* C. & ra. tionalis, h ab. quod ex ipſ. quærantur. Semen quippè quod iacitur in terram, non ob hoc
seritur vt ipsum solum maneat, sed vt fructum afferendo, mul-
tiplex atque numerosum sit. Qui quidem profectus ab illo est,
qui dat incrementum, sed terra vivens,* & de gratiæ iam imbre 1. Cor.3.7.
fœcunda, habet quod ipsa expectetur ad id quod accepit, au-
gendum.

Variata per diversa tempora gratia causa à nobis non est investiganda.

CAPVT IX.

His rectè (vt arbitror) quâtùm Dominus tribuit pertra-
ctatis, ad id vndè digressa est disputatio, revertamur:
Ad considerationem scilicet differentiarum; quibus divinæ
gratiæ opera ac dona variata sunt: *Altitudo quippe divitiarum sa-* Rom.11.33
pientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia & inve-
* C semper rest. stigabiles viæ, sic * per misericordiam suam & iudicium tem-
peravit, vt secretissimâ æterni consilij voluntate, noluerit in
* C. temporibus add. omnibus * super omnes generationes; aut super omnes homi-
nes, æquales donorum suorum esse mensuras. Siquidem aliter
eos iuverit, quos ad cognoscendum se, cœli & terræ testimo-
niis conveniebat; aliter illos, quibus non solum elementorum
famulatu, sed etiam doctrina legis, prophetarum oraculis, mi-
raculorum signis, & angelorum cooperationibus consulebat:
& multò magis aliter misericordiam suam vniversis homi- Isai. 65.
nibus declaraverit quandò filius Dei factus est filius hominis,
vt inveniretur ab eis qui eum non quærebant, & appareret his,
qui

qui illum non interrogabant, & non uno tantùm populo Israëliticæ stirpis excelleret, sed in omni genere quæ est sub cœlo multiplicatum Abrahæ semen oriretur: in quam hæredum successionem non filij carnis, sed filij promissionis intrarent: & quanta in præteritis seculis super cæteras nationes, tanta nunc esset in gente Iudæa parcitas gratiæ, cùm tamen introductâ plenitudine gentium, etiam ipsorum ariditati earundem rigationum inundatio spondeatur. Quę itaque causæ sint harum sub eadem gratia dissimilitudinum, quævé rationes, sanctis Scripturis non loquentibus quis loquetur? Et cùm in eis scientia Pauli Apostoli à disputatione transeat ad stuporem, cujus erit tanta præsumptio, qui hæc differendo * existimet aperienda potiùs quàm silentio miranda?

Act.14. 15. Rom.11.

Ibidem.

Misericordia Dei maior in gentibus post adventũ Christi; minor in Iudæos.

* *C. æstimet.*

Occulta istius inæqualitatis ratio.

Omnibus seculis misericordia Dei & corpora aluit, & mentes iuvit.

CAPVT X.

PAtienter igitur & æquanimiter ignoretur tam remotum ab humana * cogitatione secretum. Nec tamen quia nequeunt clausa penetrari, ideo etiam reseratorum est præteundus introitus. Manifestaverunt enim divinorum eloquiorum multæ authoritates & continua omnium seculorum experimenta docuerunt, justam Dei misericordiam misericordemque justitiam nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis juvandisque eorum mentibus defuisse. Semper etenim *pluit super bonos & malos, semper Solem suum oriri fecit super iustos & iniustos*, semper vitales auras præbuit, semper diei & noctis vicissitudines ministravit, ubertatem agris, multiplicationem seminibus, fœcunditatem generandis hominibus semper * impendit. Et si quando aliquid horum minuit, benignis correptionibus aversionem desidiamque malè utentium castigavit, ut miserationes ejus quærerent in adversis, cujus justitiam non timuerant in secundis. Denique si ad ipsa mundi exordia recurramus, inveniemus omnium Sanctorum qui diluvium præcesserunt, Dei spiritum fuisse rectorem, propter quod & filij Dei nominati sunt: quoniam, sicut ait Apostolus: *Quicunque spiritu Dei aguntur hi filij sunt Dei.* Et cum ijdem neglecta observantia Patrum, illicitis se repro-

* *C. cogni-tione.*

Act. 14.16. Matth. 5.45

Misericordia Dei corporibus & animis iuvandis semper adfuit.

* *C. impera-tat.*

Rom.8. 14.

Spiritus Sanctus omnes Sanctos regit.

borum connubijs miscuissent, atque ob nefariam societatem digni exterminio judicarentur, Dominus ait: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis quoniam caro sunt.* Vnde apparet quod iste populus cujus generationes discreto ordine cum annorum numero digeruntur, * spiritalis antea fuit, eâ itaque voluntate cui Spiritus Sanctus præsidebat: impendens moderaminis sui regimen, ut declinandi ad vitia non adimeret potestatem: quâ potestate hic populus si non uteretur, non relinqueret Deum, nec relinqueretur à Deo, essetque ille de quo dictum est: *Felix qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Quamdiu ergo apud Deum mansit, eâ voluntate mansit, quam Deus inspiravit & rexit. *Præparatur enim* (sicut scriptum est) *voluntas à Domino.*

Gratia non tollit potestatem declinandi ad vitia.

** spiritualis C.*

Gen. 6. 3.

Eccles. 31. 10.

Prov. 8. secundum 70.

Hominibus ferè paulatim & particulatim accrescit, quod superna largitas eis dare decrevit.

CAPVT XI.

SEd hujus præparationis non unus semper provectus, nec una mensura est. Quoniam multis modis, & innumerabilibus differentijs, gratiæ opera & dona variantur, inque ipsis singulis generibus munerum dissimiles sunt gradus & impares quantitates. Sicut enim in germinibus herbarum atque lignorum quæ terra producit; non una species, nec unum in omnibus genus est, sed singula quæque in sui seminis forma, & in suæ stirpis qualitate gignuntur, plenum autem decorem non statim ut eduntur accipiunt, sed certis & ordinatis provehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitûs quantitatem per succedentia sibi incrementa perveniant: ita & semina charismatum plantæque virtutum, non in omni agro cordis humani totum hoc pariter, quod sunt futura, nascuntur: nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio. Exerit quidem frequenter potens & misericors Deus miserabiles istos suæ operationis effectus, & quibusdam mentibus non exspectatâ profectuum morâ, totum simul quicquid collaturus est, invehit. In Abrahæ lumbis Levi sanctificatur, & simul cum eo domus Aaron & sacerdotalis ordo benedicitur. In Isaac de repromissione concepto, & contra spem sterilium senum nato, omnium gentium vocatio, & tota Christi forma præconditur. Iacob nullo merito suffragante dilectus priusquam nascatur, eligitur.

Semina charismatum sensim ordinariè adolescunt.

Prima semina gratiæ interdum perfecta.

Heb. 7. 10.

Gen. 17. 16. Rom. 4. 18. Malac. 1. 3. Rom. 9. 13. Petr. 1. 5. Luc. 2. 44.

tur. Hieremiæ dicitur: *Priusquam te formarem in utero, novi te: & priusquam exires de vulva, sanctificavi te.* Ioannes intra Elizabeth matris viscera Spiritu Sancto repletus exultat, & ut nullus inter natos mulierum major sit, prius sentit initia gratiæ quàm naturæ. Sed cum & alia similium documentorum exempla non desint, quæ brevitatis studio prætermittimus, multò tamen crebrior multoque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quicquid superna largitas donat, accrescit, ut conferendorum munerum causæ, de his quæ sunt collata, patiantur. Quidam ac ceptâ fide, diffidentiâ non carent quam utique inesse sibi noverat, qui dicebat: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Quam nec illi abesse penitùs à suis animis sentiebant, qui dixerunt: *Domine, auge nobis fidem.* Quidam quod credunt, non intelligunt & multi eorum diu in suæ simplicitatis modulo detinentur. Multi verò citò intellectus lumen accipiunt. Ipsa autem intelligentia non in omnibus eundem habet vigorem, aut similem facultatem. Et plurimi cum & fide & intellectu videantur ornati, laborant tamen indigentiâ charitatis, & his quæ fide & intellectu vident, nequeunt inhærere, quoniam perseverare in eo non potest, quod non toto corde diligitur. Donum quoque ipsius charitatis non semper ejusmodi est, ut quicquid ad plenitudinem ipsius pertinet, simul à percipiente sumatur. Est enim amor qui potest alio amore superari, & sæpè dilectio Dei ex mundi dilectione marcescit, nisi ad eum fervorem Spiritu Sancto inflammante profecerit qui nullo extingui frigore, nullo possit tepore languere. Cùm itaque in hoc inenarrabili dono Dei, omnium summa donorum & quædam sit cunctarum vita virtutum, ad hoc cætera conferuntur, ut habeat animæ fidelis intentio per quæ ad perfectam charitatem possit eniti. Quæ quoniam non solùm ex Deo, sed etiam Deus est, stabiles & perseverantes atque insuperabiles facit quos flumine suæ * voluptatis impleverit. Qui autem istarũ aquarum dulcedinem nesciunt & adhuc de mundi hujus torrentibus bibunt, aut etiam si aliquid primoribus libris de vitę fonte gustaverunt, inebriati tamen aureo Babylonis calice delectantur, suo prorsus decipiuntur arbitrio, suâ voluntate labuntur, & si in hac desidia perseverant, ipsi se his quæ accepere dispoliant. Facilè enim quælibet bona sine charitate possunt perire, quæ non possunt sine charitate prodesse.

Matt.9.24. Luc.17,6.

Fides initia in imperfecta in aliquibus.

Charitas in perfecta interdum invenitur cum fidei & intelligentia vigore.

Amor mundi charitati contrarius.

1.Ioan.4.

* C. voluntatu.

Charitatis perfecta efficacia.

Apoc.14.8. & 16.19. 1.Cor.13.4.

Divinæ constitutionis non est nostra à Deo aversio, sed propriæ voluntatis: ideoque meriti hominis esse si steterit, quia cadere potuit.

CAPVT XII.

Libertas sub gratia.

HÆc autem summatim breviterque perstricta, ad id valeant, ut certissimè noverimus nullum fidelium à Deo non discedentem relinqui, neque cujusquam ruinam ex divina esse constitutione dispositam: Sed multis qui jam judicio rationis utuntur, ideo liberum esse discedere, ut non discessisse sit præmium: & ut quod non potest nisi cooperante Spiritu Dei fieri, * eorum meritis deputetur, * quorum id potuit voluntate non fieri. Quæ voluntas in malis * actionibus sola esse potest, in bonis autem sola esse non potest. Quamvis enim secundum naturam sit * homini, ut bonæ sit voluntatis, vitium tamen quod per malam voluntatem irruit in naturam, non naturæ superatur virtute, sed gratiæ.

* C. eius.
* C. cuius.
* C. actibus.
* C. sit eius, ut bona sit v. t. q. p. m. v. incidit in ruinam n. n. &c.
Bona voluntas est secundum naturam.

Bonitatem Dei non solùm Sanctis, sed & impijs instituendis affuisse ante diluvium.

CAPVT XIII.

REgebatur ergo primus ille populus Dei spiritu Dei, & à maledicti ac prædamnati populi societate ac moribus per eruditionem Sancti Spiritûs abstinebat, custodiens discretionem sui à permixtione carnalium: quorum mala tamdiu sustinuit patientia Dei, quamdiu boni per id quod eos non imitabantur, placere potuerunt: ubi verò etiam boni malorum imitatione corrupti sunt, & per * voluntatis defectum in eandem nequitiam conspiravit universitas: quos (exceptâ Noe domo) una impietas prophanavit, sententia una delevit. Bonitas autem Dei ne illi quidem parti defuit, quæ in charitate non stetit, & ab initio sui, veneno diabolici livoris intumuit. Principem enim gentis impiæ, sancti fratris meritis invidentem, cædemque ejus parricidali corde meditantem, dignatur Dominus paterno mitigare consilio, dicens ad Cain: *Vt quid tristis factus es? ut quid concidit vultus tuus?* Gen. 4. 6.

Deus tolerat malos propter bonos.

* C. voluntarium.

Bonitas Dei non defuit impijs ante diluvium.

tuus? Nonné si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccasti? quiesce. Ad te enim erit conversio eius, & tu dominaberis eius. Depone (inquit) ortam de invidiæ æmulatione tristitiam; & flammas odij crudelis extingue, nihil tibi Abel nocuit, nec mihi placendo te læsit. Despexi munera tua meo judicio, non illius voto. Opus enim bonum negligenter egisti, recta fuisset oblatio tua, si fuisset recta discretio, sciens cui offerres, scire debueras quid voveres. Non dignè inter me & te divisisti, quoniam tibi electoria servasti. Tuus ergo hic error est, tuumque peccatum, quiesce & noli in insontem fratrem moveri, ad te potiùs tua culpa revocetur. Noli peccato regnum in te dare, sed tu potiùs in ipsum sume dominatum. Pœnitendo enim nec in majus facinus progredieris, & ab eo in quo te doles displicuisse, mundaberis. Cùm ergo talia ad Cain loqueretur Deus, nunquid ambiguum est voluisse eum, & (quantum ad illum medendi modum sufficiebat) egisse ut Cain ab illo impietatis furore resipisceret; sed malitia pertinax inde facta est inexcusabilior, unde debuit esse correctior. Et utique præsciebat Deus, ad quem finem insanientis esset progressura conceptio. Neque ex eo quod falli scientia divina non poterat, necessitate peccandi urgebatur facinus voluntatis. A cujus utique intentione atque effectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi, nisi placuisset Deo cum magna laude patientiæ suæ, ut temporalis furor impij fieret perpetuus honor justi. Posteris verò istius * fratricidæ quamvis in progenitoris sui moribus viverent nunquam se divinam bonitatem negasse, quis non facilè advertat, si consideret quantum eis prodesse potuerit tam longa patientia Dei, tam dives bonorum temporalium copia, & multiplicatæ fœcunditatis tam numerosa propagatio? Quæ beneficia licet obduratis nihil remedij & emendationis attulerint, probant tamen aversionem eorum non divinę fuisse constitutionis, sed propriæ voluntatis.

Oblatio Cain cur Deo ingrata.

Præscientia Dei non est causa peccatorum præscitorum.

* *C. parricida.*

Posteri Cain bonitas divina adfuit per beneficia generalia.

In diluvio, & postea usque ad Christum revelata sunt opera divinæ gratiæ, & Christianæ gratiæ miracula præsignata; etsi abundantiæ gratiæ quæ nunc mundum rigat, pari largitate non fluxit.

CAPVT XIV.

IN * conservatione autem Noë filiorumque ejus & nuruum, in quibus omnium gentium seminarium disponebatur, quanta divinæ gratiæ opera revelata sint, sancta Scriptura manifestat, dum in illa mirandæ capacitatis arca, universi generis animalium quantum reparationis aderat, receptrice congregatura ad se omne hominum genus Ecclesia figuratur: dum per lignum & aquam redemptio Crucis Christi, & ablutio regenerationis aperitur: dum in his qui ex illa mundi vastatione salvati sunt, omnium gentium plenitudo benedicitur; dum donum fœcunditatis iteratur, & solo * esu suffocatorum & sanguinis interdicto libertas edendi quod placuerit, augetur, salutisque securitas in testimonio versicoloris arcus, hoc est, in signo multiformis gratiæ consecratur. Quæ utique Mysteria atque Sacramenta non unius tantùm familiæ pauciſſimos tunc homines, sed in ipsis omnes eorum posteros imbuebant, ut quod eruditioni impendebatur parentum, proficeret scientiæ filiorum. Iam verò procurrente humanæ propagationis augmento, cùm ipsa mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, & secundum elationis suæ altitudinem, cœlo cuperet molem immodicæ instructionis inferere, quam mirabilis erga cohibendam hanc insolentiam fuit divinæ censura justitiæ? Quæ unam illorum populorum loquelam notis sibi-invicem significationibus consonantem, septuaginta & duarum linguarum varietate confudit, & inter dissonas voces operantium pereunte concordiâ, insanæ molitionis machina solveretur, & habitando orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna dispersio. In isto autem opere providentiæ Dei præordinabantur miracula gratiæ Christianæ, quæ omnem hanc dispersionem in illius ædificationis erat * vocatura compagem, in qua omne genu flectitur Deo, *& omnis lingua confitetur quoniam* IESVS *in gloria Dei Patris est.* Hanc latitudinem gratiæ, in plenis-

* C. conversione. *Gen. 7.*

Arca Noë figura Ecclesiæ.

* Vox esu abest à C. *Gen. 9.*

Iris signum multiformis gratiæ.

Gen. 11.

Confusio linguarum.

* C. congregatura. *Philip. 2. Ephes. 3. 6.*

plenitudine dispositorum temporum revelandæ facta ad Abraham promissio Dei, signis jam luculentioribus indicabat, quando duplex ejus successio (filij scilicet carnis, & filij promissionis) multitudine arenarum comparabatur & siderum, & vir senex per annosam uxoris sterilitatem, ab spe jam prolis alienus, credebat laudabili fide per germen unius filij patrem futurum esse se mundi, prospiciens illum in semine suo, immò conspiciens, qui dixit: *Abraham diem meum vidit, & gavisus est.* Quâ fide Abraham cùm justificaretur, nondum mandatum circumcisionis acceperat, sed cùm esset in præputio naturali, reputata est fides ejus ad justitiam. Et * eadem fides signaculũ circunciſionis acceperat in eo corporis membro per quod semen procreationis perventum erat ad eam carnem, in qua sine carnali semine Dei Filius Deus Verbum caro fieret, ac de Abrahæ filia MARIA virgine nasceretur, assumptis omnibus in hujus nativitatis consortium, qui in Christo per Spiritum Sanctum regenerati, quod Abraham credidit, credidissent. Hæc autem fides antequam veniret hoc semen de quo Abrahæ dictum est; *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, intra unius stirpis populum continebatur, vigente apud veros Israëlitas spe redemptionis nostræ. Quoniam etsi fuerunt ex aliegenis, quos temporibus legis veritas illustrare dignata sit tamen tam pauci fuerunt, ut vix * cognoscantur an fuerint. Neque ob hoc excusabiles sint nationes, quæ *alienatæ à * conversione Israël, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo* sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ quæ nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit.

Gen. 15. 5.

Joan. 8. 56.

Rom. 4. 10.

Fides Abrahæ.

* *C. ea sig. cir. accepit.*

Circumcisio cur Abrahæ mandata.

Gen. 12. 3.

Pauci fideles inter gentiles tempore legis veteris incerto tamẽ excusabiles.

* *& recognoscantur.*

Ephes. 2. 12.

* *conversionis.*

Meliora non nasci nunc ingenia, quam ante Christi adventum: quinimò tempore adventus Christi inventa est iniquitas robustior, ut gratia Dei manifestaretur.

CAPVT XV.

ADhibita enim semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultioriſque gratiæ fuit, sufficit tamen sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium: ut non dubiè, sed evidenter appareat, quod nisi *ubi abundavit peccatum, superabundaret & gratia*, nunc quoque universum genus huma-

* C. ante. humanum similis obcœcaret impietas. * An fortè (ut plerique garriunt) meliora quàm veterum ingenia nostris seculis orta sunt, & aptiores divinis donis animas tempora extrema pepererunt? Quod etiam si ita esset, ad bonitatem id referendum esset authoris, qui vocandis ad vitam æternam populis, ea quæ non reniterentur, corda definxisset. Sed nihil prorsus novatum est in generatione carnali, nec generosior avis minorum orta successio est, cum potiùs in hominibus illius temporis quo mundi redemptor advenit, quantò erat propago tardior, tantò sit iniquitas inventa robustior. Probavit hoc Iudaici furoris impietas. Et quàm apta Euangelio Christi fuerit illa generatio, non solùm populi, sed etiam Scribarum & Principum ac Sacerdotum corda docuerunt. Quibus parùm fuit in Agnum Dei tollentem * peccatum mundi, contra testificationem legis, contra oracula Prophetarum, contra divinarum experimenta virtutum, seditionibus, contumelijs, sputis, alapis, colaphis, lapidibus, flagris, & ad postremum Crucis atrocitate sæviſſe, nisi etiam testes resurrectionis ejus eadem persequerentur insania. Quam Apostoli quando à Pontificibus flagellati sunt, ostenderunt in Psalmo Davidico * Prophetam, dicentes: *Domine tu es qui fecisti cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui Spiritu Sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum eius. Convenerunt enim verè in civitate ista adversus sanctum Filium tuum* IESVSM *(quem unxisti) Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël, facere quæ manus tua & consilium decreverunt fieri.* Igitur ad manifestandam gratiam Dei quæ ex alieno ejus incommutabiliq́ue consilio in salutem omnium gentium disponebatur, non priora quasi incapacia declinata sunt tempora, sed ista electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox & voluntaria iniquitas non consulendi affectu, sed intentione sęviendi persisteret facere quæ manus Dei & consilium decreverunt fieri, ut mirabilior esset gratia & potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus fecit sibi populum fidelem, subditum, sanctum, qui non per sapientiam hujus mundi pervenit ad lumen sapientiæ Dei, sed per illius donum, de quo testatur Ioannes Apostolus, dicens: *Scimus quia Filius Dei ve-*

Rom. 5. 20.

Quod plures credant in Christum nunc quam ante incarnationem, non est in diversitatem ingenij referendum.

Obstinatio Iudæorum in adventu Christi.

* C. peccata.

Ioan. 1. 29.

* C. profatum.

Act. 4. 24. Psal. 2. 4.

Gratia Dei eo manifestior quo duriores sunt quos sibi subjecit.

1. Ioan. 5. 20.

Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, &
Coloss. 1. 12. *simus in vero filio eius.* Cui testimonio Apostolus Paulus consonat dicens: *Gratias agentes Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris & de potestate*
Tit. 3. 3. *tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Et iterùm idem: *Eramus enim* (inquit) *aliquando insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem; Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per* IESVM *Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Potuitné pleniùs, luculentiùs, veriùs explicari, quæ merita hominum Christus invenerit, & quos sibi mores subjecerit, quæ ad se corda converterit, quando venit mederi non sanis, sed malè habentibus,
Matt. 9. 13. & vocare non justos, sed peccatores? Quoniam gentium
Esa. 9. 2. *populus, qui sedebat in tenebris & umbrâ mortis, lux orta est illis.* *Efficacia gratiæ in rebellibus Deo subdendis.*
Fremebant gentes, irascebantur populi, sæviebant Reges, & potestates contradicebant, superstitiones & totius mundi reluctabantur errores. Sed de resistentibus, furentibus, persequentibus, populum suum Christus augebat, ac per vincula ac supplicia mortesque Sanctorum roborabatur fides, vincebat veritas, perque universum mundum dominici agri segetis multiplicabatur ubertas. Tanta enim desuper præbebatur constantia fidei, fiducia spei, fortitudo tolerantiæ, ut ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium Spiritus Sanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus posset extingui: cùm & qui cruciabantur vehementiùs inardescerent, & qui sæviebant, eandem quam persequebantur, flammam sæpe conciperent, quâ beatus Apostolus Paulus ignitus, fidenter ferRom. 5. venterque dicebat: *Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad Dominum nostrum* IESVM *Christum, per quem & accessum habemus fide in gratiam istam in qua stamus, sed & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et iterùm: *Quis nos separabit à Charitate Christi?*
Rom. 8. 35. *tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum,*

culum, an gladius? Sicut scriptum est: *Quia propter te mortificamur totâ die existimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamur per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo* IESV *Domino nostro.* Hæc charitas diffusa per Spiritum Sanctum, fecit ut mundus fidelium mundum vinceret impiorum. Hæc Neronis crudelitatem; Domitiani furorem, multorumque post eos Principum, * glorioso innumerabilium Martyrum fine confudit, donante Christo imitatoribus suis, de persecutionibus Regum æternarum stemmata coronarum. *Psal.* 43. 22

* C. rabiē. add.

Quod Christus pro omnibus mortuus fuit.

CAPVT XVI.

NVlla igitur ratio dubitandi est, IESVM Christum Dominum nostrum pro impijs & peccatoribus mortuum, à quorum numero * liber inventus est, non est pro omnibus mortuus Christus: sed prorsus pro omnibus mortuus est * Christus. Nemo ergo omnium hominum ante reconciliationem, quæ per Christi sanguinem facta est, non * autem peccator aut impius fuit, dicente Apostolo: *Si enim Christus cùm adhuc infirmi essemus, iuxta tempus, pro impijs mortuus est; vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono, forsitan quis audeat mori: commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam si cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multò magis iustificati sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Idem autem Apostolus in secunda ad Corinthios ait: *Charitas enim Christi urget nos, iudicantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, ut & qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* De seipso verò quid pronunciet, audiamus: *Fidelis*, inquit, *sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum: sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primò ostenderet Christus* IESVS *omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam aternam.*

* C. si aliquis add.
* deest C.
* C. aut rect.

Rom. 5. 6.

Christus mortuus pro omnibus.

2. *Co.* 5. 14.

1. *Tom.* 1. 15.

aternam. Sive ergo circuncisio, sive præputium, peccato universaliter concludebatur, unusque omnes reatus obstrinxerat, & inter magis minusque impios nemo erat qui posset absque Christi redemptione salvari: quæ redemptio universo sese intulit mundo, & omnibus hominibus indifferenter innotuit, quandoquidem in die quinquagesimo ab illo, Pascha in quo se historiam Deo verus Agnus obtulerat, cùm Apostoli & qui cum eis unanimes erant, repleti Spiritu Sancto linguis omnium gentium loquerentur, conveniebat excita miraculo diversi generis hominum multitudo, ut Euangelium Christi in eis qui aderant, totus mundus audiret. Confluxerant autem (sicut scriptum est) *Parthi, & Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani, Iudæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes*, audientes * eorum linguis prædicari magnalia Dei: quorum testificatio etiam in eas gentes quæ remotiores sunt, longè latèque procurreret. Ad cujus rei effectum credimus providentiâ Dei, Romani regni latitudinem præparatam ut nationes vocandæ ad unitatem Corporis Christi, prius jure unius consociarentur * impietatis: quamvis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma; multosque jam * populorum sceptro Crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit. Quæ tamen per Apostolici sacerdotij principatum amplior facta est arce religionis quàm solio potestatis.

Omnes sub peccato, & omnibus redemptio Christi innotuit.

Act. 2. 9.

** C. omnes linguas suas p. m.*

** C. imperij recte.*

** C. populos.*

Nationes quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, dispositio tempore vocandas esse ad Euangelium.

CAPVT XVII.

QVod si fortè, quemadmodum quasdam gentes; * quod ante non norûnt in consortium filiorum Dei novimus adoptatas, ita etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit: non ambigimus, etiam circa illas occulto judicio Dei tempus vocationis esse dispositum, quo Euangelium quod nondum viderunt, audiant atque suscipiant. Quibus tamen illa mensura generalis auxilij, quæ desuper omnibus semper homi-

** C. non olim in consortio recl.*

Quod non volunt. Tempore Prosperi ad Christum venire Scoti operâ Cælestini: ut in fine libri contra Collatorem legitur. AC. IN ad Colos. 1. 26.

nibus est præbita, non negatur: quamvis tam acerbo naturâ humana vulnere sauciata sit, ut ad cognitionem Dei neminem contemplatio spontanea plenè valeat erudire, nisi obumbrationem cordis vera lux discusserit, quam inscrutabili judicio Deus justus & bonus, non ita * præteritis seculis, quemadmodum in novissimis diebus effudit. Unde & B. Apostolus Paulus scribens Colossensibus, ait: *Mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti huius gentibus, quod est Christus in nobis.*

Prioribus seculis absconditam fuisse Gentibus gratiam Christi, non tamen Prophetis.

CAPVT XVIII.

Cap. 7. † C. fiebat denunciatio. † C. hoc add.

Gratia Christi Prophetis revelata: gentibus abscondita.

NVnquid hoc mysterium etiam Prophetis incognitum fuit? & illi per quos Spiritus Sanctus loquebatur, ea quorum ab ipsis * fiebant denunciationes, nesciebant? Non ita planè intelligendum puto, sed ipsis gentibus * absconditum fuisse mysterium, quod Dominus quando voluit, & quibus voluit, revelavit. Nam de vocatione gentium, quæ non erant populus Dei, & quibus prius non misertus est, nunc autem miseretur, in Deuter: ita dicitur: *Et vidit Dominus, & zelavit, & iratus est propter iram filiorum suorum & filiarum, & dixit; Avertam faciem meam ab eis, & ostendam quid erit in novissimo, quia generatio perversa est filijs, in quibus non est fides in illis. Ipsi in zelum compulerunt me in hoc quod non est Deus, irritaverunt me in Idolis suis, & ego in zelum incitabo eos in eis qui non erat gens, super gente insipiente irritabo eos.* Et David hæc de adoraturis Deum omnibus gentibus præcinit; *Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine & glorificabunt nomen tuum.* Et iterum idem: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Et iterum: *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Esaias quoque similia annunciat, dicens: *Quoniam erit in novissimis diebus manifestus mons Domini, & domus Dei in cacumine montium, & exaltabitur super colles, & venient ad eum omnes gentes.* Et iterùm idem: *Et faciet* (inquit) *Dominus Sabaoth omnibus gentibus, in monte isto bibent in iucunditate vinum, ungentur unguento in monte isto: tradet hæc omnia gentibus*

Rom. 9. 25. Deut. 32. 19 Psal. 85. 9. Psal. 71. 11. Ibidem 7. Esaia 2. 3. Esaia 25. 6.

gentibus : hoc enim consilium super omnes gentes. Et iterùm idem:
Et revelabit Dominus brachium suum sanctum in conspectu omnium
Isaia 52.10 *gentium, & videbunt omnes gentes terræ salutem quæ à Domino est.*
Et iterùm : *Ecce advenæ ad te per me accedent, & ad te fugient.* Et
infrà : *Gentes quæ te non cognoverunt, invocabunt te ; & populi qui*
Isa.54.15. *te nesciunt, ad te confugient.* Oseæ quoque paria prophetat di-
Isa.55.5. cens : *Et erit in loco in quo dictum est eis. Non populus meus vos, ibi*
Osee 1.11. *vocabuntur filij Dei vivi, & congregabuntur filij Iudæ & filij Israël in*
idipsum. Et iterùm : *Miserebor non dilectæ, & dicam non populo*
Osee. 2.23. *meo populus meus es tu ; & ipse dicet, Deus meus es tu.* Sub Apo-
stolis verò cum ij qui in Christum ex circuncisione credide-
rant, eos qui gentiles erant, dicebánturque præputium, justi-
ficationum gratiæ arbitrarentur participes esse non posse, do-
cet B. Apost. Petrus quàm indiscretus apud Deum uterque
sit populus, si in unitatem fidei ambo convenerint. *Cùm au-*
Act.11.15. *tem* (inquit) *cœpissem loqui, decidit Spiritus Sanctus super eos, sicut*
& in nos in initio. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat:
Ioannes quidē baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu San-
cto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus sicut & nobis qui credidi-
mus in Dominum IESVM *Christum ; ego quis eram qui possem prohi-*
bere Deum ? His auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum dicentes:
Act.15.14. *Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit.* Iacobus quoque
Apostolus de hac vocatione gentium dicit: *Viri fratres audiret*
me, Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex
Amos 9.11. *gentibus populum nomini suo, & huic concordant verba Prophetarum,*
sicut scriptum est : Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum
David quod cecidit, & diruta eius ædificabo, & erigam illud, ut re-
quirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes super quas invo-
catum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc, notum à sæculo est
Domino opus suum. Simeon quoque ille cui responsum erat à Spiritu
Luc.2.29. *Sancto, non eum visurum mortem priusquam videret Christum Do-*
mini, de salute gentium quæ in Christo revelabatur, hæc di-
xit : *Nunc dimitte servum tuum Domine, secundum verbum tuum in*
pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum quod parasti ante faciem
omnium populorum : Lumen ad revelationem gentium, & gloriam
plebis tuæ Israël. His & alijs testimonijs Scripturarum non du-
biè demonstratur istam ditissimam, potentissimam, benignis-
simam gratiam, quâ in novissimo mundi tempore omnes gen-
tes in regnum Christi vocentur, prioribus sæculis in occulto
Dei absconditam fuisse consilio.

Deus pro omni tempore vult omnes homines salvos fieri, aut generalibus donis, aut etiam peculiaribus.

CAPVT XIX.

ET cur hâc manifestatione quâ nunc universis nationibus innotescit, antea revelata non fuerit, nullam posse * comprehendere, nullam intelligentiam penetrare, cùm tamen illud quod de bonitate Dei pijssimè creditur, quia *omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*, non oporteat, nisi perpetuum æternumque sentiri, secundum eas mensuras quibus Deus dona generalia specialibus novit cumulare muneribus: ut & qui exortes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguantur; & qui ejus lumine enituerint: non in suo merito, sed in Domino glorientur.

* C. scientiam rect. add.

1. Tim. 1.

Objectio ex parvulis contra illud: Qui vult omnes homines salvos fieri.

CAPVT XX.

IN hoc sanè angusto quidem, sed tamen recto intelligentiæ tramite, non parùm difficultatis opponit consideratio parvulorum qui nullo judicio rationis utuntur; quo authoris sui beneficia sentientes, ad agnitionem valeant veritatis accedere, nec videntur de neglectu opitulantis gratiæ justè argui, in illa ignorantia naturaliter constituti, quam dubium non est nullam recipere scientiam, nullam sentire doctrinam. Unde cùm *omnes homines velit Deus salvos fieri*, quid est quod alienatur à salute perpetua tanta infantium multitudo, totque in his ætatibus hominum milia extra vitam relinquuntur æternam: quasi ad hoc tantùm conditi sint ab eo qui neminem odiens creavit, ut quia in hunc mundum cum peccati carne venerunt, insolubilis culpæ vincula sine reatu propriæ actionis incideren? quid hoc profundius quid mirabilius esse potest? Neque * credi fas est, eos qui regenerationis non adepti sunt * Sacramentum, ad ullum beatorum pertinere consortium. Et magis stupendum, magisque sit mirum, quod ubi actio non offendit, ubi arbitrium non resistit, ubi eadem

Caput 8.

* C. enim add.

* C. sacramenta.

Parvuli mortui ante Baptismum beatitudine exterres.

eadem miseria, similis imbecillitas, causa communis est, non unum esse de tanta parilitate judicum, & quales reprobat abdicatio, tales adoptat electio.

Iustè agi cum parvulis pereuntibus, tam in hoc seculo quàm futuro, propter originale peccatum.

CAPVT XXI.

VEruntamen de hac altitudine discretionis Dei non conturbabitur cor * nostrum, si firmâ & stabili fide omne judicium Dei justum esse credamus, nec appetamus habere cognitum, quod voluit esse secretum, ut ubi investigari non potest quare ita judicet, sufficiat scire quis judicet. Quamquam non ita cognoscibilis ista sit quæstio, ut nihil * sit quod de ea eruditionis possimus acquirere, si ad contemplandum id quod videri potest, tranquillus sobrij cordis adhibeatur intuitus. Cùm enim consideramus inter paganos, inter Iudęos, inter hæreticos, inter * ipsos Catholicos Christianos, quam multiplex pereat numerus parvulorum, quos * quantum ad proprias pertinet voluntates, neque * bonum aliquid, neque * malum constat egisse, discimus super eos illam manere sententiam, quam humanum genus * prævaricatione primi parentis excepit, cujus sententiæ rigor, dum etiam circa tales non resolvitur quàm magnum illud peccatum fuerit, demonstratur. Nemo autem putaretur non innocens nasci, nisi etiam talibus esset noxium non renasci. De immaturitate verò mortis non est ratio conquerendi, cùm semel in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas, obnoxium sibi omnem vitæ nostræ fecerit diem Esset enim, * quoniam secundum aliquem modum immortalis dici homo posset. Sed nunquam corruptio ita incorruptionis est particeps, ut non semper obnoxium sit defectioni. quod debetur occasui. Vitæ hujus principium mortis exordium est nec priùs incipit augeri ætas nostra, quam minui. Cui si quid adjicitur spatij temporalis non ad hoc accedit ut maneat, sed in hoc transit ut pereat. Quod ergò ab * initij sui die mortale est qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit, nec unquam ei vicinius est posse vivere quàm posse deficere. Quamvis autem ex una causa omnium hominum sit orta morta-

* *C. humilitatis nostræ s. f.*

* *C. inde ero distortus p. 4.*

* *C. quod.* * *totum illud quant. ad p. p. volun. abest à C.* * *C. boni.* * *C. mali.* * *C. in Ad. præsuscepit. add.*

* *C. quando recti.*

Immaturæ mortis parvulorum ratio.

C. ab initio sui mo. est re.

mortalitas, non in unam tamen, sed in multiplicem imbecillitatem corruptibilis natura distrahitur. Et sive morbis, sive debilitatibus, sive vulneribus, non solùm anni aut menses vel dies ætatis humanæ, sed & omnes horæ, omniaque momenta subjecta sunt. Nec est aliquod mortis genus, aut ullus obeundi modus, qui non intra universitatem mortalium in aliquam incidat portionem. Manet enim *grave iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, in diem sepulturæ in matrem omnium.* Eccl. 40. 1.

Divina iustitia cuilibet mensuram & modum miseriæ ordinat.

CAPVT XXII.

SEd hujus asperrimi jugi pondera, non ita in Adæ filios irruerunt, ut divina justitia nihil eis suæ dimensionis adhiberet: quæ defectionum legibus ita defectura subjecit, ut ab eis moderationum suarum non averteret potestatem. * Ideo omnia omnes inciderent mala, quia per communem conditionem omnes omnibus subjacerent: sed ut generali necessitate variatâ, causas sibi Dominus indulgentiæ correptionisque servaret, esset que in uno omnium debito quod & misericors remitteret, & justus exigeret. Cùm igitur justa & omnipotens providentia Dei incessabiliter universa dijudicet, & nemo in hunc mundum veniat, neque ab hoc mundo exeat nisi eo ortu atque discessu, * quem rerum arbiter secundum altissimam scientiam suam sapientiamque decernit, sicut scriptum est in libro Iob: *Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit, in cuius manu anima omnis viventis & spiritus universa carnis hominis?* Iob. 12. 9. Et iterùm: *Breves dies hominis sunt & numerus dierum eius apud te est.* Iob. 14. 5. Quis audeat causas operum & consiliorum ejus inquirere? Inscrutabile enim est, valdeque secretum, cur tantis differentijs conditio humana variata sit. Illum ab infantia usque in senectutem longæva carpit infirmitas, nec inter perseverantes dolores statutæ deficit tempus ætatis. Illum integris valentem viribus annosissimus vigor vegetat. Huic in pueritia finis, illi in adolescentia. Huic ultra juventutem non licet progredi, illi impossibile est usque ad loquendi rudimenta grandescere. Quas vitæ metas multiformiter inæquales, minus acerbas experiretur caduca

* C. nec ideo rect.

Mensura miseriarum unicuique à Deo ordinata.

* C. quæ.

morta-

mortalitas, si præsentis tantùm seculi detrimenta pateretur; & non in æternas miserias caderent, qui hinc sine lavacro regenerationis exijssent.

Parvulis pereuntibus generalis gratia tribuitur, dum ea parentibus datur.

CAPUT XXIII.

SEd cùm * inscrutabilis sit causa tam donorum quæ gratia tribuit, quàm miseriarum quas natura promeruit, ipsa nos intelligentiæ difficultas ad nostrum remittit authorem. Et cùm quærimus: Quomodo omnes homines salvos fieri velit, qui non omnibus illud tempus * impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces? Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus: quâ utique si benè eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ, sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest: & consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt. Et cùm ipsi nec præsentis vitæ desiderium habuerunt, nec futuræ: quàm ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci. Sicut autem circa majores præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. Quæ quidem nec illis qui renati non sunt, in parentibus defuit, sed ijs qui renati sunt, præ parentibus affuit: ita ut multis sæpè quos suorum impietas deseruit, alienorum cura servierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat providenda per proximos.

1. Tim. 2. 4.

* *C. inscrutabilis s. c. d. q.*

* *C. impertitur.*

Gratia specialis præter generalem.

Non esse iustam querelam ex discretione parium parvulorum, sed magnam divinæ iustitiæ & gratiæ Christi commendationem.

CAPVT XXIV.

IN quo opere gratiæ, quis nisi arrogantissimus atque vanissimus de divina justitia conqueratur, quod non omnibus parvulis similis providentia consulat, omniaque pericula, quæ morituros regenerationem prohibere possunt, aut potestate submoveat, aut miseratione præveniat? Quod utique erga omnes ita fieret, si ita fieri omninò deberet. Non autem latet, quantùm † cordibus fidelium desidiæ gignere- *† C. in add.* tur, si in baptizandis parvulis nihil de cujusquam negligentia nihil de ipsorum esset † mortalitate metuendum: quando- *† C. morte.* quidem ut tales baptismo fraudarentur, nullo modo posset accidere. Hac verò tam inamissibili felicitate infantium, vehementissimè opinio illius roboraretur erroris, qui gratiam Dei secundùm merita hominum dari, audet contra fidem Catholicam prædicare. Videretur quippe inculpabili innocentiâ hoc totâ æquitate deberi, ut neminem eorum adoptio præteriret, quos nullus reatus perstringeret: nec impiè à quodam de parvulorum baptismo dictum fuisset. *Habet gratia quod adoptet, non habet unda quod diluat.* Sed hoc detestabiliter prædicatum omnes discipuli veritatis intelligunt, & inde manifestum est, eos qui salvi fiunt, non merito, sed gratiâ liberari, quia sine Baptismo mortuos, periisse non dubium est. Qui utique nisi gravissimi peccati essent participes, non perirent. Nunc autem occulta quidem Dei discretione, sed justa, sic ostenditur & quid conferat gratia, & quid prævaricatrix mereatur natura: ut nec contra donum elevetur superbia, nec contra periculum cesset industria.

Dogma Pelagianorum.

Deum

Deum ob generalem gratiam omni tempore velle omnes salvos fieri: at peculiari gratiâ quosdam tantùm.

CAPVT XXV.

SIve igitur novissima contemplentur secula, seu prima, seu media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse, & hoc non aliundè monstratur, quàm de ijs beneficijs * eaque providentiâ Dei, quam universis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac sunt hujusmodi dona ita generalia, ut * per ipsorum testimonia ad quærendum verum Deum possent homines adjuvari quibus donis authorem suum per omnia secula protestantibus, specialis gratiæ largitas superfusa est. Quæ licet copiosiùs nunc quàm ante præstetur, causas tamen distributionum suarum Dominus apud scientiam suam tenuit, & intra secretum potentissimæ voluntatis occuluit: quæ si omnibus uniformiter affluerent, non laterent. Et quam nulla est ambiguitas de benignitate generali, tam de speciali misericordia nihil quod stupendum esset existeret, ac proinde illa esset gratia, ista non esset. Deo autem placuit & hanc multis tribuere, & illam à nemine submovere, ut ex utraque appareat non negatum universitati, quod collatum est portioni, sed in alijs prævaluisse gratiam, in alijs refuluisse naturam.

* C. quæ providentia Dei uni g. c. a.

* C. ut ipsorum testimonio.

Gratia specialis non est omnibus communis.

Quod in omnibus iustificationibus gratia quidem principaliter præemineat, sed voluntas ei subiungatur, quia gratia primò sibi, tanquam receptricem & famulam donorum suorum præparat voluntatem.

CAPVT XXVI.

HAnc quippe abundantiorem gratiam ita * credimus atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam, quo * quicquid in salvandis hominibus agitur, ex sola Dei voluntate peragatur, cùm ipsis parvulis per alienæ voluntatis subveniatur obsequium. Gratia quidem Dei * in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis,

* C. ita credimus benignam v. n. m.

* C. si quid in s. Caput. 9.

* C. omni iustificationis *Gratia officium & efficacia.*

incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs, ut divino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum quod * superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos sive manifestos, omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quod autem à multis suspicitur, & gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ. Sive igitur initia, sive profectus fidelium, sive usque in finem * perseverantium cogitemus * genus, nulla species cujusquam virtutis occurrit, quæ vel sine dono divinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur. Ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quem vocat, primam sibi receptricem & famulam donorum suorum præparet voluntatem. Nam virtus nolentium nulla est, nec potest asseri vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse, quorum ab his bonis consensus alienus est.

* C. de ad.

* C. perseverantiam.

* C. nullum genus ad.

Voluntas formula gratiæ.

Consensum voluntatis per gratiam gigni, non solùm ex doctrina & illustratione, sed etiam ex terrore & metu.

CAPVT XXVII.

HVnc autem consensum non solùm cohortatio prædicantium & incitamenta doctrinæ. sed * metus gignit. propter quod scriptum est: *Principium sapientiæ timor Domini.* Qui quantislibet erroribus inferatur, non aliud agit, quàm ut quē fecerit timentem, faciat & volentem, nec solùm volentem, sed etiam sapientem. Vnde & illud scriptum est: *Beatus cui donatum est habere timorem Dei.* Quid enim tam beatificum, quàm hic timor, qui genitor eruditorque sapientiæ est? In cujus utique devotione devota est & voluntas. * quæ authore gratiæ eodem proficit timore quo cœpit. Cùm ergo hic timor etiam per quendam vim magni erroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur, sed illa potius quę mentem premebat caligo discutitur, & voluntas depravata prius atque captiva, rectè efficiatur & libera. Vnde sicut animus nihil virtutis capit, nisi radium veri acceperit luminis, ita gratia nihil ei quem vocat confert, nisi oculos in eo aperuerit

* Etiam C.

Prov. 9. 10.

Eccles. 25. 15.

* C. quo authore eodem proficit timore q. c. Timor sapientiam gignit.

ruerit voluntatis. Quæ in pleriſque (ſicut ſuperiùs diſputatum eſt) ab ipſo initio ſui ardentiſſima * ſitis & magnis ditatur augmentis, in pleriſque autem tardè cunctanterque proficiens, vix ad ea incrementa provehitur, quæ idoneam ad perſeverandum habeant firmitatem. Dicit quidem Dominus: *Nemo venit ad me, niſi pater qui miſit me, attraxerit eum.* Sed hoc ideo dictum eſt, ut illam fidem, ſine qua nemo ad Chriſtum venit, ex patris haberi munere noverimus, ſecundum illud quod Apoſtolo * dicitur: *Beatus es Simon bar Iona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi ſed pater meus qui in cœlis eſt.* Qui in cordibus trahendorum hoc egit ut crederent, hoc effecit ut vellent. Non enim eſſet unde traherentur, ſi ſequaces fide & voluntate non eſſent: quoniam qui non credunt, nec trahuntur omninò, nec veniunt neque accedunt qui diſſentiunt, ſed recedunt. Qui ergo veniunt amore ducuntur, dilecti enim ſunt & dilexerunt, quæſiti ſunt & quæſierunt: & quod eos voluit Deus velle, voluerunt.

* C. citiùs rectè.

Iom.6.44.

Mt 16.16.17

* C. Petro add.

Fides quâ venitur ad Chriſtum inſpiratur à Deo.

Poſſe eos qui gratiâ Dei in Chriſtum credunt, non credere, & eos qui perſeverant, à Deo recedere.

CAPVT XXVIII.

QVi * ad obediendum ſibi, ipſum velle ſic donat, ut etiam à perſeveraturis illam mutabilitatem quæ poteſt nolle, non auferat. Alioquin nemo unquam fidelium receſſiſſet à fide, neminem concupiſcentia vinceret, neminem triſtitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigeſceret, nullius patientia frangeretur & collatam ſibi gratiam nemo negligeret, ſed quia hæc poſſunt fieri, & in conſenſum talium tentationum, facilis nimiùm proclivisque deſcenſio eſt, nunquam debet ei in auribus fidelium vox illa Domini non ſonare, quâ Apoſtolo dicitur: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Uni ſi de vigilando tantùm, non etiam de orando Diſcipulos admoneret ſolas liberi arbitrij vires videretur hortatus. Sed cùm addidit: *Et orate*, ſatis docuit, ſi perni futurum muneris, ut eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Tale eſt & illud quod ait: *Simon, Simon, ecce Satanas poſtulavit ut vos * cerneret velut triticum, ego autem rogavi pro te ne deficiat fides tua, & tu tandem converſus confirma fratres tuos. & * roga ne intretis in tentationem.* Si ergo defectura erat fides tanti Apoſtoli,

* C. à ab.

Poteſtas diſſentiendi manet ſub gratia efficaci.

Matt.26.41

Luc.22.31.

* C. cribraret.

* C. rogate.

ſtoli, niſi pro * eo Chriſtus oraret, inerat ei proculdubio mutabilitas, quæ poſſet in tentatione nutare. Et non ita jam perſeverantiæ fuerat virtute ſolidatus, ut nullis periculis eſſet obnoxius. Siquidem tam gravis eum perturbatio etiam poſt iſta concupiſſerit, ut in Caiphæ domo unius ancillæ interrogatione pavefactus, uſque ad trinam negationem Chriſti (cui moriturum ſe ſpoponderat) conſtantiâ deficiente perductus ſit. Qui ergo tunc conturbatum cor Apoſtoli non humanis, ſed divinis convenit oculis & ad largos pœnitudinis fletus potenti incitavit aſpectu: potuit hanc firmitatem animi præcipuo conferre diſcipulo, ut ſicut ipſum Dominum nihil ab explendæ Paſſionis propoſito deterrebat, ita nec B. Petrum ulla tunc formido ſuperaret. Sed hæc ſtabilitas illius tantummodo propria fuit qui ſolus verè potenterque dicebat: *Poteſtatem habeo ponere animam meam & poteſtatem habeo iterùm ſumere eam.* In cæteris verò hominibus, donec *caro concupiſcit, adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, & donec *ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*, incommutabilis animi fortitudo non poteſt reperiri, quoniam non hujus ſed alterius vitæ eſt * verè perfecta & ſecura felicitas. In præſentis autem agonis incerto, ubi tota vita tentatio eſt, & ab * inſidianti ſuperbia nec ipſa eſt tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris Sanctis ſuis donet virtutem perſeverandi uſque in finem divina protectio, à nullis tamen aufert quod ipſis repugnat ex ipſis ut in omnibus ſtudijs eorum atq; conatibus ſemper inter ſe velle & nolle * decertet. Quam compugnantiam idem beatiſſimus Petrus etiam in ipſa palmarum omnium conſummatione perpeſſus eſt. Si quidem hoc * ipſe Dominus proteſtetur & dicat: *Amen Amen dico tibi, quando iuvenis eras, præcingebas te & ambulabas ubi volebas, cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te præcinget, & ducet quo tu non vis.* Hoc autem dixit, ſignificans quâ morte glorificaturus eſſet Deum. Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortiſſimam petram, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis ſumpſit & nominis, hoc deſiderium ſemper habuiſſe, ut ei * moriendi pro Chriſto conſtantia donaretur? Veruntamen ita inevitabilis erat oblectatio trepidationis, ut vir martyrij avidiſſimus, adepturus quidem denunciaretur victoriam Paſſionis, ſed non ſine tentatione formidinis. Meritò igitur non ſolùm ab incipientibus, verùm etiam à * proveCtiſſi-

* C. ea.

Ioan. 10. 18

Gal. 5. 17. Matt. 26. 41

* C. vera pacis per * C. inſidianis.

Ioh. 7.

* C. auferetur. * C. decertent.

* C. ipſe.

Ioan. 21. 18.

* C. mori pro Chriſto con.

Matt. 16. 18

* provectiſſi-

vectissimis Sanctis uniformiter Domino supplicatur & dici-
Matt.6.12. tur : *Ne nos* * *inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Uni- *C.infra.
versis enim qui in fide & dilectione permanent ab ipso dona-
tur ne in tentatione superentur, ut *qui gloriatur in Domino glo-* *Perseverantia est donum Dei.*
1.Cor.1.31. *rietur.* Ipsamque gloriam ijsdem quibus eam impertit ascri-
bit: ut quamvis auxilio Dei steterint, tamen, quia in se ha-
bebant unde caderent, ipsorum sit meritum quod steterunt.
Igitur sicut qui crediderunt, juvantur ut in fide maneant: sic
& qui nondum crediderunt juvantur ut credant. Et quemad-
modum illi in sua habent potestate ut exeant; ita & justi in
sua habent potestate ne veniant. Fitque manifestum quod
1.Tim.2. diversis atque innumeris modis *omnes homines vult Deus salvos*
fieri, & in agnitionem veritatis venire, sed qui veniunt, Dei au-
xilio diriguntur, qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur.

Promissio benedictionis omnium gentium ita completur quotidie, ut nec
peremptibus sit excusatio justa, nec salvatis de sua
justitia gloriatio.

CAPVT XXIX.

QVamvis enim multi amantes tenebras suas, splendorem
non recipiant veritatis, & multi qui illuminati fuerant,
tenebrescant, verbum tamen Dei manet in æternum, & de
Isa. 40. promissionis veritate nihil excidit. Intrat quotidie præscita
& promissa gentium plenitudo, & in Abrahæ semine omnis
Ioan.6. & 10. gens, omnis tribus, omnis lingua benedicitur. Quod enim pa-
2.Tim.2. ter filio dedit, filius non amittit, neque quisquam potest de
manu ejus eripere quod accepit. *Firmum fundamentum Dei*
stat, & mansuri in æternum templi ædificatio non vacillat,
prætenta super omnes veritate & misericordiâ Dei: à quo
quod & nemini negatur, & nulli debetur, in ijs quos promisit
1.Cor.12. efficitur. Ipse enim *operatur omnia in omnibus.* Sed omnia pro-
Psal.24. culdubio justa & bona. *Universæ* enim *viæ Domini misericordia*
& veritas. Qui sicut præscivit ante secula, quanta totius mun-
di hominum multitudo, *vel communibus usa donis, vel specialibus*
adiuta præsidijs, declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ, ingressura
esset latitudinem erroris & mortis: ita semper prægnitum
habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ, & per ser-
vitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret: ut
nullo excidente de plenitudine promissorũ, qui nec profectu
erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ
omnibus,

omnibus, quos elegit ex omnibus. Universitati quippe hominum (quod abundè probavimus) ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper & consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari, cùm & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & istos Dei gratia perducat ad gloriam.

Repetitio primi capitis libri secundi.

CAPVT XXX.

Caput 10. QVod itaque in principio secundi hujus voluminis insinuavimus, hoc nunc iterùm commendamus, ut cùm de gratiæ profunditate & altitudine disputatur, primis illis saluberrimis & veracissimis diffinitionibus simus innixi. Quarum una profitetur æternum & proprium divinæ esse bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire. Alia simul prædicat, *omnem hominem qui salvus fit*, *quique in agnitionem veritatis venit*, Dei auxilio 1. Tim. 2. juvari & regi, utque in fide *quæ per dilectionem operatur*, per- Galat. 5. maneat, custodiri. Tertia verò temperanter & sobriè protestatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi posse rationem, & multas divinorum operum causas ab humana intelligentia esse subductas, ut cùm in temporibus, in nationibus, in familijs, in parvulis, in nondum natis & genitis quædam aut variè aut insigniter gesta noscuntur, non ambigimus ea ex illis esse quæ justus & misericors Deus in hoc transituro seculo noluit sciri. Quod quidem ad utilitatem nostram dispositum sentiendum est, ut quoniam salvi facti sumus, cui præparavit Deus quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, sicut constanter credimus videndum quod nondum videmus; ita patienter expectemus intelligendum quod nondum intelligimus. Si ergo cesset insidiosa malignitas, si insolens præsumptio conquiescat: his rectè (ut arbitror) pertractatis, nullius supereſt causa certaminis, neque ultrà necesse est nos interminabilibus quæstionibus occupari.

Omni-

Omnibus seculis adfuisse omnibus hominibus generalem Dei *bonitatem: sed tantum salvandis peculiarem gratiam.*

CAPVT. XXXI.

ELaboratum est enim quantùm Dominus adiùuit, vt non solùm in nouissimis diebus, sed etiam in cunctis retrò seculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, prouidentiâ quidem pari & bonitate generali, sed † multimodo opere diversâq; mensurâ: quoniam sivè occultè sive manifestè, ipse est (vt Apostolus ait) *salvator omnium hominum maximè fidelium.* Quæ sententia subtilissimæ brevitatis & validissimi roboris si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc (de quâ egimus) controversiam dirimit. Dicendo enim: *Qui est salvator omnium hominum*: confirmavit bonitatem Dei super vniversos homines esse generalem. Adijciendo autem, *Maximè fidelium:* ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitùs inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficijs provehatur: quod vtique nullâ iniquitate agitur iustissimi & misericordissimi Dei, cuius iudicium in his dispensationibus non cum arrogantiâ discutiendum, sed cum tremore laudandum est.

1. Tim. 4. 10.

† c *Multimodo diverso (sine opere.)*

Specialis gratia datur electis.

Inter fideles varios esse gradus munerum Dei, *idque non ex meritis eorum, sed iusto & latenti Dei iudicio.*

CAPVT XXXII.

SIquidem in ipsis quoque fidelium populis (quod iam superiùs ostensum est) non eadem omnibus, nec paria conferantur, & ante vlla humanorum pondera meritorum, dissimillima divinorum mensura sit munerum. Si enim de parentum carnalium iudiciis conqueri non audemus, cùm aliquos filios suos ante vlla morum examina, ante aliqua pietatis obsequia, indulgentiore amplectuntur affectu: in dominis quoque ergà famulos libera est dispositio, nec iustè à quoquâ reprehenditur, qui de vnius conditionis familiâ quosdam sibi quos benigniùs honestaret, & quos liberiùs erudiret, elegit: nunquid de summi patris & veri domini benevolentissimâ

æquitate causandum est, quod in magna domo eius innumeris differentiis vniversa variantur? Cùmque nemo aliquid boni habeat quod non ille donaverit, non omnes tamen iisdem virtutibus micant, aut eâdem charismatum dote ditantur. Nec possumus hanc diversitatem graduum causis aptare meritorum, cùm totius boni meriti principalis causa sit gratia, de cuius opibus sumitur quicquid in singulis probabile reperitur.

Gratia est principalis causa meriti.

Nemo perit, qui perire non debet: sed omnes ab æterno electi salvi fiunt.

CAPVT XXXIII.

SIcut ergò de iis quæ intra Ecclesiam multiformiter Spiritus sanctus operatur, impium est vllam querelam corde concipere: ità etiam de illâ providentiâ quæ infidelibus præsidet, nullatenùs murmurandum est. Quoniam & iustus & bonus arbiter nec voluntatis iniquæ est, nec discretionis incertæ, vt sub immensâ omnipotentis Dei misericordiâ atq; iustitiâ putemus quod quisquam pereat, qui perire non debeat. Nulla pars mundi ab Evangelio vacat Christi. Et licet illa generalis vocatio quiescat, tamen etiam ista specialis iam vniversis est facta communis. Ex omni gente, & ex omni conditione adoptantur quotidiè millia senum, millia iuvenum, millia parvulorum: & affectibus gratiæ Christianæ, etiam ipsa quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quam multos enim qui in tranquillitate pacis sacramentum baptismatis suscipere differebant, ad aquam regenerationis *confugere instantis periculi metus impulit; & lentis tepidisq; animis quod diù cohortatio quieta non suasit, minax subitò terror extorsit? Quidam Ecclesiæ filij ab hostibus capti, dominos suos Christi evangelio mancíparunt, & quibus conditione bellicâ serviebant, eisdem fidei magisterio præfuerũt. At alii barbari dùm Romanis auxiliantur, quod in suis locis nosse non poterant, in nostris didicére regionibus, & ad sedes suas cum Christianæ religionis institutione remearunt. Ità nihil obsistere divinæ gratiæ potest, quo minùs id quod voluerit impleatur, dùm etiam discordiæ ad vanitatem trahũr, & plagæ in remedia vertuntur, vt Ecclesia vndè metuit pericu-

Gratia specialis omni nationi iam communis.

**C. consurgere.*

riculum indè ſumat augmentum. Ad quoslibet igitur rerum humanarum exitus ſe noſtra convertat inſpectio, nulla ſecula, nulla negotia, nullos generationum ortus atq; deceſſus ab æternis & inſcrutabilibus iudiciis Dei vacare reperiet. Omnes varietatum compugnantiæ, & vniverſæ diſſimilium proventuum cauſæ, quas inveſtigare & diſcernere non valemus, in illâ æterna ſcientia ſimul notæ ſimulq; diviſæ ſunt. Et nihil ibi inordinatum eſt, etiam de necdùm exiſtentium qualitatibus actionum. Quoniam non eſt in Deo accidens motus, aut nova voluntas, aut temporale conſiliũ, nec cogitatio eius cum rerum mutabilium inæqualitate variatur, ſed cuncta pariter tempora & temporalia, ſempiterno ac ſtabili comprehendit intuitu, & omnibus omnia iam retribuit,* qui quæ ſunt futura, iam fecit. Hinc illud eſt beati Pauli Apoſtoli ſcribentis ad Epheſios. *Benedictus Deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ,* & cætera quę ibi eiuſdem ſenſus prædicatione connectit, docens donum atq; opus gratiæ in æterno ſemper Dei manſiſſe conſilio, omneſq; adoptionis filios non ſolũ in eo tempore quo iam exiſtentes vocati ſunt, ſed etiam priùs quam mundus † conderetur, electos. In quâ electione quicquid hominum in Chriſto pręcognitũ non eſt, nullâ eidem ratione ſociabitur. Omnes enim qui in regnum Dei de cuiuslibet temporis vocatione venturi ſunt, in iſtâ quæ ſecula cũcta præceſſit, adoptione ſignati ſunt. Et ſicut nullus infidelium in hâc ſorte numeratus, ità nullus piorum ab hâc ſorte diſcretus eſt. De plenitudine quippè membrorum corporis Chriſti, præſcientia Dei, quæ falli non poteſt, nihil perdit, & nullo detrimento minui poteſt ſumma prænota, atq; in Chriſto ante ſecula æterna prælecta, ſicut ad Thimotheum ſcribens Apoſtolus dicit: *Collabora Evangelio ſecundùm virtutem Dei, qui nos liberavit & vocavit vocatione ſanctâ non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm ſuum propoſitum et gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora æterna.*

Omnium rationes in Deo æterna & immutabiles.

*c quæque

Epheſ. 1 3

*C. conſtitueretur

Electio ſalvandorum facta ab æterno.

2. Tim. 1. 9.

Non frustra laborari ad acquirenda bonorum operum merita, vel orationibus insisti: quamvis incommutabile sit Dei propositum super salute electorum.

CAPVT XXXIV.

CONtra hanc invictæ veritatis splendidissimam lucem solent quidam non sobriè dicere, superfluò ad acquirenda bonorum operum merita laborari, frustrà etiam orationibus quibus Deus exorandus speratur, insisti, si ex incommutabili proposito eius Christianæ gratiæ subsistit electio, nec aliter quicquam procedere potest, quam omnipotentis voluntate dispositum est. Sed qui se ingeniosè hoc arbitrantur opponere, non intelligunt scientiam Dei, quæ & præterita, & præsentia, & futura complectitur, tempore non teneri, & tam in conspectu eius astare ea quæ gerenda sunt, quam illa quæ aut geruntur, aut gesta sunt. Quod cùm verissimum sit, non indiget mora cernendi & discernendi illa virtus quæ perpetuo vtroq; contuitu creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda simul aspicit; & quicquid in vniversitate rerum per secula præfinita evolvitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo iam ordine comprehendit quam ex ipsius summo illo perfectoq; iudicio mundi huius finis accipiet. Hæc autem æterna & semper tranquilla cognitio, nullâ nos vrget necessitate peccandi, nec indè manat iniquitas vndè iustitia. Quia cùm bonus Deus omnia bona fecerit, & mali nulla sit omninò natura, à liberis voluntatibus, quas vtique bonum fuit liberas fieri, spontanea est orta transgressio, & natura mutabilis, cuius incolumitas ab incommutabili pendebat essentiâ, à summo se bono, dùm proprio perversè delectatur, abrupit, cui nunc ruinæ medetur gratia Dei.

Omnia simul Deus attuetur.

Gratia datur electis, non vt otientur vel à nullo hoste impetantur: sed vt benè operentur, & hostem vincant.

CAPVT XXXV.

ET propterea Iesus Christus venit in hunc mundum, vt
1. Ioan. 3. 8. *solvat opera diaboli*: quæ vtiq; sic solvuntur, vt in destructione eorum etiã ab iis quibus succurritur, laboretur, quo-
Rom. 5. 3. niam & hoc à salvante donatur. Ideò beatus Apostolus; *Non solum autem*, inquit, *sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.*
Ephes. 2. 8. Itemq; idem ad Ephesios, *Gratia*, inquit, *salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donũ est, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo in operibus bonis, quæ præparavit Deus, vt in illis ambulemus.* Deus ergò his quos elegit sine meritis, dat vndè ornantur & meritis. Et frustrà dicitur, quod ratio operandi non sit in electis, cùm etiam ad hoc operentur vt electi sint. Virtutum quippè munera otiosa esse non
Mat. 25. 29 possunt, quoniam, sicut veritas ait, *omni habenti dabitur, non habenti autem etiam quod habet auferetur ab eo.* Non igitur ad hoc datur continentia, vt concupiscentiis non repugnet. Nec ideò
Psal. 1. 2. cuiquam tribuitur sapientia & intellectus vt non die ac nocte in domini lege meditetur. Quid agit donum dilectionis, si benevolentiæ solicitudo non vigilat? Qui fructus est patientiæ si non habet fortitudo quod toleret? Aut quomodò in Christo piè vivere ostenditur, qui nullâ persecutione pulsatur? Vel
2. Tim. 3. 12 pax quæ est à Deo & cum Deo, nunquid benè quieta est, si non discordat à mundo? Aut amor Dei poterit sine diabolo in inimicitiis obtineri? Neminem prorsùs Dei gratia intentabilem facit. Neq; ob hoc cœlestium armorum præsidio à dextris & sinistris instruitur Christiana militia, vt nullo cum hoste confligat, cùm laudabiliùs sit * atq; * fœliciùs pugnantem non potuisse vinci, quam desidem non potuisse tentari.

* C. vtique
* vox. felicius abest à C.

Electio non tollit orandi studium sed eius effectus per orationem & bona opera completur.

CAPVT XXXVI.

ORationum verò solicitudinem divinæ electionis proposito non resolvi, vno testimonio evidenter probabo, vt cætera studio brevitatis omittam. In libro igitur Tobiæ

ad filium eius Tobiam Raphael angelus dicit: *Memor esto mandatorum patris tui, quoniam præcepit tibi accipere debere vxorem de genere patris tui. Et nunc audi me frater, noli computare dæmonium illud, sed postula eam. Et scito quoniam dabitur tibi hac nocte vxor, & cùm intraveris in cubiculum; tolle de iecore piscis illius, & impone super carbones, & odor manebit, et odorabitur illud dæmonium, et fugiet, et non apparebit circa illam omninò in perpetuum Et cùm caperis velle esse cum illa, surgite primùm ambo, et deprecamini dominum cæli vt detur vobis misericordia et sanitas. Et nolite timere; tibi enim destinata est ante secula, et tu eam sanabis.* Quamvis ergò quod statuit Deus, nullâ possit ratione nõ fieri, studia tamẽ non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij devotio relaxatur; cùm implendæ voluntatis Dei ità sit præordinatus effectus; vt per laborem operum, per instantiam* supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum; & qui bona gesserint, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam secundùm sua merita coronentur. Ob hoc enim in remotissimo ab humanâ cognitione secreto, præfinitio huius electionis abscondita est.

Tob. 6. 16.

Prædestinatio, nec libertatem tollit, nec studium orandi.

† C. *supplicantium.*

De nullo ante finem vitæ huius pronunciari potest quod in electorum gloria sit futurus: et nullius lapsi est desperanda reparatio.

CAPVT XXXVII.

ET de nullo ante ipsius finem pronunciari potest, quod in electorum gloriâ sit futurus, vt perseverantem humilitatem vtilis metus servet; & *qui stat, videat ne cadat;** & si fortè aliquâ victus tentatione corruerit, non absorbeatur tristitiâ, nec de eius miseratione diffidat, *qui allevat omnes qui* ruunt, et erigit omnes* elisos. Dum enim in hoc corpore vivitur, nullius est negligenda correctio, nullius est desperanda reparatio. Oret itaq; sancta Ecclesia: & pro iis qui crediderunt gratias agens, proficientem eis perseverantiam petat: pro iis autem qui extra fidem sunt, poscat vt credant. Nec ideò ab obsecrationibus cesset, si pro aliquibus exaudita non fuerit. Deus enim qui *omnes vult ad agnitionem veritatis venire*, non potest quenquam sine iustitia refutare.

† C. *ac.* † C. *corrũit*

1. Cor. 10. 12. Psal. 144. 14.

1. Tim. 2. 4

PRÆ-

PRÆFATIO
DIVI PROSPERI
In responsiones ad Capitula Gallorum.

DOCTRINAM (quam sanctæ memoriæ Augustinus Episcopus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrij decomptores, per multos annos Apostolicè asseruit, literisq; mandavit) quibusdam visum est aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere: Et hoc quasi compendium cognitionis his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre: vt quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse iactabant, brevium capitulorum inditulis publicarent: taliq; commento & detestationem eius quem impeterent, obtinerent: & ab his quæ infamassent, curam exterriti lectoris averterent. Ne ergò hanc persuasionem temere quis recipiat, & talem putet sensum scriptis catholici inesse doctoris, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentant, singulis capitulis, quæ rationis titulo prænotârunt, brevi & absolutâ professione respondeo: in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur: vt facilè vel tenuis diligentiæ advertat inspector, quam iniustis opprobriis catholici prædicatoris memoria carpatur: & in quod peccatum cadant, qui alienâ instigatione commoti, scriptorem celeberrimi nominis promptiùs habeant culpare, quàm nosse.

DIVI

DIVI PROSPERI AQVITANICI

Ad Capitula Obiectionum Gallorum calumniantium responsiones.

OBIECTIO. CAP. I.

Quod ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi, cogantur in mortem.

RESPONSIO.

PRædestinationem Dei nullus catholicus negat: fatalem autem necessitatem, multi etiam non Christiani refutant. Peccatum ergò ad mortem trahit, sed ad peccandum neminem Deus cogit. *Nemini* enim *mandavit impiè agere:* &, *Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem: perdes eos qui loquuntur mendacium.* Proindè qui prædestinationis nomine fatum prædicat, tam non est probandus, quàm qui fati nomine veritatem prædestinationis infamat. Fati enim opinio vana est, & de falsitate concepta. Prædestinationis autem fides, multâ sanctarum authoritate scripturarum munita est: cui nullo modo fas est ea quæ ab hominibus malè aguntur adscribi, qui in proclivitatem cadendi non ex conditione Dei, sed ex primi patris prævaricatione venerunt. De cuius pœnâ nemo liberatur, nisi per gratiam Domini nostri Iesu Christi præparatam & prædestinatam in æterno consilio Dei *ante constitutionem mundi.*

Ecclesiast. 15. 21

Psal. 5. 7.

Prædestinatio non est causa peccatorum.

OB-

OBIECTIO CAP. II.

Quod ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.

RESPONSIO.

OMnis homo, qui credens in Patrem & Filium & Spiritũ sanctum regeneratur in baptismo, tam à propriis peccatis, quæ malâ voluntate & actione contraxit, quam ab originali, quod à parentibus traxit, absolvitur. Sed relapsum post baptismum ad infidelitatem & impios mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quam qui eundem asserit, non æternâ morte esse damnãdum. Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratiâ finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in quod remissum est, recidit, nec in originali peccato dãnabitur: qui tamen propter postrema crimina eâ morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt, debebatur. Quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit: sine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædestinavit, & periturum nunquam ab æternâ perditione discrevit.

Baptismus delet omnia peccata.

Peccata remissa non redeunt.

OBIECTIO, CAP. III.

Quod non prædestinati ad vitam, etiamsi fuerint in Christo per baptismum generati & piè iustèque vixerint, nihil eis prosit, sed tamdiu reserventur, donec ruant & pereant: nec ante eos ex hâc vitâ quam hoc eis contingat, auferri.

RESPONSIO.

A Sanctitate ad immunditiam, à iustitiâ ad iniquitatem, à fide ad impietatem plerosq; transire non dubium est: & ad tales prædestinationem *filiorum* DEI, *coheredum* CHRISTI, non pertinere certissimum est. Quod ergò huiusmodi in hęc prolapsi mala, sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt quia prædestinati non sunt: sed ideò prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntariâ prœvaricatione præsciti sunt. Quod autem illos non eo tempore, quo in fide rectâ & bonis moribus erant, ab hâc vitâ abstulit: ad occulta eius iudicia, quæ tamen nunquam

Reprobi non ex hoc pereunt necessariò quod prædestinati non sunt.

sũt iniusta, referẽdũ est. Quis enim nesciat intra vnã cõditionẽ mortalitatis humanæ, ab vnius horæ infãtiã vsq; ad annosissimã senectutẽ, exitus morientiũ, impari ætatis fine variari; neque cuiusquam animam citiùs vel tardiùs, quàm Deus voluerit, à corpore quod vivificat, abscedere? Si ergò aliquis in vitæ suæ longitudine deseruit Deum, bono, quod erat ex Deo, malè vsus est. Nam longævitas non est nisi ex Deo. Et quod ex Deo est, non nisi bonum est: & quod bonum est, mali causa non est. Non itaq; rectè opinatur, qui putat prorogatorem vitæ, lapsuris autorem esse peccati: Cùm vtiq; non peccatum sit diù vivere, sed malè vivere: quod etiam in paucorum annorum ætate fieri potest. Igitur sicut bona opera ad inspiratorẽ eorum Deum, ita mala ad eos sunt referenda qui peccant. Non enim relicti sunt à Deo, vt relinquerent Deum: sed reliquerunt & relicti sunt: & ex bono in malum propriâ voluntate mutati sunt. Atque ab hoc licet fuerint renati, fuerint iustificati, ab eo tamen qui illos tales præscivit, non sunt prædestinati.

Deus est autor bonorũ, non autem malorum.

OBIECTIO CAP. IV.

Quod non omnes homines vocentur ad gratiam.

RESPONSIO.

NOn omnes vocari ad gratiam eos, quibus omnibus Evangelium prædicatur, non rectè dicitur: etiam si sint qui Evangelio non obaudiant: nisi ad eos respicitur, quibus nondùm sacramentum crucis Christi, & redemptio sanguinis eius innotuit. Quiá etiamsi constaret, quod iam in vniversis nationibus, & omnibus finibus terræ totus mundus Evangelium recepisset (quod vtiq; futurum verissimè prænuntiatum est) non esset tamen dubium, à tempore resurrectionis domini vsq; ad præsentem ætatem fuisse homines, qui ab hâc vitâ sine Evangelij cognitione transierint: de quibus dici possit, quod vocati non sint, quia nec spem vocationis audierint. Quod si quisquam hanc vocationis plenariam generalitatem itâ semper asserit celebratam, vt ab ascensione domini in cœlum, ne vnus quidem annus effluxerit, intra quem non ad omnes prædicatio missa pervenerit, videat quomodò tunc Asianos vocatos probet, quandò Apostoli (sicut scriptum est)

Non omnes vocati ad fidem catholicam.

venti

Act. 16. 6. & 7. vetiti sunt à Spiritu sancto, loqui verbum Dei in Asia, aut Bithynios, ad quos iidem Apostoli tentabant ire, & non permisit eos spiritus Iesu. Videat etiam quomodò tueatur denuntiationem ipsius veritatis, dicentis: *Prædicabitur hoc Evangelium in vniverso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Nutat namque (quod dici nefas est) fides verbi, si ante quadringentos Matt. 24. 15 annos Evangelio impletus est mundus, & adhuc domini differtur adventus. Postremò respiciantur etiã inter Christianos populos tot millia parvulorum, qui abhâc vitâ sine baptismo transierunt, & aliquo modo probentur vocati, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit subvenire.

OBIECTIO CAP. V.

Quod qui vocati sunt, non æqualiter sint vocati: sed alij vt crederent: alij vt non crederent.

RESPONSIO.

SI vocatio in Evangelii tantum prædicatione intelligatur, non veraciter dicitur, quod aliis atq; aliis, aliter atq; aliter Ephes 4. 5. prædicetur: cùm *vnus sit Deus, vna fides, vna regeneratio*, vna promissio. Si autem ad effectum plantationis & rigationis aspicitur, aliud actum est cum eis quorum exteriores aures corporali voce pulsatæ sunt: aliud in eis quorum interiorem *sensum* Deus aperuit, & in quorum corde posuit fidei fundamentum, delectionisq; fervorem. Quosdam autem ideò vocatos dicere, vt non crederent, nimis absurdum est: quasi vocatio eis causa infidelitatis extiterit, & prædicatio fidei fecerit infideles. Quamvis enim dispensatores verbi Dei quibusdam sint (sicut 2. Cor. 2. 16 & 15. scriptum est) *odor mortis ad mortem*: Deo tamen *bonus Christi sunt odor*: qui *prædicant Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam.* Quod ergò *prædicatus Christus crucifixus, Iudæis* erat *scandalum*, & *gentibus stultitia*, humanæ voluntatis faciebat aversio. Quod verò *ipsis vocatis Iudæis & Græcis, Christus erat Dei virtus & Dei sapientia*, divinæ gratiæ præstabat operatio.

Deus inspirat fidem & dilectionem.

Obiectio. Cap. VI.

Quod liberum arbitrium in homine nihil sit: sed sive ad bonum, sive ad malum, prædestinatio Dei in hominibus operetur.

Responsio.

Liberum arbitrium nihil esse, vel non esse, perperam dicitur: sed ante illuminationem fidei *in tenebris* illud *& in umbra mortis* agere, non rectè negatur. Quoniam priùs quàm à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo iacet in quod se suâ libertate demersit. Amat ergò languores suos, & pro sanitate habet, quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, vt incipiat nosse quod langueat & possit opem medici desiderare, quâ surgat. Iustificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio adquirat & meritum: vt quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrij, nunquã remoto adiutorio Dei, sine quo nec proficere, nec permanere in bono quisquam potest. *Prædestinationem autem Dei sive ad bonum, sive ad malum, in hominibus operari,* ineptissimè dicitur, vt ad vtrunque homines quędam necessitas videatur impellere: cùm in bonis voluntas sit intelligenda de gratiâ, in malis autem voluntas intelligenda sine gratiâ.

Liberum arbitrium sit per gratiam capax meriti.

Obiectio Cap. VII.

Quod Deus quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Christo quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc non det perseverantiam, quia non sunt à massa perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti.

Ex regeneratis in Christo Iesu, quosdam, relictâ fide & piis moribus, apostatare à Deo, & impiam vitam in suâ aversione finire, multis (quod dolendũ est) probatur exẽplis. Sed horum lapsum Deo ascribere, immodicæ pravitatis est: quasi ideò ruinæ ipsorum impulsor atque author est, quia illos ruituros propriâ ipsorum voluntate præscivit: & ob hoc à filiis perditionis nullâ prædestinatione discrevit. Nam quomodò

modò eos haberet præordinata in Christo electio, cùm dubium non sit, donum Dei esse perseverantiam in bono vsque ad finem: quam istos ex eo ipso, quod non perseveraverunt, non habuisse manifestum est. Non est calumniandum Deo quare istis non dederit, quod aliis dedit: sed confitendum est, & misericorditer eum dedisse quod dedit, & iustè non dedisse quod non dedit: nè quemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ità ex ipso videatur & standi: cùm illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex munere.

Perseverantia est donũ Dei quod misericorditer datur electis, iustè non datur reprobis.

OBIECTIO CAP. VIII.

Quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum.

RESPONSIO.

SI circa vniversitatem generis humani salvandam, & *in agnitionem veritatis* vocandam ità indifferens per omnia secula asserenda est voluntas Dei, vt vsquequâque neminem hominum prætermisisse monstretur, impenetrabilis iudiciorum Dei altitudo pulsatur. Quare enim *in præteritis seculis dimisit* Deus *omnes gentes ingredi vias suas*, quandò *Iacob elegit sibi Dominus: & non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis*: Et cur *qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei sit*: & quorum aliquandò non misertus est, nunc autem misereatur, & vbi dictum est. *Non plebs mea vos ibi vocentur filii Dei vivi*: & quare *quod quærebat Israel non sit consecutus, electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt*: impossibile est comprehendere, & periculosæ curiositatis est quærere: cùm tamen, quod *nulla sit apud Deum iniquitas*, nemini liceat ignorare: nec aliâ gratiâ, aut aliâ fide, quenquam hominum sive ante legem, sive legis tempore iustificatum esse credendum sit, quàm hâc eâdem, per quam Dominus noster Iesus Christus *secundum consilium voluntatis suæ*, in fine seculorum *venit quærere & salvare quod perierat*. Causas verò operum & iudiciorum Dei, qui ex toto ad humanas voluntates & actiones refert, quas tamen in parvulorum adoptione aut abdicatione non invenit, & dispensationes Dei ex liberi arbitrij vult mutabilitate variari, profitetur sibi scrutabilia iudicia Dei,

Act. 14. 15. Psal. 134. 4. Psal. 147. 8 1 Pet. 2. 10 Ose. 2. 24. Rom. 9. 26. Osee 1. 10. Rom. 11. 7. 2. Par. 19. 7 Luc. 19. 10

& vestigabiles vias eius. Et quod *doctor gentium* Paulus non audebat attingere, hic se existimat reseratum posse vulgare. Quodque non minoris impietatis est, ipsam gratiam, qua salvamur, aut bonis meritis docet rependi, aut malis adfirmat arceri. Remoto ergò obscurarum turbine quæstionum, ad revelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus. dicamusq; cum Apostolo: Quomodò *Deus vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Et iterum dicamus cum Apostolo: *Qui est salvator omnium, maximè fidelium.* Et audiamus dominū dicentem Apostolis suis: *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos quæcunq; mandavi vobis.* Audiamus quoq; ad Abraham promissionem Dei, dicentis: *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.* Et si *filij promissionis* sumus, non *hæsitemus diffidentia*, sed cum patre nostro Abraham *demus gloriam Deo, & plenissimè credamus, quoniam quod promisit, potens est facere.* Audiamus David prophetantem: *Commemorabuntur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentium.* Et alibi: *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Et alibi: *omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Quæ promissiones, quia verissimæ sunt, nec possunt ex vllâ parte * mutare, in his implentur qui salvi fiunt per vniversos fines terræ: *quoniam quod promisit Deus, potens est & facere.* Hæc ergò est illa totius humani generis assumptio, hæc *filiorum Dei adoptio*, hæc *gentium plenitudo*, præscita & prædestinata *in Christo ante constitutionem mundi*. Hæc est Hierusalem, quæ ab initio vsque in finem, lapidibus vivis & electis ædificatur, vt civitas fundata in *ipso angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino.* De his lapidibus nihil ejicitur, nihil minuitur, nihil rapitur. Veritas enim dicit: *Omne quod dat mihi pater, veniet ad me, & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Et iterùm: *Non creditis, quia non estis de ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego novi illas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea.* Omnium ergò hominum cura est Deo: & nemo est, quem non aut Evangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conveniat. Sed infidelitatem hominum, ipsis adscribamus

Rom. 11.33

1 Tim. 2.4

1 Tim. 4.10

Matt. 28.19 & 20.

Genes. 16.4 Rom. 4.20. & 21.

Psal. 21.28

Psal. 71.17

Psal. 85.9.

† mutare.

Rom. 4.21

1. Pet. 1.2.5

Ephes. 2.20 & 21.

Ioan. 6.37. Ioan. 10.26 27. & 28.

mus

mus hominibus. Fidem autem hominum, donum Dei esse fateamur, sine cuius gratiâ nemo currit ad gratiam. Et cum ducentis qurtuordecim sacerdotibus (quorum constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est) veraci professione, quemadmodùm ipsorum habet sermo, dicamus gratiam Dei per Iesum Christum Dominum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuvare: ità, vt sine illâ nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Neque hæc dona ità ex Deo esse opinemur, vt quia ipse naturæ nostræ autor est, per conditionem iam hæc contulisse, videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem: sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus. Vndè aliâ creatione, alioque principio renovari egemus in Christo: in quo sumus nova creatura, novumque figmentum: & per quem nobis, nullis bonis, & multis malis meritis præcedentibus, donatur, vt simus *ex vasis iræ, vasa misericordiæ.*

Idem dicit c. 10. l. contr. Collatorem. Vide Aug. epi. 47. ax qua apparet tres, imo quatuor Synodos in Africa fuisse celebratas.

OBIECTIO CAP. IX.

Quod non pro totius mundi redemptione salvator sit crucifixus.

RESPONSIO.

NVllus omninò est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo nomino nostro susceptа non fuerit, quâvis ille natus sit *in similitudine carnis peccati:* omnis autem homo nascatur in carne peccati. Deus ergò Dei filius, mortalitatis humanæ particeps factus absque peccato, hoc peccatoribus & mortalibus contulit, vt qui nativitatis eius consortes fuissent, vinculum peccati & mortis evaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renovationi, natum esse hominem Iesum Christum, nisi in ipso eodem de quo ipse ortus est; spiritu renascantur: sic non sufficit hominum redemptioni, crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei, & consepeliantur in baptismo. alioquin, nato salvatore in carne substantiæ nostræ, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium, vt renasceremur, & similitudine

Rom. 6. 4.

mortis

mortis eius complantaremur: sed cùm sine hoc sacramento, nemo hominum consequatur vitam æternam, non est salvatus cruce Christi, qui non est crucifixus in Christo. Non est autem crucifixus in Christo, qui non est membrum corporis Christi, qui non per aquam & spiritum sanctum induit Christum. Qui ideò infirmitate nostrâ communionem subiit mortis, vt nos in virtute eius haberemus consortium resurrectionis. Cùm itaque rectissimè dicatur salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humànæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Evangelista: *quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum. In sua* enim *venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*: Diversa ergò ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dicitur: *Mundus eum non cognovit*, vt possit secundùm hoc dici redemptor mundi, dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit: quia *lucem tenebræ non receperunt*: & tenebræ receperunt quibus dicit Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino*. Ipse verò Dominus Iesus, qui dixit *se venisse quærere & salvare, quod perierat. Non veni*, inquit, *nisi ad oves quæ perierant domus Israel. Neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filij, sed in Israel vocabitur tibi semen: id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij promissionis æstimantur in semine.* In istis ergò sunt illi, de quibus dictum suprà memoravimus: *quia Iesus moriturus erat pro gente: non tantùm pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum.* Quia non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, per eum, *qui vocat quæ non sunt, tanquam quæ sunt*, & qui dispersos Israel congregat, filij Dei, *filij promissionis* in vnam Ecclesiam congregentur: vt impleatur quod promissum est Abrahæ cui dictum est, quod *in semine eius benedicendæ essent omnes tribus terræ.*

Christus secundùm carnem mortuus est pro omnibus

Ioan. 11. 51 & 52.
Ioan. 1. 11. 12. & 13.
Ioan. 1. 10.
Ephes 5. 8. Luc. 19. 10. Mat 15. 24. Rom. 9. 7. & 8.
Gen. 21. 12
Ioan. 11. 51. & 52.
Rom. 4. 17
Gen. 26. 4.

OB-

OBIECTIO CAP. X.

Quod quibusdam Evangelij prædicatio à Domino subtrahatur, ne perceptâ prædicatione Evangelij salventur.

RESPONSIO.

SI probari potest, quod ex quo Evangelium prædicatur nemo prorsus fuerit, cui Christiana gratia adnunciata non fuerit, non rectè dicitur tacitum, quod ostenditur prædicatum. Si autem aliquo modo inveniuntur homines, quibus Evangelium non fuerit prædicatum, non potest dici sine iudicio Dei factum: quod nefas est ideò reprehendi, quia non potest comprehendi.

OBIECTIO CAP. XI.

Quod per potentiam Deus homines ad peccata compellat.

RESPONSIO.

NVllus Catholicorum dixit aut dicit, *quod Deus homines* piè rectèque viventes *per potentiam in peccata compellat*, & innocentiæ humanæ potestas divina vim faciat, vt eam à proposito bonæ conversationis excutiat. Non sunt Dei opera ista, sed diaboli: cuius gaudium est ruina sanctorum: sed *allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos:* quibus *dat pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenebantur ad ipsius voluntatem.* Cùm verò aliquos à Deo aut traditos desideriis suis aut obduratos legimus, aut relictos, magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur: quia talia eorum crimina præcesserunt vt ipsi sibi pœnas debuerint, quæ eis etiam supplicium verterent in reatum. Atque ita nec de iudicio Dei querimur, quo deserit meritos deseri: & misericordiæ eius gratias agimus, quâ liberat non meritos liberari.

Psal. 144. 14.

2. Tim. 2. 16.

Rom. 1. 24.

Causa obdurationis sunt peccata præcedentia.

OBIECTIO CAP. XII.

Quod quibusdam vocatis, & piè iustèq; viventibus, obedientia subtrahatur vt obedire desistant.

RESPONSIO.

SI Deus hominem sibi obedientem à pietate deturbat, & benè currentem cadere facit: ergò bonis mala retribuit, & iniustè punit, quod vt fiat impellit. Quid tàm perversum,

confer cum 22. c. l. 2. de bono perseuer. Aug.

† *hoc, ideò cum non prædestinavit: videtur mihi addendum. Quod non improbabis, si conferas cum 2. 3. 7. respons. supr. positis.*

tam insanum dici, aut cogitari potest? Sed in talem sensum trahuntur, qui putant in omnibus hoc esse præscientiam Dei, quod & voluntatem: cùm voluntas eius nunquàm velit nisi bona: præscientia autem & bona noscit & mala: sed bona quæ aut ipse faciat, aut etiam vt nos faciamus, imperat: mala autem, quæ omninò ipse non fecit, neque fieri suasit, aut impulit. Vires itaque obedientiæ non ideò cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinavit: sed quia recessurum ab ipsâ obedientia esse prævidit, † ideò eum non prædestinavit.

OBIECTIO CAP. XIII.

Quod quidam homines non ad hoc à Deo creati sunt, vt vitam adipiscerentur æternam, sed vt habitum tantummodò sæculi præsentis ornarent, & ad vtilitatem nascerentur aliorum.

RESPONSIO.

VNiversos homines non ignoramus à Deo singillatim creari: & de hâc vniversitate alios damnandos cum diabolo, alios regnaturos esse cum Christo. Quòd ergò etiam hi creantur, qui æternæ vitæ participes non erunt, nulla est culpa creatoris, qui naturæ author est, non vitij quod natura contraxit. Ornari autem etiam talium conditione mundi huius varietatem, quis non intelligat, qui videat studiis & operibus quorundam impiorum tot commoda vitæ præsentis instructa in inventione artium, in extructione vrbium, in constitutione legum, in confœderatione populorum? Quòd si quæritur an de istis, quos à vera religione impius error avertit, aliquid boni profectibus sanctorum, & incrementis Ecclesiæ providentia divina contulerit, inspiciatur primùm ipsa crux Christi: in quâ magno scelere Iudæorum misericors voluntas Dei, vt pro redemptione nostrâ vnicus filius eius occideretur, impleta est. Inspiciatur Apostolorum glorioſa tolerantia, inter persequentium fremitus hâc animi voce ad Deum clamantium: *Act. 4. 27. & 28. Convenerunt ergò verè in civitate istâ adversus sanctum puerum tuum & Iesum quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel, vt facerent quæ manus tua & consilium prædestinavit fieri.* Inspiciantur denique innumerabilium martyrum palmæ, quibus de crudelissima infidelium sævitia fœlix est collata victoria. Audiatur etiam Apostolus Ecclesiam ad perseverantiam pietatis instituens: *In nullo*, inquit, *terreamini ab adversariis* *Phil. 1. 28. & 29.*

qua

quæ eſt illis cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo. *Vobis enim donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* De illis quoq; erroribus conſulens nobis Dei bonitas ſentiatur quos Deus in Eccleſia contra Eccleſiã permiſit exurgere: Non vtiq; eos creans aut fovens, ſed per ipſos diligentiam filiorum ſuorum, ad inquiſitionem & cuſtodiã
1.Cor.11. 19. veritatis exercens, dicente Apoſtolo: *Oportet hæreſes eſſe, vt probati, manifeſti fiant in vobis.* Quis autem reſpiciens ad tenebras impiorum, & ad illuminationem filiorum, non ad gratias agendas Deo, ex ipsâ fiat collatione ferventior: & in ruina pereuntium diſcat, in quæ mala per liberum arbitrium rueret, niſi ei *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum gratia Dei* ſubveniret?

OBIECTIO CAP. XIV.

Quod qui Evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei *prædeſtinatione non credant: & quod Deus ita definierit, vt quicunque non credunt, ex ipſius conſtitutione non credant.*

RESPONSIO.

INfidelitas non credentium Evangelio, nequaquàm ex Dei prædeſtinatione generatur. Bonorum enim Deus author eſt, non malorum. Prædeſtinatio igitur Dei ſemper in bono eſt, aut ad retributionem iuſtitiæ, aut ad donationem pertiPſal.24.10. nens gratiæ. *Vniverſæ* enim *viæ* Domini *miſericordia & veritas.* Proindè, infidelitas non credentium, non ad conſtitutionem Dei, ſed ad præſcientiam referenda eſt. Quæ non ideò neceſſitatem non credendi intulit, quia falli de ea, quæ futura erat infidelitate non potuit. Fides autem & charitatis opera, atque in eis vſque in finem perſeverantia, quia homini per *Dei gratiã* † *eſtis.* conferuntur, rectè & iſta, & quæ eis retribuenda ſunt, prædeEph.2.9.& 19. ſtinata dicuntur ex authoritate Apoſtoli, qui ait; *Gratia Dei ſalvi facti † ſumus per fidem, & hoc non ex vobis, ſed* Dei *donum eſt. Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus vt in illis ambulemus.* Tàm ergò in errore eſt, qui infidelitatem impiorum ad Dei conſtitutionem refert, quàm qui fidei iuſtitiæq; ſanctorum, non Deum profitetur authorem. Qui enim quod acceperat perdidit: non indè id recipit vndè perdidit, ſed ab illo recipit quod habeat, à quo quod amiſit acceperat.

Prædeſtinatio alia gratia alia iuſtitia.

Infidelitas præſcita, nõ prædeſtinata

OBIECTIO CAP. XV.

Quod idem sit præscientia quod prædestinatio.

RESPONSIO.

QVi præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur asscribere. Sed cum bona ad largitorem cooperatoremq́; eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint, dubium non est, sine vlla temporali differentia Deum & præscisse simul, & prædestinasse quæ ipso erant authore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda. Præscisse autem tantum modò, non etiam prædestinasse quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia. Prædestinatio autem sine præscientia esse non potest. Quàmvis ergò ad omnes obiectiones seu querulæ imperitiæ, seu fallacis invidiæ, planissimè ac plenissimè, quantum dominus dedit, existimem esse responsum, professionem tamen sensus nostri etiã in brevia coarctemus: vt sub paucorum verborum simplicitate, magis magisque appareat, nos quod de suprà scriptis capitulis intelligimus, nulla circumloquendi arte prætexere, sed absolutè ac liberè & prava respuere, & consensum probabilibus non negare.

Non omnia prædestinata quæ præscita.

DE SINGVLIS CAPITVLIS

Singulæ sententiæ.

SENTENTIA SVPER I.

QVisquis igitur *ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate homines in peccata compulsos, cogi* dicit *in mortem*, non est catholicus. Nullo enim modo prædestinatio Dei iniquos facit, neque cuiusquam omninò est causa peccati.

SEN-

Sententia Svper II.

ITem, Qui dicit, *quod ab his qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum*, non est catholicus. Sacramentum enim baptismatis, quo omnia prorsus peccata delentur, etiam in eis verum est, qui non sunt in veritate mansuri, & ob hoc ad vitam veram non sunt prædestinati.

Sententia svper. III.

ITem, Qui dicit, *quod non prædestinati ad vitam, etiam si fuerint in Christo baptismate regenerati, & piè iustèq; vixerint, nihil eis prosit, sed tamdiù reserventur, donec ruant & pereant: nec antè eos ex hac vita, quam hoc eis contingat, auferri*, tanquàm ad constitutionem Dei talium hominum ruina referenda sit: non est catholicus. Quia non ideò Deus tempus ætatis cuiquam prolongavit, vt diù vivendò corrueret, & à fide recta in sua longævitate deficeret: cùm inter beneficia Dei numeranda sit ipsa longævitas: quâ homo melior debuit esse, non peior.

Sententia svper IV.

ITem, Qui dicit, *quòd non omnes vocentur ad gratiam*, si de his loquitur quibus Christus annunciatus non est, reprehendi non debet: quia scimus quidem in omnes fines terræ Evãgelium destinatum, sed non putamus iam in omnibus terræ finibus prædicatum. Nec possumus dicere quod ibi sit gratiæ vocatio, vbi matris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio.

Mat. 23. 14

Sententia svper V.

ITem, Qui dicit, *quod qui vocati sunt, non æqualiter vocati sint, sed alii vt crederent, alii vt non crederent*, quasi cuiquam vocatio causa fuerit non credendi: non rectè dicit. Quàmvis enim fides non sit nisi ex Dei dono, & hominis voluntate: infidelitas tamen non est, nisi ex sola hominis voluntate.

Sententia svper VI.

ITem, Qui dicit, *quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum sive ad malum prædestinatio Dei in hominibus operetur*: non est catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed *adolet, & ab errore in viam revocat ac reducit*: vt

quod suâ libertate erat pravum, spiritu Dei agente sit rectum. Prædestinatio quoque Dei semper in bono est: quæ peccatum, sola hominis voluntate commissum, aut remittendum novit cùm laude misericordiæ, aut plectendum cum laude iustitiæ.

SENTENTIA SVPER VII.

ITem, qui dicit, *quod Deus quibusdam filiis suis quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc perseverantiam non dederit, quia à massa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione nõ sint discreti*: Si hoc vult firmare, quod Deus huiusmodi homines in bonis quæ donaverat, noluerit permanere, & ipse eis causa aversionis extiterit, contra iustitiam Dei sentit. Quamvis enim omnipotentia Dei potuerit vires standi præbere lapsuris: gratia tamen eius non priùs eos deseruit, quàm ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntariâ facturos defectione prævidit, ideò in prædestinationis electione illos non habuit.

SENTENTIA SVPER VIII.

ITem, Qui dicit, *quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum*, durius loquitur, quàm loquendum est de altitudine inscrutabilis *gratiæ Dei: qui & omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem venire veritatis: & voluntatis suæ propositum* in eis implet, quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit, vocatos iustificavit, iustificatos glorificavit. Nihil amittens de plenitudine gentium, & de omni semine Israel, cui præparatum est in Christo regnum æternũ *ante constitutionem mundi*. Ex toto enim mundo totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus, omnes homines adoptantur. Nec potest vllo modo per infidelitatem atque inobedientiam multorum, Dei promissio vacillare dicentis ad Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quod* autem *promisit Deus, potens est & facere*: vt & qui salvantur, ideò salvi sint, quia illos voluit Deus salvos fieri: & qui pereunt, ideò pereant, quia perire meruerunt.

1. Tim. 2. 4.

Rom. 8 29. & 30.

Gen. 26. 4.

Rom. 4. 21.

SENTENTIA SVPER IX.

ITem, Qui dicit, *quod non pro totius mundi redemptione salvator sit crucifixus*: non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem: cum sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium totius mundi sit: A quo pretio extranei sunt, qui aut delectati

delectati captivitate, redimi noluerunt: aut post redemptio-
Rom. 9. 6. nem ad eandem sunt servitutem reversi. *Non* enim *cecidit verbum Domini*, neque evacuata est mundi redemptio. Quia etsi *non cognovit mundus Deum in vasis iræ, cognovit* tamen *mundus Deum in vasis misericordiæ.* Quæ Deus nullis eorum bonis me-
Coloss. 1. 13. ritis præcedentibus, *eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.*

SENTENTIA SVPER X.

ITem, Qui dicit, *quod quibusdam Evangelii prædicatio à Domino subtrahatur, ne perceptâ Evangelij prædicatione salventur:* potest obiectionis invidiam declinare patrocinio ipsius salvato-
Mat. 11. 21. ris: qui apud quosdam, quos ait fuisse credituros, si mirabilium eius signa vidissent, noluit operari. Et quibusdam popu-
Act. 16. 6. & 7. lis vetuit Apostolos evangelizare: & nunc aliquas adhuc gentes patitur extra gratiam suam degere: cùm tamen constantissima fide perceptum habeamus, in omnes mundi partes Ecclesiam dilatandam. Nec ante esse hoc sæculum finiendum, quàm
Phil. 2. 11. in universas fines terræ Evangelium dirigatur, *& omnis lingua confiteatur, quoniam Iesus in gloria Dei patris est.*

SENTENTIA SVPER XI.

ITem, Qui dicit, *quod per potentiam Deus homines in peccata compellat*, meritò reprehenditur. Nec enim Deus, qui iustitiæ & bonitatis author est, & cuius omnia statuta & mandata contra peccatum sunt, quenquam ad peccandum cogere, & ab innocentia in facinora præcipitare credendus est. Si qui autem tàm profundæ impietatis sunt, vt extra remedium correctionis habeantur, non à Deo incrementa iniquitatis accipiũt, sed per semetipsos deteriores fiunt: quia relinqui à Deo, ac sibi, ac deceptoribus suis tradi propter præcedentia peccata meruerunt, vt eis peccatum sit ipsa etiam pœna peccati.

SENTENTIA SVPER XII.

ITem, Qui dicit, *quod quibusdam vocatis, & piè iustèq; viventibus, obedientia subtrahatur, vt obedire desistant:* malè opinatur de bonitate Dei atque iustitia, vt videatur ad impietatem pios cogere, & innocentiam bonis adimere: cùm ipse sit pietatis atque innocentiæ & largitor & custos. Qui ergò Deo adhæret, *spiritu Dei agitur*: qui autem à Deo recedit, propriâ voluntate obedire desistit.

SEN-

SENTENTIA SVPER XIII.

ITem, Qui dicit, *Quod quidam homines non ad hoc à Deo creati sunt, vt vitam adipiscerentur æternam, sed vt habitum tantummodò sæculi præsentis ornarent, & ad vtilitatem nascerentur aliorum:* melius loqueretur dicens, quod Deus qui creator est omniũ, non frustra etiam eos condat, quos prævidit vitę æternæ participes nõ futuros: quia etiam in malis hominibus bonum Dei opus est ipsa natura, & laudabilis est in impiorum damnatione iustitia. Non potest autem meritò reprehendi qui dicit, quod etiam talium conditione mundus ornetur: & quod hi, qui sibi suâ iniquitate nocituri sunt, ad vtilitatem nascantur aliorum: neque enim quamlibet innumerabilis multitudo impiorum indecora est mundo, aut inutilis Dei regno, cùm etiam per ipsorum veniat propaginem regeneranda generatio, & in eis tolerandis ac diligendis, populus Dei fiat illustrior: discens bonitatem & patientiam ab illo, *qui pluit super iustos & iniustos: & solem suum oriri facit super bonos & malos.* Mat. 5. 45.

Cur creantur qui futuri sunt reprobi.

SENTENTIA SVPER XIV.

ITem, Qui dicit, *quod qui Evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant: & quod Deus ita definierit, vt quicunque non credunt, ex ipsius constitutione non credant:* non est catholicus. Sicut enim *fides, quæ per dilectionem operatur,* Dei donum est: ita infidelitas constitutio Dei non est: quia Deus pœnas criminum novit ordinare non crimina. Nec consequẽs est, vt quod non remiserit, ipse commiserit. Prædestinatus itaque *vivit ex fide* sibi donata: non prædestinatus perit infidelitate voluntariâ, non coactâ Gal. 5. 16.

SENTENTIA SVPER XV.

ITem, qui dicit, *quod idem sit præscientia quod prædestinatio*, in bonis sine dubio operibus nostris, duo ista permiscet. Quæ enim ex Dei munere habemus, & quæ præscita dicuntur, non possunt non esse prædestinata: & quæ prædestinata appellantur, non possunt non esse præscita. In malis autem operibus nostris, sola præscientia Dei intelligenda est. Quia sicut præscivit & prædestinavit quę ipse facit, & vt faceremus dedit: Ita præscivit tantùm, non etiam prædestinavit, quæ nec ipse fecit, nec vt faceremus exegit.

FINIS. PRÆ-

PRÆFATIO
D. PROSPERI

In responsiones ad capitula obiectionum Vincentianarum.

QVidam Christianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantùm existimationem nostram, quoquomodo studeant lædere, vt suam se evertere, nocendi cupiditate, non videant: Contexunt enim, & qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia: eaque ostendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt: Asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo: quæ falso in nos, ad excitandam invidiam iactitari, facilè & sufficienter subscriptione vnius probaremus anathematis, nisi malignitas eorum, qui se gravari putant, si de nobis benè sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ brevitatem suspectam esset habitura. Vndè ne huius querelæ inveniretur occasio, necessarium convenientsque credidimus, vt sive ad calumniantium animos mitigandos, sive ad eos quorum auribus tale aliquid insonuit instruendos, quàtùm adiuvante Domino fieri potuerit, plenè lucidèque pandamus, quid de perversis definitionibus iudicemus. Propositis igitur singillatim sedecim capitulis, sub vnoquoque eorũ, sensus nostri & fidei quam contra Pelagianos ex Apostolicæ sedis authoritate defendimus, verba ponemus: vt qui paululùm se ad legenda hæc dignati fuerint occupare, evidenter agnoscant, impiarum profanarumq; opinionum nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium: & blasphemias quas perspexerint nostrá professione damnari, in earundem repertoribus censeant debere puniri.

DIVI PROSPERI AQVITANICI

Ad Capitula Obiectionum Vincentianarum responsiones.

OBIECTIO. PRIMA.

Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute, & redemptione sit passus.

RESPONSIO.

COntra vulnus originalis peccati, quo in Adã omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & vndè omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum & potens ac singulare remedium est mors filij Dei Domini Iesu Christi: qui liber a mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est, quod ergò ad magnitudinẽ & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cùm itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus *princeps mundi missus est foras*, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cuius mors non ita impensa est humano generi, vt ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant pertinerent: sed ita, vt quod per vnicum exemplum gestum est pro vniversis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippè immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute divina, habet quidem in se vt omnibus prosit: sed si non bibitur, non medetur.

Omnes rectè dicuntur redempti, sed proprietas redemptionis pertinet ad membra Christi.

OB.

OBIECTIO II.

Quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint.

RESPONSIO.

Mat. 7.11. CVm veritas dicat: *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filys vestris, quantò magis pater vester cœlestis dabit bona petentibus se?* qui fieri potest, vt Deus, qui etiam illos salvat de quibus dici non potest quod salvari velint, nolit aliquos salvare etiam si salvari velint, nisi aliquæ causæ existant; de quibus, quàmvis sint nobis incognoscibiles, ita tamen bene iudicat, de quo dici non potest, aliter eum quicquam facere debuisse, quàm fecerit? Remotâ ergò hâc discretione, quam divina scientia intra secretum iustitiæ suæ continet, sinceriſsimè credendum atque profitendum est, Deũ velle, vt omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus
1. Tim. 2.1. ista sententia est, sollicitiſsimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piſsimè custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum: quod salvantur, salvantis est donum: vt enim reus damnetur, inculpabilis est Dei iustitia: vt autem reus iustificetur, ineffabilis Dei gratia est.

OBIECTIO III.

Quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum

RESPONSIO.

OMnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideò creatus est vt periret: quia alia est causa nascendi, & alia est pereundi. Vt enim nascantur homines, conditoris est beneficium: vt autem pereant, prævaricatoris est meritum. In Adam quippè, in quo omnium hominum præformata natura est *omnes peccaverunt*: eademque sententia quam
Rom. 5.12. ille excepit, obstricti sunt. Neque ab hoc vinculo, etiam si propriis peccatis careant, resolvuntur; nisi in sacramento mortis & resurrectionis Christi per spiritum sanctum renascantur. Nimis ergò impius & indoctus est, qui vitium naturæ non discernit ab authore naturæ: à quo prorsus alienum est quicquid in vnoquoque damnandum est. Creat enim homines vt sint homines: nec multiplicandis generationum succes-

Deus nõ est auctor vitiorum.

cessionibus opificium suum subtrahit, *secundùm consilium* bonæ *voluntatis suæ*, reparaturus in multis quod ipse fecit; puniturus in multis quod ipse non fecit: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius hominis obedientiam iusti constituuntur multi.* Rom. 5. 17.

OBIECTIO IV.

Quod maior pars generis humani ad hoc creetur à Deo, vt non Dei sed Diaboli faciat voluntatem.

RESPONSIO.

INsanum omninò & contra rationem est, dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri: & damnatorem diaboli eiusque famulorum, velle vt diabolo seruiatur. Sed hoc catholicis Pelagiani consequenter se obiicere existimant, qui Adæ peccatum transisse in omnes diffitentur. Quoniam si primam nativitatem originalis culpa non obligat, non sint obnoxij diabolo parvuli: nec indigent *erui de potestate tenebrarum*, qui nunquàm à suo authore discesserint. Nos autem, qui omnes in Adam periisse profitemur (*Venit enim filius quærere & salvare quod perierat*) nec dicimus ideò creari quemquam hominem vt diaboli faciat voluntatem: & agnoscimus omnem hominem non redemptum, diabolo esse captivum. Prævaricatio enim hominum, dispositæ à sacris creationis ordinem turbare non potuit, & meritò creatura peccatrix pœnalem damnationem illius patitur, cui relicto vero Domino, sponte se vendidit. Hæc quippè servitus non institutio est Dei, sed iudicium, quo fraus deceptoris diaboli facta est decepto, & malè credulo homini pœna peccati. De qua nemo eruitur, nisi per *mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum*, cuius gratuita gratia, & multorum malis meritis non tribuitur, & nullorum bonis meritis prævenitur. Luc. 19. 10. 1. Tim. 2. 5.

OBIECTIO V.

Quod peccatorum nostrorum author sit Deus, eò quod malam voluntatem hominum, plasmet substantiam, quæ naturali motu non possit nisi peccare.

RESPONSIO.

HVius quoque obiectionis vanitas de illa procedit schola, in qua natura humana immunis à peccato Adæ, & illæsa defenditur, vt quia omnes homines prævaricationis reos

reos & damnationi obnoxios nasci, perituroſq; nisi in Christo renascantur asserimus, eundem videamur dicere authorem culpæ, quem profitemur conditorem esse naturæ. Quod nos à sensu nostro penitus abdicamus, qui Deum iustum, bonum, sic humanæ substantiæ & interiorum exteriorumque sensuũ novimus creatorem, vt prorsus ab illo sit quicquid pertinet ad naturam, & prorsus non ab illo sit quicquid contra naturam est. Peccatum autem contra naturam est, de quo mors & omnia quæ sunt mortis oriuntur. Quibus malis tunc se homo induit, quando illum fide obedientiaq; privatum, in suas promissiones diabolus à Dei lege traduxit, omniaq; sibi posteritatis eius germina, per conditionem depravatæ stirpis obstrinxit. Vndé *si qua in Christo nova creatura est*, libera sit diabolo, & subiiciatur Deo reformata à deformitate suâ, ad imaginem eius qui creavit eam. Quod nisi fiat, remanet in illo, *in quò omnes moriuntur*, non habens sortem in eo, *in quo omnes vivificantur*. Non igitur cuiusquam peccati author est, sed naturæ creator est. Quæ cùm potestatem habuerit non delinquendi, spontè deliquit, & deceptori suo proprio propriâ voluntate se subdidit. Nec naturali, sed captivo motu versatur in vitio, donec *moriatur peccato & vivat Deo*: quod sine gratia Dei facere non potest: quia libertatem quam libertate perdidit, nisi in Christo liberante non recipit. *Non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri.*

Peccatum est contra naturam.

Motus liberi arbitrij antè receptam gratiã captivus.

2. Cor. 5. 17

1. Cor. 15. 22.

Act. 4. 12.

OBIECTIO VI.

Quod Deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum: quod proprio motu nihil aliud possit, vel velit, nisi malum.

RESPONSIO.

TOtus quidem *mundus*, (sicut ait Ioannes Apostolus) *in maligno positus est*: & multorum hominum talis est malitia, qualis & dæmonum. Qualibus dicebat Dominus: *Progenies viperarum quomodò potestis bona loqui cùm sitis mali?* & *Vos de diabolo patre nati estis, & concupiscentias patris vestri facere vultis.* Sed hoc inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam valdè malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio. Sicut ergò prævaricatoribus angelis non Deus indidit illam, quæ *in veritate non steterit* voluntatem: ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarentur, inseruit. *Mendax* enim *de proprio loquitur* & liber à mendacio non erit, nisi eum *veritas liberaverit*.

2. Ioan. 5. 19

Mat. 7. 7.

Ioan. 8. 44.

Ibidem.

OBIECTIO VII.

Quod hæc sit voluntas Dei, vt magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit.

RESPONSIO.

SI de his hoc dicitur, qui pietatem Christianæ conversationis & fidei deserentes, in prophanos errores, aut in damnabiles mores irrevocabiliter transierunt, non dubium est, quod talem voluntatem habentes, salvi esse nolunt: & quamdiù salvi esse nolunt, salvi esse non possunt. Sed nullo modo credendum est huiusmodi homines, in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse, cùm potiùs *allevet Dominus omnes qui corruunt, & erigat omnes elisos.* Nemo enim nisi illius gratia erigitur, nemo nisi illius gratia stabilitur. Dei ergò voluntas est, vt in bona voluntate maneatur: qui & priùs quàm deseratur neminem deserit: & multos desertores sæpè convertit. Psal. 144. 14.

OBIECTIO VIII.

Quod noluit Deus, vt omnes Catholici in fide catholica perseverent, sed velit vt magna exinde pars apostatet.

RESPONSIO.

NOn est enim dissimilis blasphemiæ huius impietas, à præcedente sententia: quod ergò ad illam, hoc etiam ad istam, quę in nullo est diversa, responsum sit.

OBIECTIO IX.

Quod velit Deus, vt magna pars sanctorum à sanctitatis proposito ruat.

RESPONSIO.

NEc huius definitionis insania aliud sonat, quam gemina obiectio prælocuta est. Vnde mirandum est, obiiciendũ tertiò repetisse, quod semel dixisse sufficerat: sed vt res est, numerum criminationis augere voluit, quia sensum variare non potuit.

OBIECTIO X.

Quod adulteria & corruptela virginum sacrarum ideò contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinavit vt caderent.

RESPONSIO.

DEtestanda & abominanda opinio, quæ Deum cuiusquã malæ voluntatis, aut malæ actionis credit authorem: Cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra

tra

Psal. 24.10. tra iustitiam est: *Universæ enim viæ Domini misericordia & veritas.* Adulteria enim maritatarum, & corruptelas virginum non istituere novit sancta divinitas, sed damnare: nec disponere, sed punire. Quæ mala homines cùm admittunt, suis concupiscentiis & cupiditatibus serviunt, quas ab illa prima voluntaPsal 36.27 & 28. riæ prævaricationis labe traxerunt: cùm autem *declinant à malo, & faciunt bonum, à Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet.* Propter quod dicit Apostolus: *Oramus autem ad Deum* 2.Cor.13.7. *minimum, vt nihil mali faciatis: non vt nos probati appareamus, sed vt vos quod bonum est, faciatis.* Non ergò casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, suasit, aut impulit: sed planè prædeProdestinatio non est causa peccatorum.

2.Cor.5.10 stinavit iudicium suum, quo vnicuique retributurus est *prout gessit, sive bonum sive malum.* Quod iudicium futurum omninò non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem manifestissimè. Et omnis homo quem discretio divinæ scientiæ in sinistra constituerit parte, damnabitur: quia non Dei sed suam executus est voluntatem.

OBIECTIO XI.

Quod quandò incestant patres filias, & matres filios: vel quandò servi dominos occidunt, ideò fiat, quia ita Deus prædestinavit vt fieret.

RESPONSIO.

SI diabolo obiiceretur, quod talium facinorum ipse author, ipse esset incentor, puto quod aliquâ ratione exonerare se hâc posset invidiâ, & talium scelerum patratorem de ipsorum voluntate vinceret: Quia etsi delectatus est furore peccantium, probaret tamen se non intulisse vim criminum. Quâ ergò insipientiâ, quâvè dementiâ definitur ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in totum ascribi potest, qui in peccantium flagitiis illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus est esse generator? Nihil ergò talium negotiorum Deus prædestinavit vt fieret: nec illam animam nequiter, turpiterque victuram ad hoc, vt taliter viveret, præparavit: sed talem futuram non ignoravit, & de tali iustè se iudicaturum esse præscivit. Atque ita ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.

OB.

OBIECTIO XII.

Quod Dei prædestinatione efficiantur de filiis Dei filij diaboli, & de templo sancti Spiritus templa dæmonum, & de membris Christi membra meretricis.

RESPONSIO.

PRædestinatio Dei etsi apud nos, dùm in præsentis vitæ periculis versamur incerta est, apud illum tamen, qui *fecit quæ futura sunt*, incommutabilis permanet: nec quæ illuminavit, obcæcat: nec quæ ædificavit destruit: nec quæ plantavit evellit. *Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei*: &, *firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit dominus qui sunt eius*: Nullo igitur modo prædestinatio Dei facit, vt aliqui ex filiis Dei filii sint diaboli: aut ex templo sancti Spiritus templa sint dæmonum: aut ex membris Christi, fiant membra meretricis, sed potiùs prædestinatio facit vt ex filiis diaboli, fiant filij Dei: & ex templo dæmonum, templũ sit Spiritus sancti: & ex membris meretricis, membra sint Christi. Quia ipse *alligat fortem, & vasa eius rapit, eruens ea de potestate tenebrarum*, & transferens de contumelia in gloriam. Hi autem de quibus dicitur: *ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum*: volũtate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei, multis est causa standi, nemini est causa labendi.

Rom. 11. 29
2. Tim. 2. 19
Mat. 12. 29
1. Ioan. 2. 19.

OBIECTIO XIII.

Quod omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quandò ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur: sed ipsius vitij causa est divina prædestinatio, qua illis latenter subtrahit bonas voluntates.

RESPONSIO.

IDem blasphemiarum spiritus perseverat, & à præcedentibus mendaciis subsequens impietas non recedit: quã prorsus vera ratio reprobat, & incunctanter sana doctrina cõdemnat. Quia omnibus quidem à fide ad infidelitatem, à sanctitate ad turpitudinẽ relapsis, & ante finẽ vitæ nullâ emendatione purgatis, nihil aliud quã mors æternâ debetur: sed nefas est

Deo

Deo ascribere causas talium ruinarum. Qui etsi ex æternâ scientiâ præcognitum habet, quid vniuscuiusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iustitiâ & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, suâ concupiscentiâ trahitur, suâ persuasione decipitur. Nihil ibi pater, nihil filius, nihil agit Spiritus sanctus: nec tali negotio quicquam diuinæ voluntatis intervenit: cuius opere multos scimus, ne laberentur, retentos: nullos autem, vt laberentur, impulsos. *Quisque peccat propria sponte.*

OBIECTIO XIV.

Quod pars magna illa Christianorum Catholicorum fidelium, atque Sanctorum quæ ad ruinam & perditionem prædestinata est, etiam si petat à Deo sanctitatis perseuerantiam, non impetrabit: eò quod mutari non potest diuina prædestinatio, quæ illos præordinauit, præparauit, præaptauit, vt caderent.

RESPONSIO.

AD prævaricationem legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam disciplinæ, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscunque peccati, nulla omninò est prædestinatio Dei. Nec fieri potest, vt per quem talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo in sanctitate viuitur, si in virtutem proficitur, si in bonis studijs permanetur, manifestum munus est Dei, sine quo nullius boni operis fructus acquiritur. Si autem ab his receditur, & ad vitia atque peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & recessurum non deserit antequam deserat: & facit plerumque, ne deserat, aut etiam si discessit, vt redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat: nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare, cum scire sufficiat, & ab illo esse quod statur, & non ab illo esse quod ruitur. *Non deserit Deus iustum nisi prius desseratur.*

OBIECTIO XV.

Quod omnes illi fideles & sancti qui ad æternam mortem prædestinati sunt, postquam ceciderint; sic à Deo dispensentur, ne possint vel velint per pœnitentiam liberari.

RESPONSIO.

NOn veraciter, nec sapienter hoc dicitur. Qui enim à fide & sanctitate exciderunt, sicut voluntate prolapsi sunt, ita voluntate non surgunt: & dominatum concupiscentiarum, quibus succubuerunt, sponte patiuntur. Si qui autem captiuitatem suam gemunt, & iudicantes semetipsos, ad misericordiam Dei mutato corde confugiunt, non sine spiritu diuinæ visitationis hæc faciunt. *Hæc enim mutatio dexteræ excelsi*: qui innumeris lapsis *dat pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenebantur ad ipsius voluntatem.* Nemini autem Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. Quia qui se à Deo auertit, ipse & velle quod bonum est, & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant qui talia obijciunt, vt Deus, quibus pœnitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit: & quos non leuauerit, allíserit: cum aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienũ est à Deo, aliud criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.

Psal. 76. 11.

2. Tim. 2. 26.

Deus correctionis viam nemini adimit.

OBIECTIO XVI.

Quod magna pars illa fidelium atque sanctorum, quæ ad æternam mortem prædestinata est, quando dicit Deo in oratione dominica: Fiat voluntas tua: *nihil aliud, quam contra se petat: id est, vt cadant & ruant: quia voluntas Dei hæc est, vt æterna morte pereant.*

RESPONSIO.

NOn hoc veritas dicit, quod hæc sit voluntas Dei, vt fideles & sancti à fide atque innocentia ruant, & pereant in æternum: sed veritas dicit: *Hæc est voluntas eius qui me*

Ioan. 6. 39.

qui me misit patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissimo die. Quod ergo pater filio dedit, filius omninò non perdit. Idem enim dicit: *Omne quod dat mihi pater, venit ad me, & non ejiciam foras.* Quod si per generalitatem vocationis, & per abundantiam bonitatis Dei etiam non perseueraturi perseueraturis admixti sunt, hi cùm à pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua voluntate deficiunt: nec impelluntur vt cadant, nec ejiciuntur vt deserant: casuri tamen & recessuri ab eo, qui falli non potest, præsciuntur. Quamdiu itaque in oratione dominica dicunt: *Fiat voluntas tua:* non hoc contra se petunt, quod Deus nullo modo vlla ratione facturus est: id est, vt cadant & ruant. Hoc enim ipsorum nequitia, ipsorum est consummatura libertas. Sed planè illud contra se petunt, qvod diuinæ voluntatis esse non dubium est: vt scilicet, *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & sederit super thronum gloriæ suæ, congregentur ante eum omnes gentes, & separet eos ab inuicem*, alios ad dextram, alios statuens ad sinistram: & audiant eum dextri dicentem: *Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi.* Audiant & sinistri: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & Angelis eius.* Igitur qui facturi non sunt voluntatem Dei, & petunt vt *fiat voluntas Dei*, in eo quod Dei voluntate faciendum est, audiuntur, vt imitatores diaboli cum diabolo iudicentur. Qui enim voluntatem Dei spreuerunt inuitantem, voluntatem Dei sentiunt vindicantem.

Ioan. 6. 37.

Matth. 6. 10.

Matth. 25. 31. & 32.

Ibid. 34.

Ibid. 41.

Qui deficiunt à Deo, sua voluntate deficiunt, non ex Dei opere.

FINIS.

DIVI PROSPERI AQVITANICI

Ad excerpta, quæ de Genuensi ciuitate sunt missa, responsiones.

Camillo & Theodoro venerabilibus Presbyteris, Prosper.

IN Libris beatæ memoriæ Augustini Episcopi, quorum titulus est de prædestinatione Sanctorum, quædam sanctitatem vestram vel insolita aut minus clara mouerunt: quæ ad humilitatem meam, de contextu disputationis excerpta, misistis: vt quo intellectu, vel quo iudicio ea acceperim, nosceretis: quasi plus in me, quam in vobis ad hæc introspicienda esset ingenij: ac non magis in hoc examine vestræ facultatis debueritis exercere mensuram: & si aliqua vos morabatur obscuritas decurrere *ad patrem luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum,* & *Iacob. 1. 17.* à quo datur spiritus sapientiæ & intellectus: veruntamen præceptis vestris obsequium meum non subtraham, & adiuuante domino, qui *sapientiam præstat parvulis,* de capitulis *Psal. 18. 8.* istis, quid cum sanctis & eruditis fratribus sentiam, breuiter indicabo, petens, ne vbi est simplicitas obedientiæ, præsumptionem esse putetis Doctrinæ. De excerptis itaque hęc prima proposuistis; in quibus verba sunt Sancti Augustini Episcopi.

DVBIVM I.

Aug. lib. 1. de prædest. sanct. c. 3.

Iacob dilexi, Esau odio habui. Ad hoc perduxi ratiocinationem, vt dicerem: Non ergo elegit Deus opera cuiusquã quæ ipse daturus sit, sed fidem elegit in præscientia. Vt *Rom. 9. 13.*

quem

quem sibi creditурum esse præsciret, ipsum elegerit, cui sanctum Spiritum daret: vt bona operando etiã vitam æternam consequeretur. Nondum diligentius quæsieram, nec adhuc inueneram, qualis esset electio gratiæ.

DVBIVM II. *In verbis eiusdem.*

1.Cor.12. AC deinde subiunxi: Quòd ergo credimus, nostrum est: quod autem bona operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum: quod profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ datur in eodem spiritu: vtrumque nostrum est propter arbitrium voluntatis: vtrumque tamen datum est propter spiritum fidei & charitatis. *Idem. ibid.*

DVBIVM III. *In verbis eiusdem.*

AC per hoc, quod etiam postea dixi: Quia neque velle possumus, nisi vocemur: & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi & Deus vires credentibus præbeat, & ducat quò vocat. Ac deinde subiunxi: Manifestum est ergo *non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse* quòd bene operemur. Omnino verissimum est, sed parum de ipsa vocatione differui, quæ sit *secundum propositum* Dei. Non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantum electorum. *Aug. ibid.* *Rom.9.16.*

RESPONSIO *Ad hæc tria.*

IN his tribus capitulis, licet diuisa sint à disputatione corpora, & eo ipso obscuriora sint facta, quòd & præcedentibus, & medijs, & subsequentibus non cohærent: intelligo tamen quòd vnam atque eandem causam scriptor exequitur: de eis loquens, qui dicebant eum primo conuersionis suæ tempore meliora sensisse, quando æstimabat, quod fides qua Christiani sumus, non esset ex gratiâ, nec ex dono haberetur Dei, sed esset ex ipso homine & ex arbitrij libertate: Modò autem errare eum, quia assereret ipsam etiam fidem, Dei esse donum: & ad hanc quoque pertinere quod dictum est: *Quid autem habes quod non accepisti?* 1.Cor.4.7.

pisti ? neque rectè eum nunc electionem Iacob ad propositum Dei referre, quam prius ad præscientiam retulisset. Ad hanc ergo obiectionem respondet, se ante quàm cognosceret gratiæ veritatem, & antè quàm regendæ præponeretur Ecclesiæ, in hac opinione ignoranter errasse: sed in ipso episcopatus sui exordio, sanctæ memoriæ Simpliciano Mediolanensi antistite, de Iacob electione & de Esau reiectione consulto, totam quæstionem ad hos geminos pertinentem, sagaciore diligentiâ ventilasse: & omnibus ratiocinandi viribus hoc indubitanter agnouisse, quòd electionem gratiæ nulla merita humana præcedant: & quòd fides, vnde incipiunt omnia merita, donum sit Dei: ne *gratia non sit gratia*, si aliquid eam, propter quod tribuatur, anteuenit. Itaque in eo quod dictum est, *Iacob dilexi*, ostensum esse quid homini donaretur: & in eo quod dictum est, *Esau autem odio habui*, ostensum esse quid homini deberetur. Hoc autē se in libro Retractationū secundo suo opere studiosè recoluisse. Et cum omnes opiniones suas censoria grauitate discuteret, istam, quam obtrectatores eius eligunt, improbasse, quam antè Pelagianæ hæresis ortum futuro errori amicā esse præuidit, & reuelata sibi gratiæ veritate reiecit. Quæ igitur ratio est, vt hanc viri huius professionem non approbemus, quâ nos ad castigandas opiniones nostras, si quas fortè imprudenter incidimus, exemplo suæ correctionis instituit: & quâ docet à Deo nos accipere, quod vt accipiamus iubemus orare? Si enim consideremus Pelagianæ argumenta perfidiæ, quid magis nititur obtinere, quam vt videatur *gratia Dei secundum merita nostra dari*, vt in eo ipso, in quo gratiam necessariam confitetur, meritis eam humanæ voluntatis eneruet? Quam peruersitatē omninò incurrit, qui fidē ad Dei munera non putat pertinere: Aut ideo eam se iactitat ad Deum referre, quia ab ipso sit creata natura, cui rationabilem inseruit libertatem, per quam vnusquisque & credere & non credere in sua habeat potestate. Et de hoc naturali bono qui nullis præcedentibus meritis, cum crearetur, accepit, cætera dona mereatur. Hoc autem qui asserit, fatetur (credo) nobiscum quod in primo Adam omnium hominum natura vitiata sit: nec negat eam in illo [illegible] suas amisisse virtutes, quas nisi per gratiam recipiat, [illegible] non possit. Quid est autem quod eidem naturæ solā fidem

Rom. 11. 6.

fidem non vult esse præreptam, quam nisi primâ amisisset, cæteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo, & cùm spiritu superbiæ inebriatus esset, discessit à domino cor eius: & factus est seruus apostatæ, dum liber vult esse iustitiæ. Cùm itaque non haberemus continentiam, *nisi Deus daret:* nec haberemus dilectionem sanctã, nisi *charitas Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis:* cùm postremò nemo haberet sapientiam & intellectum, consilium & fortitudinem, scientiam & pietatem ac timorem domini, nisi has virtutes Spiritus S. daret, quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum eius inueniretur, nisi eam idem spiritus, *qui omnia in omnibus operatur*, infunderet? Vnde si quod Adam perdidit, posteritas non amisit, ipsum solum læsit peccatum eius, & non genus humanum. Sed omnes in vno peccauerunt, & præuaricationis merito, tota eius propago damnata est. Omnes igitur quod Adam perdidit, perdiderunt. Perdidit autem primitus fidem, quam omnes, quia primam potuimus amittere, primam habemus accipere. Placeat ergo nobis hæc gratiæ prædicatio, quâ fides donum Dei esse defenditur, & in nullo nobis potuerit Pelagianus error illudere: qui, vt gratiam persuadeat debitam, fidem non vult esse donatam. Quia ergo nec iusta, nec rationabilis intelligitur eorum fuisse persuasio, qui huius viri scientiam tot incrementorum profectibus ædificatam, tot annorum studijs expolitam, ad adolescentiæ rudimenta reuocabant, vt magis suffragaretur hæreticis, quod inter initia conuersionis suæ imperitè senserat, quam prodesset Catholicis, quod pontificali diligentiæ veritas reuelarat: merito illos hoc præiudicio vtentes, & in his, quæ dudum abdicata fuerant immorantes, pij doctoris grauitas notat: quod qui curauerunt omnes sensus ipsius indagare, noluerint cum eius eruditione proficere. Sed iam consideremus quale sit, quod de subsequentibus adnotastis.

Adam peccando amisit fidem.

Sap.8.21.

Rom. 5. 5.

Esa.11.2.

1.Cor.12. 6.

DVBIVM IV.

NOn quia credere, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis *præparatur voluntas à Domino.*

Pelag.8.35. iuxta 70.

Eiusdem li. cap. 5.

RESPON-

RESPONSIO.

Eod. c. 5. IVngamus quod sequitur, vt quod propositum est, de connexo sermone sit clarius: Ideo ad ipsam quoque fidē (quæ in voluntate est) pertinet. *Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti?* Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm alijs præparetur, alijs non præparetur *voluntas à Domino*, * discutiendum est vtique quid veniat de misericordiâ, quid de iudicio. *Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est: Dedit illis spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant vsque in hodiernū diem. Et David dicit; Fiat mensa eorum in laqueum, & in venationem, & in scandalum, & in retributionem illis: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Ecce misericordiam & iudicium: misericordia* in electione, *quæ consecuta est* iustitiā Dei; *iudicium* verò in cæteros, qui *excæcati sunt:* & tamen illi quia voluerunt crediderunt: illi, quia noluerunt, non crediderunt. *Misericordia* igitur *& iudicium*, in ipsis voluntatibus facta sunt: electio quippe istis gratiæ est, non vtique meritorum. Superius enim dixerat: *Sic enim in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia, iam non est gratia.* Gratis ergo cōsecuta est quod *consecuta est electio.* Non præcessit eorum aliquid quod priores darent, & retribueretur illis. *Pro nihilo* enim *saluos fecit eos.* Cæteris autem qui *excæcati sunt* (sicut ibi non tacitum est) in retributione factum est. *Vniuersæ viæ domini misericordia & veritas. Inuestigabiles* autem *sunt viæ ipsius.* Inuestigabilis igitur *misericordia* quâ gratis liberat, *& veritas* quâ iustè iudicat. Hæc omnia apud pium catholicumque lectorem, quid offensionis pariunt? quid contradictionis incurrunt? Nunquid falsum est, quod *præparatur voluntas à Domino?* Nunquid non *quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Dei?* Nunquid hominem ab homine natura discernit, ac non potius gratia ab infideli fidelem? Nunquid potest vllus dicere habere se, quod non accepit? aut quasi de non accepto, sed proprio gloriari? quod si non accepisset, vtique non haberet. Nunquid dubium est, cum verbum veritatis prædi-

Eiusdem li. cap. 6. 1.Cor.4. 7.

* *discernendum.*

Rom. 11. 7. *& seq.* *Esaia* 6. 9. *Psal.* 68. 13. *& 24.*

Rom. 11. 5. *& 6.*

Ibid. 35. *Psal.* 55. 8. *Psal.* 24. 10. *Rom.* 11. 33.

Prosper.

Prou. 8. 35. *iuxta* 70. *Rom.* 8. 14. 1.Cor.4. 7.

prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere? Sed cum illorum cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de iudicio. Post commemorationem autem
Rom. 11. 7. Apostolicæ sententiæ, quam propheticis testimonijs astruit, quod iustitiam Dei, quam Israël quærens consecutus non est, electio sit consecuta per gratiam, cæteris ex retributione cæcatis, nunquid non verissimè dictum est: Ecce *misericordia & iudicium: misericordia* in electione, quæ *consecuta est* iustitiam Dei: *iudicium* vero in cæteris, qui *excæcati sunt?* Et paulò pòst: Gratis ergo consecuta est, quod *consecuta est electio*. Non præcessit aliquid eorum quod priores darent, & retribueretur illis; *Pro nihilo saluos fecit eos.* Cæteris autem qui *excæcati sunt* (sicut ibi non tacitum est) in rettibutione factum est. Quis hic locus querimoniæ, nisi apud inimicos gratiæ; qui nili ad retributionem referatur quod gratis datur, ad iniquitatem volunt pertinere quod redditur? Deinde quod de propheticis intulit verbis. *Vniuersa viæ Domini misericordia & veritas*, quis negauit? Aut quod de Apostolico adnexuit sensu: *Inuestigabiles sunt* autem *viæ ipsius?* Inuestigabiles igitur sunt, & *misericordia* quâ gratis liberat, *& veritas* quâ iuste iudicat. Non est ergo sanarum mentium ista reprehendere: & *inuestigabiles vias domini*, hoc est, dona misericordiæ & iudicia veritatis, Pelagianorum elationi penetrabilia deputare. Quia secundum ipsos non latet consilium Dei, nec in occulto est diuinæ ratio voluntatis, si erga omnem hominem tam gratia Dei, quam & ira meritò est.

Ab Aug. cap. 6.

Psal. 24. 10.

Rom. 11. 33.

DVBIVM V.

POsthæc posuistis quod infra dictum est: Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari non dubitet qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare.

Ex iisdem lib. cap. 9.

RESPONSIO.

Abac. 2. 4. HOc qui non recipit, cuius videtur esse sententiæ, nisi dicentis: fides per quam instificor, ex me est: & hoc bonum, ex quo *iustus vivit*, non accepi per gratiam, sed habeo per naturam? Si ergo fides donum Dei non est, frustra

& Ecclesia pro non credentibus orat vt credant, & sufficit impijs magisterium legis adhiberi: de quâ dictum est: *Si ex lege est iustitia, ergo Christus gratis mortuus est:* quod similiter dici potest etiam de natura. Frustra etiam Apostolus gratias agit Deo pro his qui Euangelium receperunt: cum hoc secundum Pelagianos non Dei sit præstitum munere, sed ex solâ habeatur hominum voluntate. Et frustra quibusdam precatur idem Apostolus, vt sit *eis pax & charitas cum fide à Deo patre & Domino* IESV *Christo:* vt iam non solum de fide, sed etiam pace & charitate, superbia haereticorum conuincatur dicere de proprio se has habere virtutes. Quod si hæc ex homine sunt, quid obest vt non ex semetipso habeat & cætera bona quæ inferiora sunt, cum audeat sibi deputare quæ summa sunt, & sine quibus alia, quamuis multa & clara, non prosunt? Non potest itaque merito refutari quod dictum est: Fides igitur & inchoata & perfecta, donum Dei est: quia eadem & Apostoli vox est dicentis: *Gratiâ salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus: ne forte quis extollatur.* Et, *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt patiamini pro eo.* Et iterum: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen; aspicientes in autorem fidei, & consummatorem* IESVM. Quibus, & plurimis alijs testimonijs diuinarum scripturarum, indubitanter agnoscitur: quoniam, sicut ab hoc viro definitum est, fides & inchoata & perfecta, donum est Dei; & hoc donum, inquit, quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitat, qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare. Non putemus hoc veraciter dictum, si omnes homines fideles sunt: sed cum alij credant, alij verò non credant, dicatque Apostolus. *Non enim omnium est fides:* quis non videat fidem, quam acceperunt qui habent, non accepisse qui non habent?

Gal. 2. 21.
1. Thess. 2. 13.
Rom. 1. 7. Ephes. 6. 23.
1. Cor. 13. 1. & seq.
Ephes. 2. 8.
Philip. 1. 29.
Hebr. 12. 1. & 2.
1. Thess. 3. 2.

DVBIVM VI.

Eodem l. §. 9.

DEinde ait, Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit *ex vno* omnes isse *in condemnationem* sine dubitatione iustissimam: ita vt nulla esset Dei iusta reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Vnde constat, magnam esse gratiam quod plurimi liberantur, & quid

Rom. 5. 16.

& quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur agnoscunt, vt *qui gloriantur*: non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed *in Domino glorientur*. Cur autem istum potius quam illum liberet: *Inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ ipsius.* Melius enim & hic audimus (aut dicimus:) *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* quam dicere audeamus, quasi nouerimus quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit.

1. Cor. 1: 31: Rom. 11. 33. Rom. 9: 20:

RESPONSIO.

HÆc omnia si non rectè dicta sunt, scrutabilia sunt iudicia Dei & vestigabiles viæ eius. Nec occultum est, quare ille potius quam iste saluatur, & in se non *in Domino gloriabitur*, qui alijs vitio suo pereuntibus electione dignus inuentus est. Ac sic iustitia quidem erit quod plurimi damnantur: sed non erit gratia quod plurimi liberantur. Absit hæc à Catholicis cordibus, absit talis impietas, vt quenquam putemus meritis suis *erui de potestate tenebrarum, & in regnum filij Dei* debitâ, non gratuitâ adoptione *transferri*. Magno peccato perijt Adam, & in illo omnes perierunt. Quia omni homini damnatâ natiuitate genito, hoc in Adâ debetur vt pereat. Et sicut non possumus conqueri de eo quod *in præteritis seculis dimisit omnes gentes ingredi vias suas*: ita iustam non haberemus querelam, si cum eis, cum quibus nobis fuit causa communis, cessante adhuc gratiâ periremus. Quę tamen sicut tunc de omni mundo eruit paucos: ita nunc de vniuerso genere hominum saluat innumeros: *Non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam quæ data est nobis in Christo* IESV *ante tempora æterna.*

Proffer.

Coloss. 2. 13.

Act. 14. 15.

Nulla esse iusta querela, si Deus omnes sineret perire.

2. Tim. 1. 9.

DVBIVM VII.

SVbnexuistis etiam, quod post multa differens ait: Est ergo in malorum potestate peccare: vt autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non est in eorum potestate, sed Dei, diuidentis tenebras, & ordinantis eas: vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.

Aug. lib. 1. de pecc. Sanctorum c. 16.

RESPONSIO.

QVod cum sit apertissimæ veritatis, miror inter obscura decerptum: quasi non ex cohærentibus potuerit omnis hæsitatio lectoris absolui. Inspicite ergo quod sequitur: Legimus, inquit, in Actibus Apostolorum, quod cum *dimissi* à Iudæis Apostoli *venissent ad suos, & indicassent quanta eis Sacerdotes & seniores fecerunt, leuauerunt illi vocem vnanimes omnes ad Dominum, & dixerunt: Domine tu es qui fecisti cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri Dauid sancti pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius? Conuenerunt enim in veritate, in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum* IESVM *quem vnxisti, Herodes & Pilatus & populus Israël, facere quanta manus tua & consilium prædestinauit fieri.* Si ergo quæ *per os patris nostri Dauid* Spiritus sanctus prophetauit, aliter intelligi vllo modo quàm ab Apostolis sunt intellecta non possunt, & *Herodes & Pilatus & populus Israël fecerunt quanta manus Dei & consilium prædestinauit fieri*, quid inconueniens ait admirabilis disputator? est, inquiens, in malorum potestate peccare: vt autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras & ordinantis eas: vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei. Male enim velle facillimum est malis: & eorum damnabilem voluntatem non dubium est à Dei potestate concludi, vt effectum cupiditatis suæ, nisi ille permiserit, habere non possint. Vti autem sapientiam & iustitiam Dei etiam malorum operibus, quæ ex ipsorum prodeunt appetitu, ad implenda consilia & iudicia sua nullus, vel tenuiter secundum pietatem doctus, ignorat: qui videt Dei patris optimam voluntatem, non parcentis filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima traditorum Iudæ & Iudeorum voluntate completam: Et qui in Euangelicis paginis legit, dicente Pilato ad Iesum: *Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittendi te?* respondisse dominum: *non haberes in me potestatem vllam, nisi esset tibi data desuper.* Diuidit itaque Deus inter

Act.4 23. & seq.

Psal.2.1. & 2.

Deus malis hominum voluntatibus bene vtitur.

Rom.8.32.

Ioan.19. 10. & 11.

inter lucem & tenebras: nec ideo inculpabiles sunt tenebræ, quia eis benè vtitur Deus, qui etiam de opere ipsorũ, quòd filijs lucis in bonum procederet, ordinauit: tantum progredi sinens malitiam nocere cupientium, quantũ eam sanctis suis vel castigandis nouit vtilem vel probandis: vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.

DVBIVM VIII.

SEquitur deinceps quod in libro inuenitur secundo: An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quenquam? Quæ vtique si præsciuit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare præsciuit. Hæc prædestinatio Sanctorum, nihil aliud est, quam præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur. Cæteri autem, vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquũtur, vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mirabilia Christi signa vidissent? Sed quoniam vt crederent, non eis erat datum; etiam vnde crederent est negatum.

Aug. de bono persev. cap. 14.

Ioan. 6. 39.

Matth. 11. 21.

RESPONSIO.

QVi istis resistunt, hoc sentire apertissimè probantur, quod fides non sit donum Dei, & quod gratia non præueniat liberum arbitrium, sed sequatur, & quod *gratia Dei secundum merita nostra detur.* Nam si aliquid conferri homini per gratiam confitentur, & id non accipit nisi fides, quæ accepta non est, in ipsa est meritum, cui non donum datur, sed debitum redditur. In hac sententia positi, consequenter sapiunt, eos esse prædestinatos in vitam æternam, quos per liberæ voluntatis arbitrium fideles futuros præscierit Deus, vt ipsa electorum prædestinatio non sit nisi retributio. Atque ita, in his qui *prædestinati sunt secundum propositum eius qui vniuersa operatur*, non operetur Deus fidem: nec vlla sint hominis merita, si *Deus operatur vniuersa.* Verè qui ista sentiunt, fidem non acceperunt: aut quam acce-

Ephes. 1. 11.

perant perdiderunt, sequendo vanissimam Pelagianorum superbiam, & in se, & in domino gloriando, *Qui operatur omnia in omnibus*, bona profectò, non mala. Et si omnia bona, vtique & fidem, sine quâ nemo potest placere: & quæ est virtutum omnium fundamentum. Quale est autem, vt cum *Dei sit ædificatio: Et nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborent qui ædificant eam:* aut nolint isti fundamentum ad ædificium pertinere, aut si velint inchoare, quod Dominus possit extruere? Non erit ergo illis principium filius Dei, non fundabuntur in *ipso angulari lapide Christo* IESV, nec de eis dictum est. *Firmum autem fundamentum Dei stat:* quia totam electionem suam solubili arenæ & succiduo cineri superponunt. Agnoscamus itaque sapienter, pieque fateamur, præsciisse incommutabiliter Deum quibus esset daturus vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quemquam. Et si hæc præsciuit, beneficia sua illum quibus nos dignatur liberare, præsciisse. Et hanc esse prædestinationem Sanctorum: præscientiam scilicet & præparationem gratiæ Dei, quâ certissimè liberantur. Cæteros autem quicunque non liberantur, quos à generali perditione humani generis gratia non exemit, iusto nouerimus iudicio non exemptos: & quid nobis remissum sit, in eis discamus, de quorum queri damnatione non possumus. *Non est enim iniquitas apud Deum*, neque *quisquam* sub iudicio eius *innocens perit*. Sicut enim hic ipse insignis gratiæ prædicator alibi ait: Reddet omninò Deus & mala pro malis, quomodo iustus est: & bona pro malis, quomodo bonus est: & bona pro bonis, quomodo iustus & bonus est: tantummodo mala pro bonis non reddit, quomodo iniustus non est. Reddit ergò mala pro malis, pœnam pro iniustitiâ: & reddit bona pro malis, gratiam pro iniustitiâ: & reddit bona pro bonis, *gratiam pro gratia*: cum aliqui pereunt, non dubitemus ipsorum meritis deputari quod pereunt: quos vtique posset Deus misericorditer liberare, si vellet. Et cum aliqui liberantur, non audeamus definire, quod digni fuerint liberari: quos vtique posset Deus iustè damnare si vellet. Quare autem non omnes, aut quare illos potiùs quàm illos liberet, nec necessarium est quærere, nec possibile reperire: cum omissis discretionis illius causis scire sufficiat, quòd nec misericordia iustitiam, nec iustitia auferat

1.Cor.12. 6.

1.Cor. 3.9. Psal.126. 1.

Ephes. 2. 20.

2. Tim. 2. 19.

2. Par. 19. 7.

Iob.4.7.

Aug. c.23. li.de grat. & lib. arb. Et rem eandem habet conc.7. in Psalm. 118.

Cur hos, alios non liberet Deus, causa occulta.

ferat misericordiam apud eum, à quo nemo nisi iustè damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur. De Tyrijs verò
ff. 11. .i. & Sidonijs quid aliud possumus dicere, quàm non esse eis
Luc.10.13. datum vt crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent? Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicant, si possunt, qui calumniantur: & ostendant, cur apud eos dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit. Nos etiam si rationem facti, & profunditatem iudicij eius penetrare non possumus, manifestissimè tamē scimus, & verum esse quod dixit, & iustum esse quod fecit. Et non solùm Tyrios & Sidonios, sed etiam Corazin & Bethsaida potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis dominus voluisset operari. Neque enim vlli
Ioan.6.66. falsum videri potest quod veritas ait: *Nemo potest venire ad*
Matt. 13. 11. *me, nisi fuerit ei datum à patre meo*: Et, *Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum*: Et, *Nemo nouit*
Luc.8.10. *filium nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit*
Matt.11. 27. *filius reuelare*: Et, *Sicut pater viuificat mortuos, ita & filius quos*
Ioan.5. 21. *vult viuificare*: Et, *Nemo potest dicere Dominum* IESVM, *nisi in*
1.Cor.12. 3. *Spiritu sancto.* His diuinarum vocum auctoritatibus eruditi gratias agamus Deo, qui dedit nobis *spiritum* fidei & virtutis, continentiæ & charitatis, *sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis ac timoris sui.* Quæ bona si
Ef.11. 2. non dedisset nobis, *qui omnia operatur in omnibus*, prorsus non
1.Cor.12. 6. haberemus in nobis: & cum his, qui non cognouerunt
Rom.1. 21.& 22. Dominum, aut *cum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt:* sed hoc ipsum suæ sapientiæ deputantes, *stulti facti*, & obscurato corde *euanuerunt in cogitationibus suis:* Cum his, inquam, *sederemus in tenebris & in vmbra mortis*, nec querelam habentes de pœnâ, nec excusationem de ignorantia, nec præsidium de natura. *Ibidem.*

DVBIVM IX.

NVnc iam quod sequitur, quale sit videamus: Sed aiunt, vt scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conuentu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet de prædestinatione definita scientia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate acceptâ obediendi voluntate *Aug. lib. 2. c. 15. de bono perseuer.*

nos diximus, loquenti ad populum non existimo debere sufficere, nisi hoc, vel aliquid huiusmodi addat, vt dicat: Vos itaque etiam ipsam obediendi perseuerantiam à *patre luminum* à quo *descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum*, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere: atque hoc faciendo confidere, non vos esse à prædestinatione populi eius alienos: quia etiam hoc, vt faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis ideo desperare de vobis: quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis. *Maledictus* enim *omnis qui spem habet in homine: & bonum est confidere in domino, quàm confidere in homine*: quia *Beati omnes qui confidunt in eum.* Et hanc spem tenentes. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, quoniam de vita æterna, quam *filijs promissionis* promisit non mendax Deus *ante tempora æterna*, nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista *vita*, quæ *tentatio est super terram*, sed faciet perseuerare in se vsque ad huius vitæ finem, cui quotidie dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*. Videtisne obsecro, quantum distet hic sermo ab eo, quem composuit malignitas obloquentium: qui studuerunt etiam ea quæ rectè dicit, exquisitâ verborum fraude corrumpere? De quo idem doctor rectissimè ait: Dolosi autem vel imperiti medici est, etiam vtile medicamentum sic alligare, vt aut non prosit, aut obsit. Et iterum de simili ineptiâ: Nempe, inquit, hoc verissimum est: ita sane, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum. non falsum eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis appositum. Non igitur necesse est de his rationem reddere, quæ & ab alijs dicta, & ab ipso ostendimus improbata: ita tamen, vt nihil sibi per falsorum admixtionem præripi pateretur ex veris. Quamuis enim nunquam tam insipienter locutus sit ad populum Christianum, & id quod mendax obtrectatio ineptissimè finxit, horruerit: piâ tamen, constantiq́ue doctrinâ abundanter probauit, prædicandam esse Ecclesiæ prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio, & gratiam in qua est prædestinationis effectus: & præscientiam Dei, quam ante secula æterna quibus esset collaturus sua dona, præsciuit. Cuius prædicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adiutor. Hoc autem quod in fine posuistis, superiori capitulo, vbi Tyriorum &

Iacob. 1. 17.
Hier. 17. 5.
Psal. 117. 8.
Psal. 2. 13. & 11.
Iob. 7. 1.
Matt. 6. 13.
Prosper.

Aliquid posuerant, quod his non ponitur ex c. 14. lib. 2. de bono perseuerantia Aug. & hoc sic intelligebat: de quo apparet habere quosdam in ipso ingenio, &c. Ep. collatio 13. Abbatis Charemonis.

Sydoniorum mentio facta est, debuit copulari: quia etiam in libri corpore, eidem causæ, sine cuiusquam diuersæ disputationis interiectione, connexum est. Vnde & responsio, quam præcedentibus subdidi, potest etiam ad istas sufficere: in quibus nulla est obscuritas, si de fide prædestinationis & gratiæ Dei, ex qua est omnium bonorum origo perseuerantiaque meritorum, hoc teneatur, quod habet veritas.

FINIS.

LIBER S. PROSPERI

De gratia Dei, & libero arbitrio.

Pro defensione Diui Aurelij Augustini, Hipponensis Episcopi, contra Cassiani Presbyteri librum, qui titulo: De protectione Dei, prænotatur.

CAPVT I.

Gratiam ab Augustino male defensam non nulli calumniantur.

GRATIAM Dei, qua Christiani sumus, quidam dicere audent à sanctæ memoriæ Augustino Episcopo non rectè esse defensam, libros*que* eius contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumnijs impetere non quiescunt. Quorum intus interstrepens domestica malignitas non minus spernenda esset, quam foris latrans hæretica loquacitas: nisi electis extra ouile dominicum lupis, sub nomine ouiũ suffragerentur, essentq*ue* eiusmodi vt nec ordo eorum in Ecclesia, nec ingenia despicienda videantur. Siquidem habentes speciem pietatis in studio, cuius virtutem diffitentur in sensu, trahunt ad se multos ineruditos, & non habentia spiritum discretionis corda conturbant: atque in eum statum deducere causam Ecclesiæ moliuntur, vt dum nostros affirmant non veraciter pro gratia locutos, inimicos gratiæ persuadeant iniustè damnatos esse. Non ergo negligendum est hoc malum, quod ab occultis, * prauisq*ue* seminibus

Matth. 7. 15.

* Alias germ.

seminibus augetur quotidie, & ab ortu suo latius longiusque distenditur: sed studendum est, in quantum dominus adiuuat, vt fallacium calumniatorum hypocrysis detegatur: qui ex ipsa iniuriæ magnitudine, quam in vno cunctis, ac præcipuè Apostolicę Sedis Pontificibus intulerunt, ab indoctis & parum cautis, excellentioris scientiæ iudicantur, & misero peruersoque successu facilem mendacio consensum eliciunt, quia reuerentiam sibi præsumptione pepererunt. Nec enim, cum sint bonæ opinionis viri, creduntur vllo modo tarditate intelligentiæ, aut temeritate iudicij, in superfluæ querelæ conclamationem potuisse prorumpere: ac non potius magno ingenio ac vehementi studio laborasse, vt subtilissimi tractatoris disputationibus comprehensis, censura nunc districtior & inspectio sagacior inueniret, quod antea securus fauor, & benignitas incuriosa non viderat: Vnde ergo hæc diligentia tam seueri emersit examinis? Vnde in hanc austeritatem supercilium tam tetricæ frontis se armauit, vt mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus scrutator euentilet, magnumque se aliquid conficere præsumat, si Catholico prædicatori notam erroris affigat? quasi incognitum aliquod opus, & quod hactenus latuerit impetatur: ac non illa his morsibus doctrina lanietur, quæ nouorum hæreticorum commenta disiecit, & diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit. Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies huius viri ductu pugnat, & vincit. Vincit, dico, quia non patitur respirare quos vicit, & in quorum excidium, vnam cunctorum sacerdotum manu sententiam scripsit. Pulsi Pontificio, & communione priuati, querantur quasi de felicitate nostræ victoriæ, & arment in nos linguas suas qui exulare à veritate, quam ciues esse Ecclesiæ maluerunt: nostri autem *concorporales*, ac participes gratiæ Christi, cur de his armis quibus communis fides est defensata, causantur? Cur bellum confectum retractant, & munitiones securæ dudum pacis infirmant? An victores displicent, & victi placent? tantaque insolentia damnati fouentur errores, vt prauitatis inuidiâ, & Autores nostri pulsentur & Iudices? An vero ita se nouorum censorum norma exactior temperauit, vt & nulla eorum quæ excisa sunt, asserat,

Calumnia ipsa in Augustinum redundat in Sedem Apostolicam.

Inimici gratiæ victi à diuo Augustino.

& quædam ex his quæ defensa sunt, respuat? Ecce salua Catholicæ pace victoriæ, salua indissolubilium reuerentia decretorum, parati sumus patronos doctrinæ emendatioris audire, & circumcisas ab omni errore lineas subtilissimæ discretionis agnoscere. Constituatur in medio quod de nouis emersit ingenijs. Ne ad obscurandam scientiam doctiorum ea exagitare videamur quæ vulgus ignobile, & procax ineptorum loquacitas intemperanter effundit, vnius potissimum definitiones quem non dubium est illis omnibus in sanctarum Scripturarum studio præstare, referemus. Quas etiam ob hoc solùm interim in disceptatione oportet adsumere, quia vtrum ita se habeant, non potest dubitari. Scriptæ enim sunt, & autoris sui editione publicatæ: nec iam, an sint, quærendum est: sed quid doceant, demonstrandum. Igitur in libro cuius prænotatio est, De protectione Dei, vir quidam sacerdotalis ordinis, qui disputandi vsu inter eos, quibus cum degit excellit, Abbatẽ quendam introducit de gratia Dei & libero arbitrio differentem, cuius se ostendit per omnia probasse, ac suscepisse sententiam. Vt iam non cum illo nobis sit negotium, qui fortè tales opiniones suas aut negando refutaret, aut corrigendo diueret: sed cum isto, qui ad instrumentum inimicorum gratiæ Dei, talem studuit proferre doctrinam. Quæ tamen inter initia disputationis, à veritatis pietate non dissonat, & iusto honorari præconio mereretur: nisi præcipiti læuoque progressu, ab inchoatâ rectitudine deuiaret. Nam post comparationẽ agricolæ, cui formam sub gratia ac fide viuentis aptauit: & cuius infructuosum esse dixit laborem, nisi per omnia Dei auxilio iuuaretur, intulit definitionem catholicissimam dicens:

Cap. 9.

Ex collat. 13. Abbatis Pharaonis.

Quibus manifestè colligitur, non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum bonũ, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum: *qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis, dicente Apostolo:* Qui dat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & crescere faciet, fructus iustitiæ vestræ.

Cassiani verba collationis citata c. 3.

Iacob. 1. 17

2. Cor. 9. 10.

Hic, ne quis putaret nihil superesse, quod per liberum

ageretur

ageretur arbitribũ, non irrationabiliter adiecit, quo probaret non auferri illud his donis, sed potius roborari: nisi* reuolutũ ad iniquitates suas, ab auxilio Dei se malit auertere. *Prosper.*

* *Vel si iegas in masculino genere, adde, homo.*

Act. 7. 51. *Nostrum verò est vt quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur:* Ne dura ceruice & incircumcisis auribus eidem resistentes, *per Hieremiã mereamur audire:* Nunquid *Hier. 8. 4. & 5.* qui cadit, non resurget? aut qui auersus est, non reuertetur! Quare ergo auersus est populus iste in Hierusalẽ auersione contentiosâ? Indurauerunt ceruices suas, & noluerunt reuerti.

Et infrà, cum omnia virtutum studia Dei gratiâ indigere docuisset, probabiliter addidit dicens:

Quæ omnia, sicut desiderari à nobis iugiter absque diuina inspiratione non possunt: ita ne perfici quidem sine eius auxilio vllatenus queunt. *Nunc id habetur c. 8.*

In septimo autem capitulo, generalem volens ostendere gratiam Christi, quæ nullum vsquequaque hominum prætermittat, & rebelles quoque * aduersosque non deserat: * *peruersosque*

Adest (inquit) *inseparabiliter nobis semper diuina protectio, tantaq; est erga creaturam suam pietas creatoris, vt non solùm comitetur eam, sed etiam præcedat iugiter prouidentia.*

In quo potest videri ob hoc comitem dixisse prouidentiam, quia etiam deserentes se plerumque non deserat, vel quia omnes quos præuenit, eosdem etiam subsequatur. Sequitur * autem dicens: * *enim.*

Qui cum in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat & incitat ad salutem: incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit: vel nostro conatu viderit emersisse.

Et hic potest adhuc dicere, illius se ortum bonæ voluntatis significasse, cuius à Deo sint plantata vel inspirata principia: quia ab illuminatis iam cordibus possunt salubres prodire conatus, qui ideò ipsius hominis proprij esse dicuntur, quia iam bonorum conatuum acceperit facultatem, & eorum semina ad suum referantur autorem. Sed capitulo nono subdit & dicit:

Luc. 11. 10. Esa. 65. 1. & 2. Rom. 10. 20. & 21. *Vnde non facilè humana ratione discernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, à quærentibus inueniatur, aperiatq; pulsantibus: Et rursus* inueniatur à non quærentibus se, palàm appareat inter illos, qui illum non interrogabant: tota die *Cap. 4.*

expandat manus suas ad populum non credentem sibi & contradicentem: *resistentes ac longe positos vocet: inuitos attrahat ad salutem: peccare cupientibus, explenda copiam subtrahat voluntatis: ad nequitiam properantibus, benignus obsistat.*

Iam hic quasi per inscrutabilem diuersitatem introducitur definitio, qua docetur multos ad gratiam venire sine gratia, & hunc effectum petendi, quærendi, atque pulsandi habere quosdam de vigilantia liberæ voluntatis. Quæ tamē in alijs tanta auersione obcæcata perhibetur, vt nullis cohortationibus sit reuocabilis, nisi per vim trahentis inuita ducatur: quasi non toto multiformis gratiæ opere hoc in omnium agatur animis, vt ex nolentibus fiant volentes: aut quisquam ex his qui iam iudicio rationis vtuntur, possit fidem nisi voluntate suscipere. Vnde tam ineptum est dicere, quod quisquam ad participationem gratiæ tendat inuitus, quàm asserere quòd vllus ad eam non spiritu Dei veniat incitatus. Citò ergo hic disputator præmissæ definitionis oblitus est, cito à sententia sua instabilitate & leuitate discessit. Dixerat enim, regulariter, *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium.* Et ne hoc de doctrina extrinsecus adhibita deberet intelligi, vigilanter addiderat.

Nemo ad fidem venit nisi volens & ex praua gratia tracta.

Cap. 3. *Qui nobis & initium sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi.* Omne enim datū optimum, & donum perfectum desursum est descendens à patre luminū, *qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur & consumat in nobis.* *Iacob. 1. 17.*

Doctor Catholice, cur professionem tuā deseris? cur ad * famosam falsitatis caliginem relictā sereniſſimæ veritatis luce deuolueris? Quod in petentibus, quærentibus, pulsantibusque miraris, cur non eidē gratiæ quæ desideratur, adscribis? Vides bonos conatus, pia studia, & dubitas esse Dei dona? Latuerit opus gratiæ donec fides insita cogitationis claudebatur arcano: at vbi supplex oratio, vbi diligens inquisitio, vbi apparet crebra pulsatio: quare non ex qualitate operis submini strationem intelligis incitantis? Et satis te contra Pelagianorum calumnias præcauere existimas, si quod in vniuersitate vocatorum sentiendum est, id nobis in portione concedas? Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena cōcordia est. Illi in omnibus iustis hominum

* *famosam.*

Cap. 5. Cassianus partim cum Catholicis, partim cum Hæreticis consonat.

num operibus, liberæ voluntatis tuentur exordia: Nos bonarum cogitationũ ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertium, & vtrique parti inconueniens reperisti, quo nec inimicorum cõsensum acquireres, nec in nostrorũ intelligentia permaneres. Quomodo autem non aduertis te in illud damnatum incidere, quod velis, nolis, conuinceris dicere, *Gratiam Dei secundum merita nostra dari*, cũ aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia: præcipuè cùm omnes eiusmodi, & accipere, & venire, & intrare dicantur. In quo superfluũ, imò impium est, sic velle meritis ante gratiam existentibus locum facere, vt non ex toto verum sit, quod ait Dominus: *Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, attraxerit eum*, si cuiusquam hominis sine Dei illuminatione esset credenda conuersio: aut vllo modo se voluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere, qui eum vocatum ad filium trahit: non resistentem inuitumque compellit: sed ex inuito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat: vt cor audientis, obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, vbi premebatur: ibi discat, vbi ignorabat: inde fidat, vnde diffidebat: inde velit, vnde nolebat. *Etenim Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Sed videamus qualia subsequantur:

Cui autẽ facile pateat quo modo salutis summa nostro tribuatur arbitrio? De quo dicitur: Si volueritis, & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis. Et quomodo non volentis, neque currentis, sed miserẽtis est Dei. *Quid etiã sit illud, quod* Deus reddit vnicuique secundum opera eius. *Et:* Deus est qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate: & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur.

Cap. 6.

Matt. 7. 7.

Ioan. 6. 44.

Psal. 84. 13.

Cap. 7.

Esa. 1. 19. Rom. 9. 16. Matt. 16. 27. Philip. 2. 13. Ephes. 2. 8.

Et cætera quæ collecta de scripturis, quasi alterno sibi sensu, aduersa collegit, vt donis gratiæ studium humanæ committat industriæ: & hominum omniũ diuisione facta, alij sint quos gratia Dei saluet, alij quos lex & natura iustificet. Sed lex potest, ne quid mali fiat, iubere: à malo autem non potest liberare. Notum facit mandatum, sed obediendi non præstat affectum: nisi quod est occidens per imperium literæ, fiat viuificans per spiritum gratiæ.

2. Cor. 3. 6.

Post

Post hæc concludit, dicens:

Cap. 8. Ibidem. *Nisi quod in his omnibus & gratia Dei, & libertas nostri declaratur arbitrij: & quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutem appetitus possit extendi, semper vero à Domino indigeat adiuuari.*

Et vbi est, quod regulari definitione præmissum est. *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis?* Ecce hic etiam si bonis cœptis necessarium Dei fateris auxilium? ipsos tamen laudabiles motus appetitusque virtutum, remotâ gratiâ Dei nudæ libertati adscribis arbitrij: vt boni salubresque conatus nequeant quidem proficere, nisi Deus adiuuet: possint tamen, etiamsi non à Deo inspirentur, incipere. Deinde vt euidentius definias, quid homo ex libero arbitrio habeat, quid sumat ex gratiâ Dei, addis, & dicis.

Nec enim cum voluerit quis, sanitate perfruitur: aut de agritudinis morbo pro arbitrij sui desiderio liberatur.

Error sumi Pelagianorum. Doces ergo, non posse quidem hominem per semetipsum apprehendere sanitatem, sed habere eum à semetipso desiderium sanitatis. Et sua tantum sponte venire ad medicum: non etiam hoc ipsum medici esse, quod veniat. Quasi verò anima ipsa non langueat, & corpori suo remedium sana prospiciat. Atqui totus homo ex ipsa & cum ipsa in profundum miseriæ suæ decidit, vbi eam prius quam à medico notitiam suæ calamitatis accipiat, iacere delectat, amantem semper errores suos, & amplectentem falsa pro veris. Cuius salus prima est, vt sibi incipiat displicere, & vetustatem suæ debilitatis odisse. Sequens vero est, vt & sanari desideret, & à quo sananda sit, nouerit. Quæ curationem ipsius sic præcedunt, vt ei ab illo, qui ægram sanaturus est, inferantur. Ne, cùm ei vllo modo hæc inesse possint, merito videatur saluata, non gratiâ. Deinde adijcis:

Sic & in respon. ad 6. obiect. Gallorum. *Vt autem euidentius clareat etiam per naturæ bonum (quod beneficio creatoris indultum est) nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia: quæ tamen, nisi à Deo dirigantur, ad consummationem virtutum peruenire non possunt, Apostolus testatur,* Rom. 7. 18. *dicens:* Velle enim adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.

Falsò.

Falsò ergò secundum hanc definitionem antè dixisti, *non solũ actum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis.* Sed hoc nullo modo ex aliqua parte potest esse falsum. Cui nequaquam inferri cõtraria debuerunt: vt quod rectè professus es ex gratia incipere, id postea confirmares per naturæ bonum, & per liberum arbitrium nos habere. Dixit quidem beatus Apostolus: *Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Sed idem dixit: *Non quod idonei simus, cogitare aliquid ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et idem dixit: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Non ergò Apostolus sibi contrarius est. Sed cum donatum nobis fuerit bonum velle, non statim inuenimus & facere, nisi quærentibus, petentibus, atque pulsantibus qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox namque illa dicentis: *Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio*: vocati est, sub gratia constituti: qui *condelectatur quidem legi Dei secundum interiorem hominem*: *sed videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati.* Et quamuis acceperit scientiam rectè volendi, virtutem tamen in se non inuenit eorum quæ optat operandi: donec *pro bona voluntate*, quam sumpsit, mereatur inuenire qui faciat.

Ibid. 2. *Cor.* 3. 5. *Philip.* 2. 13. *Rom.* 7. 18. *Ibid.* 22. & 23.

Cap. 9. *Datur homini præceptum vt quærat dei auxilium.*

Post hæc ponis plurima testimonia, quibus nunc validum, nunc infirmum liberum arbitrium demonstretur. Quasi quidam sint qui propriis viribus impleant, quod alij facere deo nõ ad uuante nõ possunt: aut ob aliud homo accipiat præceptum, nisi vt diuinum quærat auxiliũ. Concludis ergò & dicis. *Et ita sunt hæc quodammodò indiscretè permissa, atq; confusa, vt quid ex quo pendeat, inter multos magnâ quæstione voluatur, id est: Verum, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus*, misereatur nostri Deus: *an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim singula hæc credentes ac iusto amplius asserentes, varijs, sibique contrarijs sunt erroribus inuoluti.*

Ecce, vt tibi videtur, quæ permissa erant, discreta sunt: & quæ explicari non poterant, absoluta. Duos enim esse contrarios sibi desinis errores, quibus qui inter liberum arbitrium & gratiam, quid tenendum sit nesciunt, implicentur. Et in vno constituis eos qui dicunt, ideò nostri misereri deum, quia ex nobis præbita sunt bonæ initia voluntatis, si-

gnificans sine dubio Pelagiani dogmatis sectatores, qui dicunt, *gratiam Dei dari secundum merita nostra*: in alio autem illos ponis, qui dicunt, ex misericordia dei bonarum voluntarum prodire principia, eos intelligi volens, qui inimicos gratiæ debellarunt. Si ergò error est, initia bonæ voluntatis non adiuto diuinitus homini adscribere, & error est confiteri quoniam *præparatur voluntas à domino*, quo dirigendi sumus, vt vtrumque vitemus? *Si vtrumque*, inquis, *sequamur, nos nulli errori acquiescemus.* Tu nos subdis duobus, & geminas, sicut intelligis, prauitates: diuidendo damnas, miscendo iustificas. Hac lege ac regula poteris prædicare, quod tam errent qui dicunt, semper esse fallendum, quam qui definiunt, nunquam esse fallendum. Sed vt in neutro peccetur, vtrumque sectandum: quia nec semper declinanda falsitas nec semper negligenda sit veritas. Fallit te prorsus opinio tua: de duobus malis vnum fieri bonum non potest: Vnam virtutem duo vitia non gignunt: vnum verum duo falsa non faciunt. Quæ enim paria sunt merito, non minuuntur coeundo, sed crescunt. Non itaque oportuit eos qui bonarum voluntatum initia, ex dei affirunt inspiratione generari, eâ sententiâ reprehendi, quâ arguuntur qui ad hæc liberum arbitrium putant sibi sine ope gratiæ posse sufficere. Harum enim definitionum vna ab Ecclesia expugnata est alia defensa. Nec eis vllo modo huius noui fœderis congruit pactum, quo catholica sit corruptior, quam Pelagiana correctior.

Prosper. Notatur 17. colla. Cassiani in qua docet quamdoque esse licitum mentiri. Prou. 8. 35. iuxta 70.

Cap. 10. *Multi*, inquis, *singula hæc credentes ac iusto amplius asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus inuoluti.* Placet igitur tibi, cum hæreticis catholicos, cum victis damnare victores: & eos erroris notâ adurere, qui errorem ab Ecclesia depulerunt? Secundum quippè tuam censuram, quâ sanctarum & fidelium voluntatum asseris non in omnibus hominibus ex deo esse principium (quasi multum gratiæ tribuas, si hoc eam in quorundam operari mentibus adquiescas) errauit Papa Innocentius & Petri sede dignissimus, qui cum de istis loqueretur, qui in libero arbitrio gloriantur: *Nam quid*, inquit, *nos de eorum post hac rectum mentibus existimemus, qui sibi reputant deberi, quod boni sunt.* (Et iterum cum de primi hominis scriberet lapsu: *Liberum enim*, inquit, *arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius*

Epist. 81. inter Epi. Aug.

sultius vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exindè surgere posset, inuenit: suaque in æternum libertate deceptus, huius ruinâ iacuisset oppressus, nisi eum post Christi pro suâ gratiâ reuelasset aduentus. Errauerunt Orientales episcopi, in quorum iudicio Pelagius, eos qui dicunt *gratiam Dei secundum merita nostra dari*, vt catholicus posset videri, anathematizare compulsus est. Errauerunt Aphricana Episcoporum concilia, quæ decretis suis constituere, vtrumque dei donum esse, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus: vt ædificante charitate, scientia non possit inflare: quia sicut de deo scriptum est: Ille est *qui docet hominem scientiam*: ita scriptum est. *Charitas ex Deo est.* Errauerunt ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in epistola quam suis constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ sedis antistitem beatum Zosimum sunt allocuti: *Constitu mus, in Pelagium atque Cælestium per venerabilem Episcopum Innocentium de beatissimi Apostoli Petri sede, prolatam manere sententiam, donec apertissimâ confessione fateantur*, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, *non solum ad cognoscendam, verumetiam ad faciendam iustitiam, nos per actus singulos adiuuari: ita vt sine illâ nihil vera sanctaque pietatis habere, cogitare, dicere agere valeamus.* Errauit sacrosancta beati Petri sedes, quæ ad vniuersum orbem Papæ Zosimi sic ore loquitur: *Nos tamen instinctu dei (omnia bona enim ad authorem suum referenda sunt, vnde nascuntur) ad fratrum & coepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus:* Errauerunt Aphricani Episcopi ad eundem Papam Zosimum referibentes, eumque in sententiæ huius salubritate laudantes cum aiunt: *illud verò, quod in literis tuis, quas ad vniuersos curasti esse mittendas, posuisti, discens: nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad autorem suum referenda sunt, vnde nascuntur) ad fratrum & coepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus: sic accepimus dictum, vt illos qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero facilis arbitrio, quam quod vniuersam nostram humilitatem conscientiam retulisti? & tamen instinctu Dei factum esse, fideliter, sapienterq; vidisti, veraciter fidenterq; dixisti. Idcò vtique, quoniam* præparatur voluntas à

Vide epi. Aug. 109 Mileuitanum & Charthaginense cap. 4.

Idē resp. ad 8. cap. l. Gallorum.

Psal. 93. 10.
1 Ioan. 4 7.
Rom. 7. 25.

domino,& vt boni aliquid agant,paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda filiorum. *Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei,* vt nec noſtrum ſentiamus deeſſe arbitrium, & in bonis quibuſq; ac voluntatis humanæ ſingulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium. Videſne regulas tuas inuictarum conſtitutionum ſoliditate cõfractas,& in fidei ſtructura prauas ruinoſaſque iuncturas,velut Hierichontinos muros ad ſacerdotalium tubarum ruiſſe concentum? Prou.8. 35. iuxta 70. Rom.8. 14. Ieſue 6. 20.

Cap. 11. *Diſceptatio inter Catholicos & Pelagianos de origine bonarum voluntatum.*

Cum enim de ſanctarum origine voluntatum,& fidei charitatiſque principijs, inter noſtros & Pelagianos quæſtio verſaretur, non ancipiti victoriâ, nec dubio diremptum eſt fine certamen vt adhuc nobis de inquiſitiſſima huius fœderis tui pace tractandum ſit. Proſtrata eſt inimica acies, bellum * confractum eſt, victores ſumus per illum qui *fecit potentiam in brachio ſuo, qui diſſipauit ſuperbos mente cordis ipſorum: depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles Eſurientes implenit bonis, & diuites dimiſit inanes.* Per illum, qui *faciens miſericordiam cum patribus noſtris, memor fuit teſtamenti ſancti ſui, & iuriſiurandi quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis, vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus ipſi in ſanctitate & iuſtitia in conſpectu eius omnibus diebus noſtris.* Per illum, *qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Per illum, à quo *non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritũ qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis:* Quid de eliſarum argumentationum ratiunculis fracta ſtudes arma colligere? Quid cineres extincti dogmatis refouendo,deficientis fumi nidorem in rediuiuam flammam conaris accendere? * Ecce. 1. 52 52. & 53. ibid. 72. & ſeq. 1. Cor. 15 57. 1. Cor. 2. 12.

Cap. 12. * *Libero arbitrio. Gratia non deſtituit libertatem.*

Non eſt periculum * liberi arbitrij ex gratia dei, nec voluntas aufertur,cùm in ipſa benè velle generatur. Nam ſi ideò non putanda eſt noſtra, quia formatur,regitur,ordinatur,imbuitur: ſpoliantur libertate *filij dei qui aguntur ſpiritu dei* perdunt vigorem rationalis animi,& omni voluntariæ deuotionis laude priuantur, quibus datur *ſpiritus ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, ac timoris domini.* Prorſus qui his reformationibus ſe non putant indigere, de veteris morbi conſuetudine in phreneſim * tranſeunt: reſpuentes remedium, clamant, inſaniunt, reluctantur. Sed ſi *repromiſſionis ſunt filij,* quieſcent & ſanabuntur. Rom.8. Eſa. 11. 2 1. Cor. 12. 8.

* *Alias tranſeunt.*

Cap. 13.

Sed iam videamus quid inferat ſobrietas diſputantis; qui vt vitium vitio pelleret, & errorem errore curet contrarias ſibi

definitiones nouâ arte confudit, vtque hoc compositionis suæ poculum securis auditoribus propinaret, exemplis voluit colorare quod miscuit, ait enim.

Act. 9. 1. & 6. Mat 9 9. Luc. 19 8. Ibid. 23. 42. *Si enim dixerimus, nostrum esse bona voluntatis principium: quid fuit in persecutore Paulo? quid in publicano Matthæo? Quorum vnus crudeli ac suppliciis innocentium, alius violentijs ac rapinis publicis incubans, attrahitur ad salutem? Sin verò gratiâ dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus; quid de Zachæi fide? quid de illius in cruce latronis pietate dicemus? qui desiderio suo vim quandam regni cœlestibus inferentes, specialia vocationis munera præcenerunt.*

Per istam ergò † quorundam principiorum diffinitudinem probare nititur, hoc posse quosdam per liberum arbitrium sine adiutorio dei, quod quidam nisi deo cooperante, non possint. Et hoc vult de quorundam tardiore obedientia, & quorundam sequaciore consensu intelligi. Quasi vbi dura infidelitas deo subditur, & Euangelio quod diu impugnauit, repentè succumbit, ibi mutationem hominis dextera operetur excelsi: vbi autem post tranquillam cohortationem solum, veros mores, sine vlla hæsitatione diffidentiæ docilis auditor amplectitur, bonum talis conuersionis humanæ sit tantummodò voluntatis. Quasi verò potentia gratiæ dei eos tantum ad filium attrahat, quos aut voce increpauerit, aut pœnâ obtriuerit, aut terrore tremefecerit. Illorum autem mentibus nihil suæ virtutis admoueat, qui ad permissiones redemptoris sui, spe alacri, & auido desiderio cucurrerunt.

† bonorū

Psal. 75. 21.

Ioan. 6. 44.

Sed veritas dicit: *Nemo venit ad me nisi pater, qui misit me, attraxerit eum.* Si ergò *nemo venit*, nisi attractus: omnes, quocunque modo veniant, attrahuntur. Trahit igitur ad deum contemplatio elementorum, omniumque quæ in eis sunt ordinatissima pulchritudo. *Inuisibilia enim eius, à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Trahit rerum gestarum cognitio, & diuinorum operum relaturæ animum audientis inflammant, *narrantes laudes domini & virtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit.* Trahit timor: *Principium enim sapientiæ timor Domini.* Trahit lætitia: quoniam, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum domini ibimus.* Trahit desiderium: quoniam, *concupiscit & deficit anima in atria domini.* Trahit delectatio lectionis: *Quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo.* Quis perspicere aut enarrare possit, per quot affectus visitatio dei animum ducat humanum, vt

Cap. 14. *Varijs modis trahitur homo ad Deum.*

Rom. 1. 20. Psal. 77. 4. Prou. 1. 7 Psal. 121. 1. Psal. 83. 3. Psal. 118 103. Ioh. 10. 12.

quæ fugiebat, ſequatur: quæ oderat, diligat: quæ faſtidiebat, eſuriat: ac ſubitò commutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, ſint aperta, quæ oneroſa, ſint leuia: quæ amara, ſint dulcia: quæ obſcura, ſint lucida? *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu:* id eſt, in manifeſtatione filij ſui, *qui eſt in ſinu patris.* Qui ergò illuxit in corde Matthæi publicani & Pauli tunc Eccleſiam perſequẽtis, ipſe & in corde Zachæi, & in corde crucifixi latronis cum domino, illuxit: niſi domini vox fortè otioſa fuit, cum Zachæũ, qui quærebat videre eum quis eſſet, compellare dignatus eſt, dicens: *Zachæe feſtina, deſcende; quoniam hodie in domo tua oportet me manere:* & non præparauit ſibi eius animum, cuius elegit hoſpitium. Denique cum murmurarent omnes, quod ad virum peccatorem introijſſet hoſpitari: Zachæus iam pœnitentiam agens, dimidio bonorum ſuorum in pauperes erogato, redditurum ſe in quadruplum cum fraudata promitteret, dominus ait: *Hodie ſalus huic domui facta eſt, quia & hic filius eſt Abrahæ:* Et ne lateret cauſa huius ſalutis, adiecit: *Venit autem filius hominis ſaluum facere & quærere quod perierat:* Vti quem agnoſcebamus ſaluum factum, ſciremus à quærente præuentum. In latronis quoque iuſtificatione, etiam ſi nulla operantis gratiæ intelligerentur indicia, nonnè cum omnibus credentibus etiam ipſum acciperemus attractum: dicente domino: *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo.* Et: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me?* Inter *omnia* autem, hunc vel traditum eſſe, vel tractum, etiam ipſius confeſſio docet; qui cum aliquamdiu blaſphemaſſet in Ieſum Chriſtum, repente eſt mutatus, & dixit; *Domine memor eſto mei, cum veneris in regnum tuum.* Sed vndè in vno homine tanta compugnantium vocum ſit orta diuerſitas, inſtruat nos Apoſtolus, & dicat: *Nemo in ſpiritu dei loquens, dicit Anathema Ieſu.* Et: *Nemo poteſt dicere dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto:* Vt non dubitemus in eiuſdem hominis voluntate, & de proprio fuiſſe quod blaſphemauit, & de ſpiritu ſancto quod credidit. Fruſtra igitur diſputator iſte, inſcrutabilem vnius gratiæ varietatem ad argumentum definitionis ſuæ voluit aptare, vt portio iuſtificatorum, ſolius voluntatis ſuæ motibus ad Chriſtum venire credatur: portio autem reluctans trahatur, & inuita compellatur,

1. Cor. 12. 11. 2. Cor. 4. 6.

Luc. 19. 5

Ibid. 7. & 8.

Ibid. 9. Ibid. 10.

Luc. 10. 22. Ioan. 12. 32. Matt. 27 44. Luc. 23. 42.

1. Cor. 12 3.

Ibid. 6. latur, cum *Deus sit qui operatur omnia in omnibus*, siue alios sic, alios autemsic attrahere velit: *ad quem nemo* nisi aliquo modo trahatur, *venit*. Cap. 25.

Post hæc subijcit testimonia sacræ historiæ, quibus ostendit, obseruantiam mandatorum dei, consummationemque virtutum diuinæ gratiæ deputandam: quod & nos promptissimè confitemur. Fit commemoratis exemplis de Balaam. Num. 22. 8. quem volentem Israelitis maledicere, Deus in benedictionis Genes. 20 3. verba transtulerit; & de Abimelech, qui peccare non permissus Ibid. 37. 28. sit in Saram: & de Ioseph à fratribus vendito, quorum malam voluntatem in bonum deus verterit: recurrit ad confirmationem definitionis suæ: vt liberum arbitrium, quod gratiæ se dicit iungere à parte quadam humani generis quantum in ipso est auferat: & in quadam parte constituat, dicens:

Hæc enim duo, id est vel gratia dei vel liberum arbitrium, sibi quidem inuicem videntur aduersa: sed vtraque concordant. Et vtraque nos pariter debere ✝ *suscipere, pietatis ratione colligimus: ne vnum horum homini subtrahentes, ecclesiasticæ fidei regulam excessisse videamur.* ✝ *suscipere.*

Ecclesiastica regula est prædicante Apostolo: *Nemo potest* Ecclesiastica fidei 1.Cor 12 3. *dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto.* Ecclesiastica regula est. *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid* 1.Cor.4. 7. *gloriaris quasi non acceperis?* Ecclesiastica regula est. *Gratiâ dei* 1.Cor.15 10. *sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laborauit. Non autem ego, sed gratia dei mecum.* Et: *mi-* 1.Tim.1. 13. *sericordiam consequutus sum, vt fidelis essem.* Ecclesiastica regula 2.Cor.4. 7. est, *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis dei, & non ex nobis.* Ecclesiastica regula est. *Gratia sal-* Ephes. 2. 8. *uati estis per fidem, & hoc non ex vobis, dei enim donum est, non* 2.Cor.4. 7. *ex operibus, ne quis extollatur.* Ecclesiastica regula est, *in nullo* Philip.1. 28 & 29. *terreamini ab aduersarijs, quæ est illis causa perditionis, vobis autem* Philip. 2. 12.& 13. *salutis, & hoc à deo: quia vobis datum est per Christum, non so-* 2.Cor 3. 5. *lum vt in eum credatis, sed etiam vt patiamini pro eo.* Ecclesiastica Ioan. 6. 66. & 17 Ioan.15. regula est. *Cum tremore & timore vestram ipsorum salutem operamini. Deus enim est qui operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate.* Ecclesiastica regula est. *Non quia idonei sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex deo est.* Hanc regulam firmat Deus dicens: *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à patre meo.* Et: *Omne quod dat mihi pater venit ad me.* Et: *Sine me nihil potestis facere.* Et: *Non vos*

me elegistis, sed ego elegi vos. Et: *Nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Et: *Sicut pater vinificat mortuos, ita & filius quos vult vinificat.* Et: *Beatus es Simon Bar-iona, quoniam caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est.* Hâc regulâ nulli hominum auferetur voluntas: quia virtus gratiæ, non hoc in voluntatibus operatur vt non sint: sed vt ex malis bonæ, & ex infidelibus sint fideles: & qui ex semetipsis *erant tenebræ, lux* efficiantur *in domino*: quod mortuum erat, viuificetur: quod iacebat, erigatur: quod perierat, inueniatur. Hoc in omnibus prorsus hominibus, *qui eruuntur de potestate tenebrarum, & transferuntur in regnum filij dilectionis dei*, sine cuiusquam exceptione personæ agere credimus gratiam saluatoris. Quia, sicut hic idem probabiliter, sed non stabiliter definiit, dicimus atque defendimus, *non solum actum, verum etiam cogitationum bonarum ex deo esse principium, qui nobis & initium sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne* enim *datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum:* qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur & consummat in nobis. In qua sententia si author ipsius permaneret, ecclesiasticam regulam non excederet: neque simul & libero arbitrio offensus, & gratiæ dei esset ingratus, quorum dum vnum in Paulo & Matthæo, aliud in Zachæo & latrone iudicat operatum, non intelligit, in illis se liberum arbitrium, in illis gratiam sustulisse. Deindè adiecit:

Operatio gratiæ.

Matt. 11. 27. Ioan. 5. 21. Matt. 16. 17. Eph. 5. 8. Colos. 1. 13. Iacob. 1. 17.

Cap. 16. *Nam cum viderit nos deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat.* Ad vocem *enim* clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi. Et inuoca me, *inquit*, in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me.

Esa. 30. 19. Psal. 49. 15.

Quis non videat, quod hæc doctrina meritum libero assignet arbitrio, quo præueniatur gratia, quæ ei famuletur reddens debitum, non conferens donum? Quæ definitio in Episcoporum Palestinæ synodo, etiam à Pelagio anathemate damnata est. In eo enim qui bonum incipit velle, & cupit ab iniquitate atque ab errore discedere gratiam dei hoc ipsum profitemur operari. Quoniam *à domino gressus hominis diriguntur, & viam eius voler.* Et *omnis vir videbitur sibi iustus, dirigit autem corda dominus.* Et *à domino diriguntur gressus viri. Mortalis autem quomodò intelligit vias suas?* Et quod ait Apostolus

Psal. 36. 25. Prou. 21. 2. Ibid. 20. 24. Rom. 8. 15.

stolus. *Non enim accepistis spiritum seruituris iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater.* Post hæc persequitur, & dicit.

Nec enim Deus talem hominem fecisse credendus est, qui nec velit vnquam, nec posßit bonum; alioqui nec liberum ei permisit arbitrium, si ei tantummodò malum, & velle & posse: bonum verò nec velle nec posse concesßit. Et quomodò stabit illa diuini post prænaricationem primi hominis lata sententia; Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis, sciens bonum & malum? *Non enim talis antè fuisse putandus est, qui non esset prorsus ignarus. Alioquin velut quoddam irrationabile atq; insensatum animal eum fatendum est fuisse formatum: quod satis absurdum, & à catholica fide omnimode alienum est. Quinimò secundum sententiam sapientissimi Salomonis*, fecit Deus hominem rectum: *id est, vt tantum boni scient à malitier frueretur. Sed ipsi quæsierant cogitationes multas. Facti enim sunt, vt dictum est*, scientes bonum & malum. *Concepit ergò Adam post prænaricationem, quam non habuerat, scientiam mali: boni verò quam acceperat scientiam, non amisit.*

Cap. 17.

Genes. 3. 22.

Eccl. 7. 30.

Gen. 3. 5.

Cap. 18.

Rectum atque omni vitio carentem creatum esse hominem primum, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est, eumque tale accepisse liberum arbitrium, vt si auxiliantem sibi dominum non desereret, posset in bonis quæ naturaliter acceperat, perseuerare quia vellet: & merito voluntariæ perseuerantiæ in eam beatitudinem peruenire, vt nec vellet decidere in deteriora, nec posset. Sed ipso libero arbitrio, quo quamdiu voluit bonus mansit, à proposita sibi lege discessit, nec denuntiatæ sibi mortis supplicium formidauit, deserens deum, & sequens diabolum: rebellis domino seruatori, & inimico obediens peremptori. *Fuit ergò Adam & in illo fuimus omnes, Periit Adam, & in illo peccauerunt omnes.* Quod ita non falsò dixit beatus Ambrosius, sicut non falsò ipsa veritas ait. *Venit filius hominis quærere & saluare quod perierat.* Naturæ enim humanæ, in illa vniuersalis prænaricationis ruina, nec substantia erepta est: nec voluntas, sed lumen decusque virtutum, quibus fraude inuidentis exuta est. Perditis autem per quæ ad æternam atque inamissibilem corporis animæque incorruptionem poterat peruenire, quid ei remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitam, quæ tota est damnationis & pœnæ? Propter quod, natos in Adam renasci oportet in Christo, ne in illa quis inue-

Qualis conditio hominis ante & qualis post lapsum.

Ambros. li. 7. in Lucam illud c. 15 filius perierat & inuentus est. Luc. 19. 10.

niatur generatione, quæ perijt. Nam si posteri Adæ in illis virtutibus naturaliter agerent, in quibus Adam fuit antè peccatum, non *essent naturâ filij iræ, non essent tenebræ*, nec *sub potestate tenebrarum*, saluatoris denique gratiâ non egerent; quia non frustra boni essent, nec iustitiæ præmio fraudarentur, habentes ea bona, quorum amissione primi patres de Paradiso exulare meruerunt: Nunc autem, cum sine sacramento regenerationis æternam mortem nemo possit euadere: nonnè ex ipsius remedij singularitate apertissimè patet, in quàm profundum malum totius humani generis natura demersa sit, illius præuaricatione, *in quo omnes peccauerunt*, & quicquid ille perdidit, perdiderunt? Perdidit autem primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem, spoliatus est sapientiâ & intellectu, caruit consilio & fortitudine: & impiè altiora sectando à veritatis scientia, & obedientiæ pietate deiectus est: nec ipso saltem timore sibi reliquo, vt ab interdictis vel metu caueret pœnæ, † qui abstinebat amore iustitiæ. Liberum ergò arbitrium, id est, rei sibi placitæ spontaneus appetitus, vbi vsum bonorum quæ acceperat, fastidiuit, & vilescentibus sibi fœlicitatis suæ præsidijs, insanam cupiditatem, & experientiam præuaricationis intendit, bibit omnium vitiorum venenum, & totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate malefecit. Indè, priusquam edendo carnem filij hominis, & bibendo sanguinem eius lethalem digerat cruditatem, labitur memorâ, errat iudicio, nutat incessu: neque vllo modo idoneus est ad illud bonum eligendum & concupiscendum, quo se sponte priuauit.

Ephes. 2. 3
Ephes. 5. 8
Coloss. 1. 13.

Adam perdidit fidem & cæteras virtutes.

Rom. 5. 12.

† Alias *qui non abstinebat amore iustitiæ.*

Cap 20. Quia non sicut potuit deo non impellente corruere, ita potest deo non erigente consurgere. Non igitur rectè dictum est: *Non enim talem Deus hominem fecisse credendus est, qui nec velit vnquam, nec posit bonum.* Quali nos istam hominis debilitatem à creatore dicamus conditam, & non peccati merito ab homine contractam. Qui ergò putat consequens esse, vt si liberum arbitrium obcæcatum esse dicatur, obcæcatio ipsa ad naturæ referatur authorem, vult persuadere, quod tam sanum sit in Adæ posteris liberum arbitrium, quam in Adam fuit antè peccatum: quod satis alienum à catholica fide ducimus. Quid enim peccato læsum est, si id læsum non est, vndè peccatum est? Nisi fortè dicatur in Adæ posteros

steros pœnam transisse non culpam: quod omni modo falsò dicitur, & ob hoc fortè non dicitur. Nimis enim impium est, hoc de dei sentire iustitiâ, quod à prævaricatione liberos, cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergò culpa, vbi non latet pœna, & societas peccati conuincitur de communione supplicij: vt quod est humanæ miseriæ, non de institutione creatoris, sed de retributione sit iudicis. Pœna indicium culpæ.

Illud enim ineptè positum est, & contra sensum omnium tractatorum, quod ad probandam liberi arbitrij incolumitatem connexuit, dicens: *Et quomodo stabit illa domini post prævaricationem primi hominis illata sententia: Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis, sciens bonum & malum?* Quasi diabolus Adæ vera promiserit, & Adam transgrediendo mandatum dei, profecerit in similitudinem dei, & hoc ei fuisse collatum, pronunciauerit Deus: cum in his verbis significatum sit potius, quid non fuerit assecutus; qui superbiæ ingressus viam, quod habebat amisit, dum quod non acceperat, concupiuit. Non minus autem in ipsa huius sensus conclusione peccatum est, dum dicitur: *Concepit ergò Adam post prævaricationem, quam non habuerat conscientiam mali: boni verò, quam acceperat, scientiam non amisit.* Scientiam boni Adam tunc habebat, quandò bonum sanctumque mandatum dei fideli corde seruabat, & erat iustus manens in imagine creatoris sui, legisque eius non obliuiscens. Postquam autem se, hoc est, imaginem & templum dei deceptori suo subdidit, perdidit boni scientiam, quia perdidit bonam conscientiam. Iustitiam enim iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, captiuitas abstulit libertatem: nec potuit illic vlla portio residere virtutum, quò tanta irruperat turma vitiorum. *Nemo enim potest duobus dominis seruire.* Et: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Et: *A quo quis superatus est, ei seruus addictus est.* Nemo autem seruit nisi cùm aliqua libertate: & nemo liber est, nisi cum aliqua seruitute, dicente Apostolo: *Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergò fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Qui itaque seruit diabolo, liber est à deo.

Gen. 22. 3.

Luc. 16. 13. Ioan. 8. 34. 2. Pet. 2. 19. Rom. 6. 20. 21. & 22.

Cap. 22.

Qui autem liberatus seruit deo, liber est à diabolo: vt ap-

Cap. 23.

pareat mẽdam libertatem potuisse haberi ex humanæ voluntatis defectu: bonam autem libertatem non potuisse recipi, sine liberatoris auxilio. Sed ne hæc primi hominis calamitas in progeniem eius transijsse videatur: quam integro sit omnium hominum natura iudicio, exemplo gentium probaturus hic doctor addidit, & dixit:

Denique non amisisse genus humanum post prævaricationem Adæ scientiam boni, etiam Apostoli sententiâ evidentissimè declaratur: qui dicit: Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt: hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente eis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit deus occulta hominum. Rom. 2. 14. 15. & 16.

Si de his Apostolus loquitur, qui ex præputio sunt vocati, & cum *essent longè, facti sunt propè*, credentes in eum: qui quorum aliquandò non misertus est, nunc miseretur, & *iustificans circumcisionem ex fide, & præputium per fidem, duos condita in semetipso, destructoque pariete* inimicitiæ Iudæorum & gentium, *in vno nouo homine fecit pacem*; *concludens omnia in incredulitate, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Si, inquam, de his Apostolus loquitur, in quorum cordibus digito suo deus, id est, Spiritu sancto scribit nouum testamentum, vt legis plenitudinem & opera charitatis naturaliter exequantur, reformatâ scilicet renouatâque naturâ: quid hic superbissimi sensus nouitas adiuuatur, cum reconciliatio inimicorum non possit nisi gratiæ mediatoris adscribi? *Omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius.* Ergò gratia, gloria dei est, non meritum liberati. *Quis* enim *prior dedit ei, vt retribueretur illi?* Nihil boni operis ex mortuis, nihil iustitiæ procedit ex impijs: tota ipsorum salus, gratia est. Et ideò gloria dei est, vt *qui gloriatur, in illo*, cuius gloriâ eguit, *glorietur.* Si autem (quod magis vult hic disputator intelligi) de illis dicuntur, qui alieni à gratiâ Christianâ, quædam ad similitudinem legalium mandatorum proprio iudicio sanciebant, intelligentes, mores ciuitatum concordiamque populorum non posse aliter contineri, nisi vt rectè factis præmia, & peccatis pœnæ decernerentur: quis ambigat hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitæ vtilitatem, ex naturæ à deo conditæ Ephes. 2. 13. 1. Pet. 2. 10. Rom. 3. 30. Eph 2. 15 Gal. 3. 22. Rom. 3. 23. & 24. Rom. 11. 35.

supereſſe

superesse reliquijs? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura. Quæ tamen etiamsi excellentissimis artibus, & cunctis mortalium eruditionum polleat disciplinis iustificari ex se non potest, quia bonis suis malè vtitur, in quibus sine cultu veri dei impietatis, immunditiæque conuincitur, & vadè se defendi existimat, accusatur. Cum ergò Paulus definiat, quod *non ex operibus legis iustificatur omnis caro: & quoniam in Christo neque circumcisio, neque præputium valeat aliquid, sed noua creatura*: quid iste impiam infidelium libertatem naturalibus instruit bonis, & proprijs vult iustificare principijs? Quid ad renouationem miseræ vetustatis, idoneam definit præuaricatricis scientiæ nuditatem? Quasi ista scientia vel ex naturæ opibus residua, vel ex legalis doctrinæ eruditione quæsita, possit sui perceptione præstare, vt quod faciendum nouerimus, etiam facere diligamus: aut vllus sit bonæ voluntatis motus, nisi quem creauerit diffusa per Spiritum sanctum charitatis afflatus. *Sine fide* enim *impossibile est placere deo*. Et: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. Et: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per dilectionem operatur.*

Bonũ suũ natura male vtitur sine gratia.

Rom. 3. 20. Gal. 2. 16. Rom. 5. Hebr. 11. 6 Rom. 14. 23. Gal. 5. 6.

Post hæc in conclusione testimoniorum quibus probare voluit, quod hi qui per increpationem propheticam surdi appellantur & cæci, possint ex facultate naturæ & aures suas aperire ad audiendum, & oculos suos ad videndum (quasi non de ijsdem dicat dominus: *Et dabo eis cor aliud, & spiritum nouum dabo eis, & euellam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iustificationes meas obseruent, & faciant eas*) addidit, & dicit:

Cap. 23.

Ezech. 11. 19. & 20. Ibid. 36. 26. & 27.

Denique vt probabilitatem boni eius inesse designaret, increpans Pharisæos dixit: Quid autem ex vobis ipsis (*inquit*) etiam non iudicatis quod bonum est? *Quod vtique non eis dixisset, nisi eos iudicio naturali, quod æquum est, scisset posse discernere.*

Luc. 12. 57.

Iam non solùm voluntatem boni, sed etiam possibilitatem libero adscribit arbitrio: Tanquam ideò ab eis exigatur intelligentia, ideò iustitia reposcatur, quia possint hæc sine dei donis, de naturæ proferre bonis, imperantur autem ista homini, vt ex ipso præcepto dei quo ei hoc quod accepit, indicitur, agnoscat id se suo vitio perdidisse, & non ideò iniquam esse exactionem, quia ad reddendum quod debet

Cur præcepta deijciantur homini.

bet idoneus non est, sed à litera occidente confugiat, ad spiritum viuificantem, & facultatem quam antè non inuenit in natura, quærat ex gratia. Quod si facit, magna est misericordia domini: si non facit, iusta est pœna peccati. Deindè ad plenitudinem præmissæ disputationis, regulari sententiâ pronuntiat, dicens:

Cap. 24. *Vndè cauendum nobis est, ne ita ad dominum omnia sanctorum merita referamus; vt nihil nisi id quod malum atque peruersum est, humanæ ascribamus naturæ.*

Quid euidentius, quid expressius secundum Pelagij Cælestijque commentum ab vllo discipulo potuit definiri? illi dicunt, *gratiam dei secundum merita nostra dari*: & † ideo dicunt, *gratiam dei non ad singulos actus dari*. Hic intra vnam sententiam blasphemiam vtramque concluſit, dicens, *Cauendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, vt nihil nisi quod malum atque peruersum est, humanæ ascribamus naturæ.* Vult ergò esse multa propria hominum merita, quæ non sint gratiæ largitate collata, quibus ad augendas naturales diuitias quædam de sursum munera debeantur. Vult nos gratiam dei non ad singulos actus accipere: ac proindè non pro omni bono opere semper orare. Atque ita consequens erit, vt in dei muneribus nullum meritum esse credendum sit: quandoquidem sine merito sit, quem deus in omnibus semper adiuuerit: aut si etiam in his quæ deus tribuit, aliqua merita collocantur, constet etiam ipsa acquiri propriâ facultate potuisse, & ideò in aliquibus oporteat nos iuuari, vt possibilius fiat per gratiam, quod non erat impossibile per naturam. Ecce iam in ista paucorum breuitate verborum, non duarum tantum, sed multarum impietatum numerosa connexio est. Quæ si scrupulosioris diligentiæ discretione tractetur, in nullo à damnati erroris catenâ, absoluta monstrabitur.

† *Alias idem.*

Error est eos omnia merita conferre per gratiam.

Cap. 25. Sed ne suspicionibus agere videamur, & latebras sensuum vltra verba rimari, quid ac crescat cognitis, doceant quæ sequuntur. Qui ergò inter principia disputationis suæ dixerat. *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex deo esse principium: qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ recè cupimus, tribuit peragendi*: nunc volens probare, quod religiosæ cogitationes & sancta consilia, nulla dei inspiratione concepta de

naturali

naturali possunt prodire sapientiâ, ponit verba Salo-
3 Reg 6 monis, dicentis. *Voluit Dauid pater meus ædificare do-*
1 Par. 28 *mum nomini Domini Dei Israel. Et ait Dominus ad Dauid patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans. Verumtamen non tu ædificabis domum nomini meo.* Deindè vt ostendat, quomodò intelligendum sit, infert ipse tractator:

Hæc ergò cogitatio, atque istæ tractatus regis Dauid, vtrumne boni ex Deo, an mali, & ab homine fuisse dicendus est? Si enim bona & ex deo fuit illa cogitatio, cur ab eo, à quo inspirata est, eidem negatur effectus? Si autem mala, & ex homine fuit, cur laudatur ab domino? Restat ergo vt & bona, & ex homine fuisse credatur: in quem modum etiam nostras quotidiè cogitationes possumus iudicare. Neque enim aut soli Dauid bonum ex semetipso cogitare concessum est, aut nobis ne quid boni vnquam sapere, aut cogitare possemus, naturaliter denegatur.

Nullo modo hoc testimonio atque argumento probare potest, quod piæ cogitationes ex solo libero arbitrio, & non ex dei inspiratione nascantur. Non enim ideo voluntas Dauid, quæ vtique bona erat, non ex deo fuisse credenda est, quia templum sibi dominus non ab eo ædificari, sed à filio ipsius voluit. Quærendum ergò est, de quo spiritu processerit affectus ipsius voluntatis, nempè de illo in quo dicebat.
Psal. 131 3. 4. & 5. *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum stratus mei: Si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.* Quod cum propheta concupisceret, non ignorabat verum illud perfectumque templum ab illo esse condendum, qui cum esset filius dei, factus est etiam filius Dauid: quique cum videret templum à Salomone constructum, dicebat: *Solvite templum hoc, & in tri-*
Ioan. 2. 19 & 21. *duo suscitabo illud: Dicebat autem de templo corporis sui.* Vt ergò hoc templum præfiguraretur, quod in Christo & in Ecclesia disponebatur, meritò ad extructionem eius, non Dauid eligitur, sed filius Dauid: vt per filium hominis significaretur filius dei & hominis: & per templum dissolubile, indicaretur tabernaculum incorruptibile, ad cuius condendam imaginem & voluntas Dauid probata est, & opus in eum translatum est, cuius persona magis eidem imagini congruebat.

Atque

Atque ita & ex deo erat hoc velle Dauid: & ex deo erat, hoc facere Salomonem. Quod vt exemplis magis luceſcat, requiramus vbi fieri Deus noluerit, quod homines facere deo volente voluerunt. Dominus Apoſtolis ſuis præcepit, dicens: *Euntes ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & docentes eos ſeruare quæcumque mandaui vobis.* Quod cum Apoſtoli audirent, ſine dubio non verba nuda per corporales ſonos exterioribus tantum auribus acceperunt, ſed virtute † iubentis verbi accenſa eſt in cordibus eorum inextinguibilis flamma charitatis, qua ardentiſſimè vellent Euangelium Chriſti omnibus gentibus prædicare: Sed cum *vetiti ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia*, & cum *tentarent ire in Bithyniam, prohibiti ſunt à ſpiritu Ieſu*: nunquid non ex deo hanc voluntatem habebant, quod etiam iſtorum optabant ad fidem corda conuertere, quos occulto iudicio deus Euangelium tunc nolebat audire? Aut quod Eccleſia quotidiè pro inimicis ſuis orat: id eſt, pro his qui nondum crediderunt, nunquid non ex ſpiritu dei facit? Quis hoc dixerit, niſi qui hoc non facit, aut qui putat fidem non eſſe donum dei? Et tamen quod pro omnibus petitur, nõ pro omnibus obtinetur. *Nec eſt iniquitas apud Deum*, qui ſæpè poſtulata non tribuit; quæ poſtulare donauit.

Mat. 28. 19. & 20.

† Alias vincentis.

Act. 16. 6. & 7.

Deus inſpirat quandoq; voluntates bonas, quas non vult peruenire ad effectum.

2. Par. 19 7.

Cap. 26.

Bonam igitur voluntatem, eam ſcilicet qua adhæretur deo, nec negandum eſt hominis eſſe propriam, & confitendum eſt deo inſpirante conceptam. Nam cum *nemo ſit bonus, niſi ſolus Deus*, quale erit bonum, quod autorem non habet bonum? Naturæ quippè humanæ, cuius creator eſt Deus, etiam poſt præuaricationem manet ſubſtantia, manet forma, manet vita, & ſenſus, & ratio, cæteraque corporis atque animi bona, quæ etiam malis vitioſiſque non deſunt: ſed non illis veri boni perceptio eſt, quæ mortalem vitam honeſtate poſſint, æternam autem conferre non poſſunt. Neque enim ignotum eſt † quantum Græciæ ſcholæ, quantum Romana eloquentia, & totius mundi inquiſitio circa inueniendum ſummum bonum, acerrimis ſtudijs, excellentiſſimis ingenijs laborãdo nihil egerint: niſi *vt euaneſcerent in cogitationibus ſuis, & obſcuraretur cor inſipiens eorum*, qui ad noſcendam veritatem ſemetipſis ducibus vtebantur. Si ergò quis de ærumnoſis *vanitatibus & inſanijs fallacibus* erubeſcens, tenebras eſſe & mortem, quicquid pro lumine ac vita amplectebatur, intelligit,

Luc. 18. 29.

† Alias quod.

Rom. 1. 21.

ligit, & ab his se conatur abstrahare: non est ab ipso, quamuis non sine ipso sit, ista conuersio: nec propria virtute ad principia salutis enititur: sed agit hoc occulta & potens gratia dei, quæ dimotis terrenarum opinionum & operum mortuorum fauillis, torrem obruti cordis exagitat, & desiderio veritatis inflammat: non vt inuitum hominem subigat, sed vt subiectionis cupidum faciat: nec vt ignorantem trahat, sed vt intelligentem, sequentemque præcedat. Manens enim liberum arbitrium, quod vtique cum ipso homine deus condidit, à vanitatibus & cupiditatibus suis, in quas neglectâ dei lege defluxit, non à seipso, sed à creatore mutatur, vt quicquid in eo in melius reficitur, nec sine illo sit qui sanetur; nec nisi ab illo sit qui medetur, cuius *sumus noua creatura, nouumq; figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Nunc iam videamus quò disputantis progrediatur intentio.

Conuersio hominis à Deo est homine tamen cooperante.

Ephes 2. 10.

Dubitari ergò (inquit) *non potest, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta: Sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire, quia secundum beatum Apostolum,* neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat deus. *Adiacere autem homini in quamlibet partem arbitrij libertatem, etiam liber ille, qui dicitur Pastoris, apertissimè docet, in quo duo angeli vnicuique nostrum adhærere dicuntur: id est, bonus & malus. In hominis verò optione consistere, vt eligat quem sequatur. Et ideirco manet in homine liberum semper arbitrium, quod gratiam Dei possit vel negligere, vel amare.*

Cap. 27.

1. Cor. 3. 7.

Si dubitari non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta: solus Adam præuaricatus est, & in peccato eius nemo peccauit: in nullis iniquitatibus concepti sumus, & in nullis nos matres nostræ peperere delictis: non *fumus naturâ filij iræ, nec fumus sub potestate tenebrarum*: qui manentibus in nobis naturaliter virtutibus, filij potius nati sumus pacis & lucis. Absit ab animis piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio. Virtutes cum vitijs habitare non possunt: *quæ enim participatio,* inquit Apostolus, *iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras?* Virtus namque principaliter deus est: cui non aliud est habere virtutem, quam esse virtutem. Huius cumparticipes sumus, habitat Christus in nobis, qui est *Dei virtus & Dei sapientia:*

Rom. 5. 12. Psal. 50. 7. Ephes. 2. 3. Coloss. 1. 13. 2. Cor. 6. 14. 1. Cor. 1. 24.

pientia : habitat fides, ſpes, charitas, continentia, intellectus, conſilium, fortitudo, cæteræque virtutes. Cum verò ab hoc bono recedimus, omnia nobis è contrario oriuntur ex nobis : diſcedente enim pulchritudine, quid ſuccedat niſi deformitas ? abeunte ſapientiâ, quid reſideat niſi inſipientia? non regnante iuſtitiâ, quid dominetur niſi iniquitas ? Virtutum itaque ſemina, quæ beneficio creatoris inſerta ſunt, præuaricatione primi parentis euerſa ſunt : nec haberi queunt, niſi eo reſtituente qui dederat : Reformabilis enim eſt natura humana formatori ſuo, & eorum bonorum quæ habuit capax eſt : vt per *mediatorem Dei & hominum hominem Ieſum Chriſtum*, in eo ipſo quod ei remanſit, poſſit recuperare quæ perdidit. Remanſit autem ei rationalis animus, qui non virtus, ſed virtutis habitaculum eſt. Ex participatione enim ſapientiæ & iuſtitiæ & miſericordiæ, non ſapientia, neque iuſtitia, neque miſericordia : ſed ſapientes & iuſti & miſericordes ſumus. Quæ bona, quamuis rationale noſtrum vitijs occupatum ſit, & præuaricantibus nobis dei templum ſpiritus immundus inuaſerit, poſſunt tamen rurſus in ipſum rationale confluere, per eum qui mundi principem foras mittit : & ligans fortem, vaſa eius rapit, fugatoque mundi huius ſpiritu, largitur nobis *ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis; qui autem ſpiritũ Chriſti non habet, hic non eſt eius.*

Virtutũ ſemina euerſa per peccatum nec niſi à Deo reſtituuntur.

Ioan. 12. 31. Marc. 3. 27. 1. Cor. 2. 12. Rom. 8. 9

Puto autem iſtum veriſimilitudine decipi, & in ſpecie falſarum errare virtutum, dum ea bona, quæ non poſſunt niſi ex dei munere haberi, etiam in impiorum animis exiſtimat reperiri : ideò ſcilicet quia multi eorum ſint iuſtitiæ, temperantiæ, continentiæ, & beneuolentiæ ſectatores : quæ omnia non fruſtra quidem, neque inutiliter habent, multumque ex eis in hac vita honoris & gloriæ conſequuntur. Sed quia in ijs ſtudijs non deo, ſed diabolo ſeruiunt, licet habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. Et ita manifeſtiſſimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem : ſed omnia opera eorum immunda eſſe, atque polluta habentium *ſapientiam* non ſpiritalem ſed *animalem*, non cœleſtem ſed *terrenam*, non Chriſtianam, ſed *diabolicam*, *non à patre luminum* ſed à principe tenebrarum, dum per ea ipſa quæ non haberent niſi dante deo, ſubduntur ei qui primus receſſit à deo. Qui ergo dicit, ſine vllo opere gratiæ naturaliter omni animæ

Cap. 28.

In impijs non ſunt veræ virtutes.

Iacob 3. 15.

ſemina

semina inesse virtutum: quid laborat ostendere, nisi istis seminibus quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum? Denique vt videretur aliquid gratiæ tribuisse. *Ad perfectionis*, ait, *incrementum semina hæc peruenire non poterunt, nisi opitulatione Dei fuerint excitata*: vt scilicet opitulatio dei sit cohortatio atque doctrina: mens autem, quæ virtutum est opulenta seminibus, vtatur facultate quam possidet: ad hoc tantum iuuanda, vt earum virtutum apprehendat culmina, quarum sibi scit inesse principia.

1. Cor. 3. 11

Igitur secundum† istud humana anima sic ædificabitur in dei templum, vt non accipiat *fundamentum, præter quod aliud nemo potest ponere quod est Christus Iesus.* Quandò autem hoc fundamentum incipitur, nisi quandò fides in audientis corde generatur? Quæ si naturaliter inerat, non cœptum ibi est aliquid, sed superinstructum. Superfluò ergò infidelis videbatur, qui fidem habebat antequam crederet. Hoc autem & de aliarum virtutum principijs potest dici, quas gratia augere debeat quia sunt, non donare quia desunt. Sed aliud nos omnia sanctarum scripturarum eloquia docent. Legimus *principium* esse *sapientiæ timorem domini.* Et legimus donum dei hanc esse virtutem. *Timor domini*, inquit, *super omnia se superposuit. Beatus homo cui donatum est habere timorem domini.* Cùm ergò *timor dei principium* sit *sapientiæ*, quæ virtus haberi potest sine sapientia, cuius ex timore principium est? Beatus Petrus Apostolus, *Gratia vobis*, inquit, *& pax adimpleatur in recognitione domini nostri Iesu Christi, qui nunc omnia nobis diuina virtute sua, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donauit.* Nunquid ait: Qui virtutum semina, quæ naturaliter habebamus inserta, opitulatione sua excitauit in nobis? sed ait: *Qui nunc omnia nobis quæ ad vitam & pietatem pertinent, donauit.* Quod dicendo, cuius virtutis initium in natura posuit, quod non ab eo collatum sit qui cuncta donauit? Propter quod & beatus Paulus. *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ergò omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, non per naturam, quæ vitiata est, habemus: sed per gratiam, qua natura reparatur, accepimus. Nec idcò existimare debemus, in naturalibus thesauris principia esse virtutum, quia multa laudanda reperiuntur etiam in ingenijs impiorum, quæ ex natura quidem prodeunt: sed quoniam ab eo, qui naturam

Cap. 29.

† Alias istum.

Prou. 1. 7. Eccles. 1. 25. 15. & 15. 2. Pet. 1. 2. & 3. 1. Cor. 4. 7.

condidit, receſſerunt, virtutes eſſe non poſſunt. Quod enim vero illuminatum eſt lumine, lumen eſt: & quod eodem lumine caret, nox eſt: *Quia ſapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Ac ſic, vitium eſt quod putatur eſſe virtus, quandoquidem ſtultitia, eſt quod putatur eſſe ſapientia. Quomodò autem fieri poteſt, vt is qui in naturalium virtutum ſeminibus exuberare ſe putat, 4 quas ipſe magnificas eſſe gloriatur, ipſas virtutes ſuas ei doctrinæ ſubiiciat prouehendas, quæ dicit: *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens*: &, *Quia in ſapientia Dei non cognouit hic mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes*: quid illa ſcientia ſcientiæque præſumptio magis ineptum eſſe cenſeat, magiſque ridendum, niſi ſpiritus dei aſpernationem ſubegerit ſuperborum: rationeſque illas, quæ ignotæ virtuti, caninâ facundiâ repugnabant, gratiæ ſuæ virtute deſtruxerit: vt ſemen verbi præſulcata cordis terra concipiat, & dignos æternis horreis fructus dei agricultura producat?

Alià: quæ ille magnificat gloriatur. 1. Cor. 3. 19. *Ibid.* 18. 1. Cor. 1. 21.

Cap. 30 Poſt illud autem nullius authoritatis teſtimonium, quod diſputationi ſuæ de libello Paſtoris inſeruit, & quo oſtendere voluit, inter boni & mali contrarias ſuaſiones, ita omnem hominem naturali iudicio & propriæ diſcretioni eſſe commiſſum, vt ei non plus à deo præſidij, quam à diabolo ſit periculi, addidit definitioni ſuæ regulam dicens: *Et idcirco manet in homine libertum ſemper arbitrium, quo gratiam Dei poſſit vel negligere, vel amare.* In quâ ſententiâ etiam hoc quod ait, *manere in homine liberum ſemper arbitrium*, ex aliquâ parte non conſtat. Siquidem multa millia infantium in regnum Dei adſumptorum, aut à regno Dei extraneorum, ſine vllius ſuæ voluntatis arbitrio gratiam Dei aut accipiant, aut amittant. Multique excordes ad omnia prorſus, & fatui, per ſacramentum regenerationis ab æternæ mortis vinculis eruantur. Accipiamus tamen ita hoc dictum, vt ad eos propriè pertineat hæc definitio, qui vti poſſunt liberâ voluntate. Itâne libera eſt iſta libertas, vt quantum ex ſe habeat faſtidij vt negligat gratiam Dei, tantum ex ſe habeat 4 delectationis vt diligat? Itâne illum vetuſtæ infidelitatis glacialem rigorem nullus meridiani caloris ſpiritus relaxauit & torpor mentis obſtrictæ de ſuo algore concaluit: vt dicente domino, *Ignem veni mittere in terram*, nulla ad cor frigidum ſcintilla peruenerit?

4. *Aliàs dilectionis.*

Luc. 12. 49.

† *illis.* nerit, & cinis mortuus à semetipso in flammam charitatis exarserit? Nihil tale † in istius gratiæ damnatoribus factum
Luc 24. 32. est, quale illi experti sunt, qui dicebant? *Nonnè cor nostrum erat ardens, cum essemus cum illo in via, & aperiret nobis scripturas?* Sed nec illud in eisdem actum est, quod de *Lydiâ, civitatis Thyatirorum purpuraria*, quæ inter mulieres, quibus illic Apostolus prædicabat, sola tunc ostenditur credidisse:
Act. 16. 14. *Cuius*, inquit, *cor aperuit dominus, vt intenderet his quæ à Paulo dicebantur.* Et tanta est secundum istum liberi arbitrij vel incolumitas, vel facultas, vt charitatem, quæ in omnium arce virtutum est, non ex Dei munere, sed ex sola habeat voluntate. Quid ergò in anima à suo ædificatore parabitur? *Charitas sine quæ cætera nō prosunt est à Deo.*
aut qua largitate gratiæ fiet ornatior, si illa sunt ei propria,
1. Cor. 13 1. & seq. sine quibus non possunt prodesse donata? Sed Apostolus, qui profitetur sine charitate non operationes miraculorum, non scientiam, non fidem, non prophetiam, non erogationes diuitiarum, non ipsam sæuissimorum suppliciorum prodesse tolerantiam: vndè habeatur ipsa charitas, non tacet.
Rom. 5. 5 *Ephes. 1. 23.* *Quoniam charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et, *Pax*, inquit, *fratribus cum charitate & fide, à Deo patre, & domino Iesu Christo.* Sanctus etiam Ioannes Apostolus instruat nos, vndè huius boni cœperimus esse participes. *Charissimi*, inquit, *diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est.* Et ne possimus opinari, ideò dilectionem dictam ex Deo, quia in natura hominis hic satus
1. Ioan. 4. 7. esset affectus, paulò pòst ait: *Non quod nos dilexerimus Deum,*
Ibid. 10. *Ibid. 19.* *sed quoniam ipse dilexit nos.* Et iterum: *Nos diligamus Deum,*
1. Cor. 4. 7. *quia prior dilexit nos.* Agnoscat ergò humana egestas, hoc quod de quibuslibet bonis rectè dicitur, multò rectiùs sibi dici de eo, sine quo bona cuncta non prosunt.

Cap. 31.

Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Post hæc autem, cum tantum homini tribuisset antè gratiam, quantum ei fuerat fructuosissimum habere per gratiam, addidit quædam perplexè, atque confusè ad vigorem liberi arbitrij demonstrandum, & de his quæ iam donatis sibi † viribus facit, vult illa munire quæ ei naturaliter inesse definit, vt quod est per adiutorium Dei perfeciſſe, hoc sit per liberi arbitrij libertatem cœpisse. Verum hæc vt tolerabilia transeamus: quia & nos liberum arbitrium ideò dicimus, bonæ voluntatis affectum fideique

† *Alias virtutibus.*

principium operante gratia concepisse, vt per hæc quæ illi nullo merito præeunte donata sunt, ea quæ operaturis sunt promissa mereatur: ab illo semper petens posse aliquid boni facere, qui ait: *Sine me nihil potestis facere.* His itaque prætermissis, id quod de sancti Iob passionibus posuit, retractemus, ait enim: Ioan. 15. 5.

Cap. 32. *Quod etiam in Iob probatissimo athleta suo, cum eum diabolus expetisset ad singulare certamen, diuinam legimus prouidisse iustitiam. Si enim contra inimicum non sua virtute, sed Dei solius suisset gratia protegente congressus, & absque vlla virtute patientiæ suæ diuina tantum opitulatione suffultus, multiplices illas ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles & exitia pertulisset: quomodò non illam calumniosam diabolus, quam prius emiserat vocem, aduersus eum iustius iteraisset:* Nunquid Iob gratis colet Deum? nonnè tu vallasti eum ac domum eius & vniuersam substantiam eius per circuitum? Sed auser manum tuam, *hoc est, sine eum suis mecum viribus decertare,* nisi in faciem tuam benedixerit tibi. *Sed cum nullam huiuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur: Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem, non eum ab illius impugnatione sit protegens, vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum, sed hoc tantum procurans, ne violentissimus inimicus animam eius amentem faciens, & impotem sensu, impari eum atque iniquo certaminis pondere pragrauaret.* Iob 1. 9. 10. & 11

Cap. 33. Quis hæc prædicari à catholicis inter catholicos crederet, nisi quæ in collectationibus domesticis sæpè defensa sunt, etiam scripta legerentur? Itanè in omnibus hominibus intelligentiæ caligat obtutus, & à cunctis Ecclesiæ filijs *spiritus scientiæ & pietatis* abscessit, vt non † erubescant ingerere se iudicijs legentium tam inhonesto mendacio? Vir grauis, doctor sapiens, verax magister, redde nobis catholicam definitionem, qua inter initia disputationis tuæ aures nostras mentesque cœpisti. Pronunciaueras fidem Christianam voce Ecclesiastica: *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum,* Iacob. 1. 17.

† Erubescant ingerere suis etiam legentium tam inanes fabulas tam inhonesta mendacia? Vir.

minum, qui inspirat qua bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis : & huius sententiæ soliditate omnia hostilium reliquiarum machinamenta confregeras. Cur professione mutata, quod destruxisti, ædificas : quod tuebaris, impugnas? Cur inuictissimæ veritatis arce deserta, gradatim ad præcipitia Pelagiana decurris? Qui enim definieras, neque sanctarum cogitationum, neque piarum voluntatum, neque bonorum actuum ex nobis esse principia : sed inspiratione Dei, gratiæque eius auxilio bona in nobis cuncta generari, & ad profectum, perfectionemque perduci : paulò pòst cœpisti donis gratiæ liberi arbitrij æquare conatus : vt principia, quæ Deo adsignaueras, posse hominem à semetipso habere monstrares, dicendo : *Quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutem appetitus posset extendi : semper verò à domino indiget adiuuari.* Et iterum dicendo. *Etiam per naturæ bonum quod beneficio creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia : quæ tamen nisi à domino dirigantur, ad consummationem virtutum peruenire non possint.* Et post hæc, vt quosdam præueniri à gratia ostenderes, in quorundam autem præeuntibus meritis causam percipiendæ gratiæ collocares, dixisti quid ex quo pendeat dubitari : id est, *vtrum, quia initium bonæ voluntatis prabuerimus, misereatur nostri Deus : an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium.* Quas duas regulas ne in ambiguo relinqueres, vtramque exemplis vt tibi visum est, idoneis munire curasti : vnam de Pauli & Matthæi coactitia conuersione confirmans : alteram de Zachæi & latronis voluntaria fide roborans, quorum desiderium tam violentum dicis fuisse, vt ad inuadendum regnum cœlorum specialia vocationis monita præuenirent. Deindè progressu disputationis, vt incolumitatem interioris hominis patefacias, ipsum *Adam concepisse quidem, quam non habebat scientiam mali : sed quam acceperat, boni scientiam non amisisse* confirmas. Cumque hoc etiam ex comparatione impiorum probare voluisses, in id vsque prolapsus es, vt proclamares, *cauendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, vt nihil nisi quod malum est, humanæ adscribamus naturæ.* Et ne hanc naturam vllas in præuaricatione Adæ crederemus amisisse virtutes, definisti, tam incolumes esse omnium hominum animas naturaliter, quam fuit primi hominis

mi nis antè peccatum, dicendo: *Dubitari ergò non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta.* Consideratis ergò his definitionibus tuis, non est occultum, quantum ab illius sententiæ sanitate desciueris: in quâ quod tribuendum erat gratiæ, fallaciter prædicando, catholicarum tibi auriu m iudicia conciliare voluisti, quibus de præmissæ professionis fronte securis, facilè sequentia irrepterent, si prima placuissent.

Cap. 34. 4 Aliàs à libero arbitrio, sed sextus magis placet.

Sed hactenus ne in totum videreris à præfixâ regulâ discrepare, ita virtutum meritorumque principia † ad liberum arbitrium à gratiâ transtulisti, vt ipsos bonorum desideriorum voluntarios motus sine auxilio Dei nec proceli patereris posse, nec perfici. Nunc verò remoto longiùs Deo, & à sustentatione hominis separato, tantam libero arbitrio potentiam tribuis, vt non solum amissionem multiplicium facultatum, & totius simul familiæ ac necessitudinum acerbissimum finem constanter æquanimiterque suscipiat: sed ipsius quoque corporis proprij ineffabiles cruciatus proposito nudæ voluntatis euincat. Et vt dubitari hinc disputante te nequeat, sancti Iob constituis exemplum, qui aduersus illam insignem diabolicæ sæuitiæ crudelitatem sine Dei præsidio decertârit: & argumento probare niteris, quod ipse cruentissimus inimicus confessus sit, non domini, sed Iob se virtute superatum, in eo, quod sibi in grauiore conflictu gratiam Dei obstitisse non dixit: quasi vir ille in damnis, atque orbitatibus debuerit supernâ protectione circumtegi, in carnis autem suæ, animæque tormentis non eguerit adiuuari. Si ergò hâc magnitudine animi, quam illata per singulos omnesque artus tot mortium pœna non superat, nihil inter sanctorum palmas memorabilius, nihil inuenitur illustrius: eamque adseris, ex humana tantum virtute subsistere; quid erit laudis ac meriti, quod inter studia quietis ac pacis nequeat arbitrij obtinere libertas, quam in tanti fine certaminis de suis viribus coronasti? Quæro igitur abs te, videaturne tibi vir iste, cum illis quæ legimus supplicijs probaretur, habuisse in se spiritum sanctum? Si habuisse dicis: certum est quia Deus, quem non deseruit, adiuuit. Si autem recessisse ab eo Spiritum sanctum dixeris, propheticus te eiusdem sermo conuincit, *Scio enim quod redemptor meus viuat, & in nouissimo die*

de terra surrecturus sim: Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quod si de incarnatione domini nostri Iesu Christi, ac resurrectione eius, qui est *primitiæ dormientium*, & de spe redemptionis, quæ in ipso reposita est omnibus sanctis, rectè intelligitur prophetatum; manifestè apparet, non discessisse à templo suo gratiam Dei: & feciſſe iam tunc dominum in hoc sancto suo, quod postea in Apostolis & martyribus suis sponsebat esse faciendum, dicens: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodò aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Quid cum idem sanctus ineptis consolatoribus responderet, nonnè in Dei fidebat auxilio, dicens: *Qui derideatur ab amico suo, sicut ego, invocabit dominum, & exaudiet eum?* Aut nesciebat ex illo se habere quod habebat, de quo ait: *Apud ipsum sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam*: & quod dicit. *In cuius manu anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis hominis.* Et rursum: *Expecto*, inquit, *donec veniat immutatio mea: vocabis me, & ego respondebo tibi: Operi manuum tuarum porriges dexteram: Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parcis peccatis meis: Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.* Non ergò deseruerat dominus, quem curabat: neque opem suam abstulerat ab eo, cui purificatoria remedia, quibus clariùs niteſceret, admonebat.

Matt. 10. 19. & 20.

Iob 12. 4.
Ibid. 3.
Ibid. 10.
Iob 14. 14. & 15.

Cap. 38.

Ad hanc passionum tolerantiam, in qua hic sanctus emicuit, etiam ille erat præparatus à domino, qui dicebat: *Nam etsi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et illud: *Salus iustorum à domino, & protector eorum es in tempore tribulationis.* Ad hanc tolerantiam etiam ille eratparatus à domino, qui & credere in Christum, & pro Christo pati, referebat ad Christum dicens: *Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum, per dominum nostrum Iesum Christum: per quem & accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*

Psal. 22. 4.
Psal. 36. 39.
Rom. 5. 1 & seq.

stris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et iterum: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, existimati sumus vt oues occisionis. Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos.* Huius tolerantiæ fortitudo vndè descenderet, beatus Petrus, & in illo omnis Ecclesia veritatis ipsius voce discebat, dicentis: *Ecce Satbanas postulauit vt cerneret vos velut triticum: ego autem rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua.* Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adiuuari, ad quem quotidiè corda vniuersorum fidelium clamant: *Ne inferas nos in tentationem, sed libera nos à malo: quoniam custodit Deus animas sanctorum suorum, de manu peccatorum liberabit eos.* Quod autem dicis, *gratiam Dei ab Iob ex eo intelligendam non penitus recessisse, quod tentatori eius tantam Deum tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem*: Nonnè rectiùs veraciusque loquereris, si vbi dixisti. *Quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem*: diceres potius, quantam & illi resistendi nouerat se dedisse virtutem? Vnius enim verbi correctio totam istam gloriam, quam humanis viribus adsignare voluisti, sobrietate aliqua temperasset, vt illa mirabilis in tanta adflictione patientia, & Dei adiutorio & libero hominis adscriberetur arbitrio. Sed veritus es naturæ humanæ minuere laudem, si ei profitereris à Deo datam esse virtutem. Itaque conflictus illius atque victoriæ non vis credi cooperatorem Deum fuisse, sed tantummodò spectatorem: vt cui persuadere poteris, per naturalem arbitrij facultatem tam arduum certamen euictum, dubitare non audeat in leuioribus causis multò liberiores esse bonæ voluntatis effectus: atque ita in illius damnatæ sententiæ foueam cadat, qua dicitur, *ideò nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possemus implere per gratiam*, tanquam, & si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possemus etiam sine illa implere diuina mandata. Quod quia catholici Pontifices dignum anathemate censuerunt: vtendum nobis est eo, quo vsi sunt testimonio, dicentes: *De fructibus enim malorum dominus loquebatur, vbi non ait: Sine me difficilius potestis.*

Rom. 8. 35. 36. & 37.

Psal. 43. 22.

Luc. 22. 31. & 32.

Cribrare.

Matth. 6. 13.

Psal. 96. 10.

Milevit. Conc. Can. 6.

Ioan. 15. 5.

potestis facere : sed ait : Sine me nihil potestis facere. Cap. 36.

His autem definitionibus tuis, quas credidisti idoneâ authoritate munitas, tanquam de consensu legentium securus adiungis, *solere interdum Deum ad fidem nostram probandam*
Matt. 8. 5. & seq. *plus offerre quam sufficit, vt quàm infirma sit credentium fides, possit agnosci*, & hoc exemplo illius Centurionis ostendis, qui cum pueri sui posceret curationem, dominumque se ad domum eius iturum esse promitteret, respondit : *Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed dic tantum verbo, & sanabitur puer meus*. In quo eum dominus tali admiratione laudauerit, vt pronuntiaret, *non se inuenisse tantam fidem in Israel*. At exigua conclusione penè totum tu Pelagianum dogma confirmas dicendo : *Nullius enim laudis esset ac meriti si id in eo Christus, quod ipse donauerat, præmiasset*. Falsò ergò
Sap. 8. 21 1. Cor. 7. 7. scriptum est : *Quia nemo potest esse continens, nisi Deus det.* Falsò prædicauit Apostolus, cùm de eadem virtute loqueretur, dicens : *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum? Sed vnusquisque proprium habet donum à Deo : alius sic, alius autem sic.* Falsò docuit & ille qui dixit : *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, & dabitur ei.* Nec secundum veritatem dictum est : *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum.* Et : *Nemo potest accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cœlo.* An dicendum est, Omnes quidem virtutes inter Dei dona numerandas : sed in illis hominem, quas de proprio habuerit, esse laudabilem ? & ibi esse merita, vbi Dei dona non fuerint ? Igitur secundum regulam tuam, *quibus donatum est, vt non solum crederent in Christum, sed etiam vt paterentur pro ipso*, & laudem & meritum perdiderunt : nec habent veram gloriam, qui non in se, sed *in domino gloriantur*. Sed rectiùs audimus prophetam dicentem : *Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachij sui, & à domino discedit cor eius.* Et illum qui ait : *Diligam te domine virtus mea.* Et : *In domino laudabitur anima mea.* Et : *Fortitudo mea, & laudatio mea dominus* : vt manifestissimè nouerimus nec laudem eos vllam habere nec meritum, in quibus non inueniuntur, quæ nisi dominus dederit non habentur. Sic autem putasti de testimonio laudatæ fidei præiudicium donis gratiæ posse generari : quasi fides, vbi ostenderetur laudata, non doce-

Operabona non carent merito & laude per hoc quod sint dona Dei.

Iacob 1. 5. *Ibid.* 17. Ioan. 3. 27. Ephes. 2. 29. Hier. 17. 5. Psalm. 17. 2. Psalm. 33. 3. Psalm. 117. 14.

retur esse donata. Laudat Apostolus Romanorum fidem, & pro hoc bono agit gratias Deo, dicens: *Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra adnuntiatur in vniuerso mundo.* Rom. 1. 8. Ad Corinthios quoque simili scribit affectu dicens: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia.* 1. Cor. 1. 4. & 4. Nunquid agendo gratias Deo, credentibus sustulit laudem? aut laudando credentes, meriti negauit autorem? De Ephesiorum etiam fide quid sentiat, audiamus: *Propterea,* inquit, *& ego audiens fidem vestram, quæ est in domino Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus, domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri.* Ephes. 1. 15. & 16. Habebant ergò isti fidem, habebant & opera charitatis, quæ nec laude poterant carere, nec merito: sed pro his virtutibus Apostolus gratias Deo agere non cessat, sciens *à patre luminum* hæc dona venisse: à quo se etiam petere protestatur, vt quibus dedit fidem, quæ per dilectionem operatur, det spiritum sapientiæ & intellectus: vt indè se Ephesij nouerint accepisse quod habebant, à quo discunt & sperare quod non habent. Pro Philippensibus quoque similes Deo gratias agit, & meritum eorum laudemque non supprimit, dicens: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in Euangelio, à prima die vsque nunc, confidens hoc ipsum quia cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.* Iacob. 1. 17. Philip. 1. 3. 4. 5. 6. Cuius humanæ laudis ac meriti non hic causa suspensa est? quid virtutis ac pietatis exceptum est, quod non ex gratiæ fonte profluxerit, vbi ab initio vsque ad finem & inchoatio, & perfectio boni operis domino reputatur: cui canitur de sanctis suis: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Psal. 88. 17. 18. Considerandum sanè est in hac sententia tua, quantum adiuues eos qui dicunt, *Gratiam Dei secundum merita nostra dari:* quos vt catholicæ fidei defenderis vmbraculo, profanæ opinionis esse profiteris, dicens:

Nemo

Nemo autem existimet hæc à nobis ob hoc fuisse prolata, vt nitamur adstruere, summam salutis in nostra fidei ditione consistere, secundum quorundam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam DEI *dispensari secundum meritum vniuscuiusque definiunt.*

Sed miror valdè quomodò non vides, aut ab alijs existimas non videri, quod teipsum tuo ore condemnas. Dicendo enim quod Centurio, cuius fides omni voce laudata est, *nullius laudis esset ac meriti, si id in eo* DEUS *quod ipse donauerat, præstitisset*: definisti Centurionem illum non donatam fidem habuisse, sed propriam, ac perindè nihil eius principijs collatum fuisse per gratiam: in eadem autem fide causam fuisse & laudis & meriti, quorum neutrum haberet, si id, cui & laus debetur, & meritum, dominus contulisset. Fruſtrà ergò vt inuidiam damnati erroris euadas, *summam salutis* negas *in fidei nostræ ditione consistere*: cum omninò salus nisi ex fide esse non possit. *Iustus enim ex fide viuit.* Quoniam veritas dicit: *Amen amen dico vobis, quoniam qui audit verbum meum, & credit in eum qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transibit de morte ad vitam.* Et iterum: *Hæc est voluntas patris mei, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et iterum: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum* DEUM, *& quem misisti Iesum Christum.* Cùm vtique huiè fidei, quam ideò meritis & laudibus honorasti, quia mauis eam inter liberi arbitrij bona, quam inter Dei dona numerari, æternam beatamque vitam constet esse partam: quomodò hoc vulnus declinabis, quo te ipsum configis, pronuntiando eos profanos, *qui gratiam dispensari secundum merita humana definiant*: & asserendo, quod nec laudem constet habere, nec meritum eos qui ex dono gratiæ sint fideles? Quoquouersum ergò te conferas, à temetipso & vincîris, & vinceris. Si enim gratiam merita non præcedunt, & fides non potest esse sine meritis: fides gratiam non præcedit, & omni modo ex gratia habetur, quicquid illud est, ex quo meritum nascitur, quod antè gratiam non habetur.

Rom. 1. 17. Abac. 2. 4. Ioan. 5. 24. Ioan. 6. 40. Ioan. 17. 3.

Vt igitur definitionum tuarum absurditas non sibi repugnare videatur, inconuenientia miscere conaris, & vnitatem Cap. 38.

membrorum corporis Christi in duobus generibus infidelium noua præsumptione constituis: in vno scilicet ad quod pertineat illud, quod inter principia dixisti. *Non solum actum, sed etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui & incipit qua bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis.* In alio autem cui congruat regula ista, quâ dicis, *Centurionem nec laudem vllam habiturum esse, nec meritum, si id in eo dominus, quod ipse donauerat, præstitisset.* Et licet totum disputationis tuæ textum ad has duas formulas, quæ nullo modo conformes possint esse, produxeris, nunc tamen distinctius, atque expressius quid volueris firmare, pronuncias, dicens.

Per hæc igitur exempla, quæ de Euangeliis protulimus monumentis, euidentissimè poterimus aduertere, diuersis atque innumeris modis, & inscrutabilibus viis, Deum salutem humani generis procurare: & quorundam quidem volentium ac sitientium cursum ad maiorem incitare flagrantiam: quosdam verò etiam nolentes inuitosq; compellere. Et nunc quidem, vt impleantur ea, quæ vtiliter à nobis desiderata conspexerit adiuuare: nunc verò etiam ipsius sancti desiderij inspirare principia, vel initium boni operis, vel perseuerantiam condonare. Indè est quod orantes, non solum protectorem ac saluatorem, sed etiam adiutorem ac susceptorem dominum proclamamus. In eo enim, quod prior aduocat, & ignorantes nos, atque inuitos attrahat ad salutem: protector atque saluator noster est. In eo autem, quod adnitentibus nobis opem ferre, refugientesq; suscipere ac munire consueuit, susceptor atque refugium nominatur.

Hac ergò discretione præscripta erit, vt dicimus, in vna Ecclesia ista diuersitas, vt dominus noster Iesus Christus (de quo dictum est. *Et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et de quo dictum est: *Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oportet saluos fieri*) non omnium Christianorum, sed quorundam *saluator*, quorundam verò *susceptor* sit: vt hi tantum saluati, quos ad percipiendam gratiam Deus auersos, reluctantesque compulerit: hi autem suscepti sint, qui vocationem spontanei cursus feruore præuenerint: Et illis quidem conferatur gratuitum donum, illis verò debitum præmium rependatur. Ibi nullius sint laudis ac meriti, qui nihil boni habeant nisi quod acceperint: isti autem & gloriâ abundent, & re-

Matt. 1. 21. Luc. 1. 31. Act. 4. 12.

& remuneratione diteſcant, qui propria facultate deuoti, quod non acceperant obtulerunt: atque ita Ieſus Chriſtus alios liberos inuenerit, alios liberârit: & non ad omnes pertineat quod ait, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*: ſi ſunt, à quibus cum eos non elegiſſet, electus eſt. Non ad omnes pertineat. *Nemo venit ad me niſi datum fuerit ei à patre meo*: ſi ſunt, qui non dante patre ad filium venire potuerunt. Non ad omnes pertineat, quod ait Euangeliſta: *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ſi ſunt, qui aut ita in hunc mundum venerunt vt non eſſent tenebræ: aut ita lux eſſe cœperunt, vt illuminatione veri luminis non egerent. Nec de omnibus adoptatis accipiendum ſit, quod ait Apoſtolus, *Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ*, ſi quidem ipſi rumpunt vincula ſua, & iugo veteris captiuitatis excuſſo, à dominatione diaboli, in regnum Dei libera alacritate tranſcurrunt. Hæc ſi poſſunt intra vnam Eccleſiam prædicari, vt neutra opinio alteri cedat, ſed inuicem ſibi vtraque ſuccumbat: poteſt fieri, vt recipiamus quod Pelagiani tenent, & Pelagiani recipiant quod tenemus. Sed hoc modo non tam illi catholici, quam nos erimus (quod abſit) Pelagiani. Contrariorum enim permixtio meliorum defectio eſt, quia cum virtus vitium recipit, non à vitio, ſed à virtute diſceditur. Nullo igitur modo Chriſtiana corda ſuſcipiunt, quod perſuadere conatus es. Eos qui gratia Dei ſunt quod ſunt, nec laudem vllam habere, nec meritum: & ab eo, *qui venit ſaluare quod perierat*, partem Chriſtianorum ſaluatam, partem verò eſſe ſuſceptam: quoniam diſcipuli Euangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ, *non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*, inſaniam ſuperbæ elationis horreſcunt. In toto quippè Eccleſiæ corpore, atque in ſingulis membris, quod mortuum erat, viuificatum eſt: quod captiuum fuerat, redemptum eſt: quod cæcatum erat, illuminatum eſt: quod perierat, quæſitum eſt: quod errauerat, inuentum eſt. Nec ſecundum nouam partitionem aliorum *ſaluator*, aliorum *ſuſceptor*: ſed omnium vſquequaque fidelium & *ſaluator*, & *ſuſceptor* eſt Chriſtus. Nec merito ac laude priuantur, qui vndè æterna bona mercantur accipiunt: tantoque beatiores fiunt, quantò pauciora habuerint, quæ ipſorum ſunt: &

Ioan. 15. 16.
Ioan. 6. 65.
Ioan. 1. 9
Coloſſ. 1. 13.

quantò

Liberum arbitrium non auferetur per gratiam.

quantò plura, quæ Dei sunt. Non enim conturbat nos superbientium inepta querimonia, quia liberum arbitrium causantur auferri, si & principia, & profectus, & perseuerantia in bonis vsque in finem Dei dona esse dicantur: quoniam opitulationis diuinæ gratiæ, stabilimenta sunt voluntatis humanæ. Volentes oramus: & tamen *misit Deus spiritum in corda nostra clamantem, Abba pater.* Volentes loquimur: & tamen si pium est quod loquimur, *non sumus nos loquentes, sed spiritus patris nostri, qui loquitur in nobis.* Volentes operamur salutem nostram, & tamen ipsum *velle atque operari Deus est, qui operatur in nobis.* Volentes diligimus Deum, & proximum: & tamen *charitas ex Deo est, diffusa in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hoc de fide, hoc de tolerantia passionum, hoc de pudicitia coniugali, hoc de continenti & virginali, omnibusque virtutibus sine exceptione profitemur: quod nisi donata essent nobis, non inuenirentur in nobis. Et quod liberum arbitrium, naturaliter homini inditum, maneat in natura, sed qualitate & conditione mutata per *mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum,* qui ipsam voluntatem ab eo quod peruersè volebat, auertit, & in id quod ei bonum esset velle conuertit: vt delectatione affecta, fide mundata, spe erecta, charitate accensa liberalem susciperet seruitutem, & seruilem amitteret libertatem.

Gal. 4. 6. Matt. 10. Marc. 13. 11. Philip. 2. 13. 1. Ioan. 4. 7. Rom. 5. 5.

Cap. 39.

Reseratis igitur definitionibus quas hactenus quædam prætermittendo discussimus, non obscurum, neque ambiguum est, quid de gratia Dei sentiant, qui syncerissimis eius defensoribus obloquuntur: & pacem victricis Ecclesiæ, resumptis de damnatorum schola quæstiunculis, inquietant: quas si, vt audiuimus, retexamus, fiet sermonis nostri immoderata prolixitas: cum de his quæ ipsorum scholæ innotuerunt, facilè pius lector intelligit, ad quæ præcipitia perueniatur hisce callibus, & in istam lutulentorum riuorum cœnosam vliginem, cuius voraginis humor exudet. Necessarium sanè existimo antè conclusionem voluminis, ea quæ ostendimus non congruere catholicæ veritati, breuiter conjunctimque digerere, vt quæ interiectis responsionibus nostris possunt recordationem legentium effugere, fideliùs simul recursa recolantur.

Prima

Primâ ergo definitione dictum est.

Non solùm actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat: & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum: *qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur & consummat in nobis.* Iacob. 1. 17

Quod & nos amplectimur, catholicumque esse confitemur.

Secundâ definitione dictum est.

Adest igitur inseparabiliter nobis divina protectio: tantaque est erga creaturam suam pietas creatoris, vt non solùm comitetur eam sed etiam præcedat iugiter providentia, quam expertus Propheta confitetur; dicens, Deus meus, misericordia eius præveniet me. *Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Psal. 58. 11.

Iam hic à præmissa definitione disceditur, & quod totum gratiæ datum fuerat, ex parte nunc libero arbitrio deputatur.

Tertiâ definitione dictum est.

Nisi quod in his omnibus, & gratia Dei, & libertas nostri declaratur arbitrij, quâ etiam suis interdùm motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper verò à Dño indigeat adiuvari. Nec enim cum voluerit quis, sanitate perfruitur: aut de ægritudinis morbo pro arbitrij sui desiderio liberatur.

Quasi medicus noster non iam etiam hoc donet morbidis, vt veram desiderent sanitatem.

Quartâ definitione dictum est.

Vt autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquàm bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est, dicens: Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Rom. 7. 18.

Quasi Apostolus ex naturali affectu, & non ex gratiæ dono bonam habeat voluntatem, qui profitetur ex Deo sibi esse sufficientiam etiam cogitandi. 2. Cor. 3. 5.

Quintâ definitione dictum est.

Et ita sunt hæc quodammodò indiscretè permixta atque confusa, vt quid ex quo pendeat, inter multos magnâ quæstione volvatur: id est, vtrùm quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Dominus: an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis

tis initium. Multi enim singula hæc credentes, ac iusto amplius asserentes, varijs sibique contrarijs sunt erroribus involuti. Si enim dixerimus, nostrum esse bonæ principium voluntatis, quid fuit in persecutore Paulo? quid in publicano Matthæo? quorum vnus cruori ac supplicijs innocentum, alius violentijs ac rapinis publicis incubans, trahitur ad salutem. Sin verò gratia semper inspirari bona voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide? quid de illius in cruce latronis pietate dicemus? qui desiderio suo vim quandam regnis cœlestibus inferentes specialia vocationis monita præverterunt.

In errore esse dicitur & is, qui ex gratiâ nasci bonam asserit voluntatem: & is, qui dicit gratiam ex bona voluntate pendere: & tamen vtraque sententia suscipienda decernitur, dùm vnius in Paulo & Mathæo, alterius in Zachæo & latrone forma præfigitur.

Sextâ definitione dictum est.

Hæc ergò duo, id est, gratia vel liberum arbitrium, sibi quidem invicem videntur aduersa, sed vtraque concordant, & vtrumque nos pariter debere suscipere pietatis ratione collegimus: ne vnum horum homini subtrahentes, Ecclesiasticæ fidei regulam excessisse videamur.

Quasi ita vtrumque recipiendum sit, vt in aliis hominibus voluntas gratiam, in aliis gratia præueniat voluntatem: & non ita vt in omnibus voluntas gratiam subsequatur. Quoniam secundùm ipsos, si aufertur liberum arbitrium cùm à gratia prævenitur, aufertur gratia cùm à libero arbitrio præveaitur.

Septimâ definitione dictum est:

Concepit ergò Adam post prævaricationem, quam non habuerat, scientiam mali; boni vero, quam acceperat, scientiam non amisit.

Cùm vtrumque sit falsum, quia & à quanto malo Adam cavere deberet, Deo monente prædidicit: & in quanto bono esset constitutus, dùm diabolo credidit, oblitus est. Sicut autem pessima scientia mali est, malum esse: ita pessima ignorantia boni est, bonum non esse.

Octavâ definitione dictum est.

Vnde cavendum nobis est, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, vt nihil nisi id quod malum est, humanæ adscribamus naturæ.

quasi

Quasi natura ante gratiam non sit in damnatione, non sit in cæcitate, non sit in vulnere: aut non *gratis iustificati* sint, quorum inde sunt merita, vnde iustitia.

Nonâ definitione dictum est.

Dubitari ergò non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta: Sed nisi hac opitulatione Dei fue-
1. Cor. 3. 7. *rint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.*

Quasi de spiritualibus nihil Adam prævaricando perdiderit, & virtus non vt habeatur danda, sed vt facilius perfectionem apprehendat, hortanda sit.

Decimâ definitione dictum est.

Quod etiam in Iob probatissimo athleta suo, cum eum diabolus expetisset ad singulare certamen, diuinam legimus prouidisse iustitiam. Si enim contra inimicum non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, & absque vlla virtute patientiæ suæ diuina tantum opitulatione suffultus, multiplices illas ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles, & exitia pertulisset: quomodò non
Iob. 1. 9. 10. & 11. *illam calumniosam diabolus, quam prius emiserat vocem, aduersus eum iustius iterasset.* Nunquid Iob gratis colet Deum? nonne tu vallasti eum ac domum eius & vniversam substantiam eius per circuitum? Sed aufer manum tuam, *hoc est, sine eum suis mecum viribus decertare,* nisi in faciem tuam benedixerit tibi. *Sed cùm nullam huiuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum ausit iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur: Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tribuit potestatem, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem.*

Si ipse Deus scivit tantummodò quod Iob posset, non etiã donavit vt posset: testis patientiæ eius, non vt auxiliator fuit. Et in quo erit necessarium gratiæ adiutorium, si humanis solùm viribus tanta illa est parta victoria?

Vndecimâ definitione dictum est de Centurionis fide.

Miratur enim Dominus atque collaudat, cunctisque illis, qui ex Is-
Mat. 8. 10. *raelis populo crediderant, præfert, dicens:* Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. *Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Dominus, quod ipse donauerat præstitisset.*

Impius sensus, qui putat beatiorem esse hominem, cui Deus nihil dederit, quàm cui vniversa contulerit.

Duodecimâ definitione dictum est.

Inde est, quod orantes non solùm protectorem, sed etiam susceptorem Dominum proclamamus. In eo enim quod prior advocat, & ignorantes nos, atque invitos attrahit ad salutem, protector atque salvator est: In eo autem, quod adiutentibus nobis opem ferre, refugientesque suscipere, ac munire consuevit, susceptor, ac refugium nominatur.

Huic sententiæ is potest præbere consensum, qui se à Christo non vult esse salvatum.

Cap. 40. HIs itaque definitionibus hoc docetur, hoc scribitur, hoc editis disputationibus prædicatur: quod Adam peccante, anima eius læsa non fuerit, sanumque in eo manserit, vnde peccavit. Si quidem *scientiam boni, quam acceperat, non amiserit*, nec potuerint posteri eius id perdere, cuius damnum nec ille pertulerit. *Inesse* autem *omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta*, vt possit qui voluerit, iudicio naturali Dei gratiam prævenire, & adiutorium eius, quo faciliùs ad perfectionem perveniat promereri: quia *nullius sit laudis ac meriti* qui donatis bonis, non propriis adornatur. *Cavendum* quoque *esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referantur*, quasi per se nihil boni possit agere ipsa humana natura: cùm tanta sit virium eius integritas, vt contra ipsum diabolum, sævitiamque eius vsque ad extrema supplicia, sine auxilio Dei valeat dimicare. Hanc autem possibilitatem in omnibus esse hominibus naturalem, sed non omnes ingeneratis sibi vti velle virtutibus: tantam autem circa vniversos homines bonitatem esse creatoris, vt alij ab eo, quia sponte veniant, suscipiantur laudati: alij quia resistunt, attrahantur inviti: atque ideò volentium susceptor, nolentium verò salvator sit. Et cùm pars Ecclesiæ ex gratia, pars autem ex libero iustificetur arbitrio, glorioſiores sint, quos natura provexerit, quam quos gratia liberârit: quia ad omne opus bonum tàm libera sit voluntas in Adæ posteris, quam in Adam fuit ante peccatum.

Cap. 41. EN cuius dogmatis sunt magistri, qui vt catholicarum mẽtium castitatem gratiæ defensoribus calumniando corrũpant, præcipuum nostro tempore in doctrina ecclesiastica virum rabido ore disserpunt, creduntq; se omnia authoritatum numina posse convellere, si hanc pastoralis speculæ validissimam turrim crebrâ Pelagiani arietis illisione pulsaverint:

Firma-

Firmum quidem *fundamentum Dei ſtat*, ſed congruenter iſti nõ deſunt partibus ſuis. Dignum quippè eſt, vt quorum ſequuntur ſententiam, imitentur inſaniam: Nec enim alia poſſunt dicere, quam quæ damnatorum querelis, & procaciſſimis Iuliani ſunt vulgata conuitiis. Paria ſunt vnius ſeminis germina: & quod latebat in radicibus, manifeſtatur in fructibus. Non ergò cum iſtis novâ acie dimicandum eſt: nec quaſi contra ignotos hoſtes ſpecialia ſunt ineunda certamina: Tunc iſtorũ machinæ fractæ ſunt, tunc in ſuperbiæ ſociis ac principibus corruerunt, quandò beatę memoriæ Innocentius nefandi erroris capita apoſtolico mucrone percuſſit: quando Pelagium ad proferendam in ſe ſuoſque ſententiam, Palæſtinorum Epiſcoporum Synodus coarctavit: quandò Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit antiſtitum: quandò ſanctæ memoriæ Papa Bonifacius piiſſimorum Imperatorum catholicâ devotione gaudebat: & contra inimicos gratiæ Dei non ſolùm apoſtolicis, ſed etiam regiis vtebatur edictis. Et quandò idem, cùm eſſet doctiſſimus, adverſus libros tamen Pelagianorum beati Auguſtini Epiſcopi reſponſa poſcebat. Vnde & venerabilis memoriæ Pontifex Celeſtinus cui ad catholicę Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt: ſciens damnatis non examen iudicij, ſed ſolùm pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum: Cæleſtium, quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus iuſſit extrudi: adeo & prœceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta Synodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat: vt quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquàm admitteret retractari. Nec verò ſegniore curâ ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quandò quoſdam inimicos gratiæ ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, * dùm Romanam inſulam ſtudet ſervare catholicam, fecit, etiam barbaram Chriſtianam. Per hunc virum etiam Orientales Eccleſiæ geminâ peſte purgatæ ſunt, quandò Cyrillo Alexandrinæ vrbis antiſtiti, glorioſiſſimo fidei catholicæ defenſori, ad execrandam Neſtorianam impietatem, Apoſtolico auxiliatus eſt gladio: quo etiam Pelagiani, dùm cognatis confœderantur erroribus, iterùm proſternerentur. Per hunc virum intra gallias iſtis ipſis qui ſanctæ memoriæ Auguſtini

Hæreſis Pelagiana à quibus reprobata.

* *Scilicet Palladio.*

Cap. 42.

ſtini ſcripta reprehendunt, maleloquentiæ eſt adempta libertas, quandò conſultantium actione ſuſceptâ, & librorum, qui errantibus diſplicebant, pietate laudata, quid oporteret de eorum authoritate ſentiri, ſancto manifeſtavit eloquio: evidenter pronuncians, quantùm ſibi præſumptionis iſtius novitas diſpliceret, quâ auderent quidam adverſus antiquos magiſtros inſolenter inſurgere, & indiſciplinata calumnia prædicationi veritatis obſtrepere. *Auguſtinum*, inquiens, *ſanctæ recordationis virum, pro vitæ ſuæ, atque pro meritis, in noſtrâ ſemper communione habuimus: nec vnquàm hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerant, vtpote qui vbique cunctis & amori fuerit, & honori.* Contra iſtam clariſſimæ laudationis tubam, contra iſtam ſacratiſſimi teſtimonij dignitatem audet quiſquã malignæ interpretationis murmur emittere? & perſpicuæ, ſynceriſſimæque ſententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? vt ſcilicet quia in Epiſtola Papæ librorum pro quibus actum eſt, non expreſſus eſt titulus, hinc eos appareat non probatos, & iſtã in ſanctum Auguſtinum laudationem pro anteriorum ſcriptorum meritis fuiſſe collatam. Maneat, planè maneat iſta conditio, vt horum librorum novitas repudiata videatur, ſi in eadem cauſa eiuſdem viri diſſentit antiquitas: & vt invtile aut incongruum iudicetur, quod ab his quæ contra Pelagianos condidit, diſſonans invenitur. Vt itaque omittamus ea volumina, in quibus ab exordio Epiſcopatus ſui multò priùs, quàm impugnatores gratiæ exurgerent pro gratia diſputavit: legantur tres ad Marcellinum ipſius libri, ad ſanctum Paulinum Nolanum Epiſcopum * Epiſtola retractetur: Ad beatiſſimum quoque Apoſtolicæ Sedis tunc Presbyterum Xiſtum nunc verò Pontificem, emiſſæ paginæ * recurrantur: Ad ſanctum [a] Pinianum, ad Valerium [b] comitem ad ſervos Chriſti Timaſium & Iacobum, [c] diſtinctim edita volumina revolvantur: ſex libri priores contra Iulianũ, vnus ad ſanctum Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum de geſtis Palæſtinis, alius ad Paulum & Eutropium ſacerdotes, contra Pelagij & Cœleſtij [d] quæſtiones, & ad beatæ memoriæ Papam Bonifacium libri quatuor [e] explicentur. Ac ſic in omni-

Cæleſtini Papæ iudicium de Auguſtino.

Cap 43.

Loquitur de lib. de prad. ſan. & de bon. perſev. & de bapt. parvulorũ, ſive de pec. merit. & remiſſion.

* *Epiſt. eſt.* 106.

* *requirantur*

a *De gratia Chriſti & peccat. orig.*

b *De nupt. & concup. lib.*

c *De nat. & grat*

d *De perfectione iuſtitiæ.*

e *Qui ſunt contra duas epi. Pelag.*

omnibus operibus, multisque quæ enumerare longum est, idē doctrinæ spiritus, eadem prædicationis forma præcessit. Agnoscant calumniatores, superfluo se obiicere, quod his libris non speciale, neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim Sedes, quod à prægnitis sibi non discrepat, cum prægnitis probat: & quod iudicio iungit, laude non dividit. Qui ergò hos proximè libros refutant, anterioribus acquiescant, & iis quæ pro gratia christiana priùs sunt scripta, consentiant. Sed non faciunt: sciunt enim omnia Pelagiana sibi esse contraria, & nihil sibi posse competere ad consequentium resolutionem, si confiteantur in præcedentibus consistere veritatem. Igitur huiusmodi hominum pravitati non tàm Cap. 44. disputationū studio, quàm authoritatum privilegio est resistendum: vt de prostrati dudùm dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere. Quia notum est ita se falsitatis istius habere versutias, vt si eis liceat prætentæ correctionis imagine aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, totam se possit in exigua sui parte reparare. Vbi enim non aliud habet summa quàm portio, non est devotionis dedisse propè totum: sed fraudis retinuisse vel minimum. Quod ne Hypocritarum obtineatur insidiis, confidimus Domini protectione præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Cælestino, operetur & in Xisto: & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata pastori, vt sicut illi lupos abegêre manifestos: ita hic depellat Epist. 105. occultos. Illo auribus suis doctissimi senis insonante sermo- ad Sixtum. ne, quo collaborantem hortatus est, dicens: *Sunt enim quidam iustissimè damnati, qui impietates adhuc liberius defendendas putant: & sunt qui occultius penetrant domos: & quod in aperto clamare tam metuunt, in secreto seminare non quiescunt. Sunt autem qui omnino siluerunt magno timore compressi: sed adhuc corde retinentes, quod ore iam proferre non audent: qui tamen fratribus esse possunt exemplo ipsius dogmatis defensionis notissimi. Proinde alij severius sunt coercendi, alij vigilantius investigandi: alij tractandi quidem lenius: sed non segnius sunt docendi: vt si non timentur, ne perdant, non tamen negligantur ne pereant.*

PERO-

PERORATIO.

SVfficienter, vt arbitror, demonstratum est reprehensores Sancti Augustini & vana obiicere, & recta impugnare, & prava defendere, peremptorumque armis intestinum bellum moventes, dictis divinis, atque humanis constitutionibus rebellare. Quorum tamen dùm adhuc non sunt à fraternâ societate diuisi, toleranda magis est intentio quàm desperanda correctio: vt donec Dominus per Ecclesiæ principes, & legitimos iudiciorum suorum ministros, hæc quæ per paucorum superbiam, & quorundam imperitiam sunt turbata, componat: nobis Deo adiuvante sit studium quieta modestaque patientia odiis dilectionem reddere; & ineptorum vitare conflictus, veritatem non deserere, nec cum falsitate certare, semperque à Deo petere, vt in omnibus cogitationibus in omnibus voluntatibus, in omnibus sermonibus, atque actionibus nostris, ipse teneat primatum: qui dixit se esse principium. *Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen* Apoc. 1. 8. Rom. 11. 36.

FINIS.

DIVI

DIVI PROSPERI PRÆFATIO

In Librum de ingratis.

VNde voluntatis sanctæ subsistat origo
Vnde animis pietas insit, & vnde fides:
Aduersum INGRATOS, *falsa & virtute superbos,*
Centenis decies versibus excolui.
Quos si tranquillâ studeas cognoscere curâ,
Tutus ab aduerso turbine lector eris:
Nec libertate arbitrij rapiêre rebellis,
Vlla nec audebis dona negare Dei,
Sed bona quæ tibi sunt, operante fatebere Christo,
Non esse ex merito sumpta, sed ad meritum.

ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ
HOC EST.

DE INGRATIS

Contra Pelagianos, & eorum assecias.

D. PROSPERI

LIBER.

PROEMIVM.

COngenitæ in Christo gentis mihi castus ab alto
Insinuatus amor proprias excedere vires
Me iubet, atq; pias accendere carmine mentes:
Nepost confectum celebris victoria bellum,
Securos animos incautâ pace resolvat:
Ceu metus elisoiam nullus ab hoste superstit,

Nec caput attriti viroſum palpitet anguis.
Vnde igitur commenta mali ſapita reſurgant,
Quemve ipſo de fine dolum nova promat origo,
Da fari Pater omnipotens, artemque malignam
Pandere: proſtratus quâ rurſum nititur error.

CAPVT I.

Dogma Pelagij proponitur.

DOgma quod antiqui ſatiatum felle draconis,
Peſtifero vomuit coluber ſermone Britannus:
Hâc primos homines cretos ditione ferebat,
Vt ſeu præſcriptum mandatum traſgrederentur,
Sive inculpati ſervatâ lege manerent,
Mortem iſtam prorſus, quâ carnem vita relinquit,
Oppeterent: quæ non peccato parta, ſed ipſo
Inſtituente Deo, comes eſſet fixa creatis.
Progenitos igitur nullum traxiſſe reatum
De patribus: neque diſſimiles nunc naſcier illo
Ortu primorum, qui libertate malè vſi
Peccârunt: formâ nocui, non ſemine proli.
Poſſe autem inſontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, & menti ingenitum ſervare decorem:
Arbitrio quoniam ſubſiſtat recta volentis
Naturalis honos, lexque inſita cordibus intùs
Hoc moneat, quod ſcripta foris: cui gratia Chriſti
Addita, perfugium lapſis generaliter in ſe
Condiderit, ſacro ſi vellent fonte novari:
Vt ſponte attractum veniâ ſolvente reatum,
Sponte ſua in vires proprias natura rediret:
Quoque per errores eſſet ſpoliata vigore,
Hunc ſervare ſemel poſſet purgata receptum.
Tàm dives verò hoc donum baptiſmatis eſſet,
Et multa homini conferri fœdere in iſto,
Vt parvis, etiam vitioque carentibus omni
Congruat: vt qui ſunt geniti benè, ſint meliores:
Naturæque bonum adiecto illuſtretur honore.
Nullum autem excunctis exortem muneris huius,
Iudicio genitum eſſe Dei: ſed quemque mereri

Li-

Libertate suâ, vt capiat promissa vocantis:
Quæ sint aversis indebita, debita rectis.

CAPVT II.

Summâ curâ Pelagij doctrinam fuisse reiectam, ratione & authoritate à Sede Apostolica, Conciliis, & Patribus.

TAlia cùm demens latè diffunderet error,
Commentisque rudes traheret lethalibus aures,
Adfuit exhortante Deo provisa per orbem
Sanctorum pia cura Patrum, non dispare motu
Conficiens diros iaculis cœlestibus hostes.
Hisdem namque simul decretis spiritus vnus
Intonuit: Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri: quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
Religione tenet. Non segnior inde Orientis *Synodus Palæstina*
Rectorum cura emicuit: captumque nefandi
Dogmatis authorem constrinxit lege benignâ
Commentum damnare suum, nisi corpore Christi
Abiungi, & sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiumque malos toleraſſe videtur
Iudicium: sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum namque est, divino & munere cautum,
Vt licet instantem declinans bestia pœnam,
Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem;
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore. *Hieronym.*
Tunc etiam Bethlei præclari nominis hospes,
Hebræo simul & Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique Magister
Hieronymus, libris valdè excellentibus hostem
Dissecuit: noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.
Quid loquar, & curam magna quam gessit in vrbe
Constantinopoli, docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiquâ Legatos hæreticorum. *Atticus.*
Confutando fide? De quâ tunc impia corda

Quàm vis se obductâ tegerent velamine formâ
Iudicij, & tacitæ tulerant tormenta repulsæ.
Ephesus. Prætereo quanto fuerit benè mota tumultu
Clara Ephesus, non passa suis consistere tectis
Sicilia. Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis:
Quâque fide tellus etiam Trinacria fervens,
Agmen vipereum propriis exegerit oris.
Africa. Tv causam fidei flagrantiùs Africa nostræ
Exequeris: tecumque suum iungente vigorem
Iuris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis vrbibus almi
Pontifices, geminque senum celeberrima cœtu,
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.
Nec sola est illic synodorum exerta potestas,
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent: discussæ artes, viruleque retectum est
Hæretici sensus: nullumque omninò relictum,
Docta fides quod non dissolveret argumentum.
Condita sunt & scripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxére vndante meatu,
Et ter centenis procerum sunt edita linguis:
Sic moderante suam legem bonitate severâ,
Vt quidamnato vellent de errore reverti,
al. qui. Acciperent pacem, pulsis* quæ prava tenerent.
An alium in finem posset procedere sanctum
Aurelius Augustinus. Consilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat? quem Christi gratia cornu
Vberiore rigans, nostro lumen dedit ævo.
Accensum vero de lumine: nam cibus illi.
Et vita, & requies, Deus est: omnisque voluptas
Vnus amor Christi est, vnus Christi est honor illi:
Et dùm nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia: & in sancto regnat sapientia templo.

CAP.

CAPVT III.

Augustini inprimis eruditione illam fuisse confutatam.

ISTius ergò inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria maior:
Maius opus, totum præstantiùs imbuit orbem.
Nam quocunque gradum convertit callidus hostis,
Quàque per ambages anceps iter egit opertas,
Huius ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus vllum.
Cùmque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes vllarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore viri fecit Deus: istius ore
Flumina librorum mundum effluxêre per omnem:
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

CAPVT IV.

De defensoribus reliquiarum illius hæresis, rectè volendi affectum dicentibus homini tam naturalem, quam malè volendi.

IAmque procellosæ disiecto turbine noctis,
Heu nova bella, novi partus oriuntur in ipso
Securæ matris gremio: quæ crescere natis
Visa sibi, discors horret consurgere germen,
Degeneres pavitans inimico ex semine fœtus,
In quibus ante diù, specie fallente, benignus
Errârat genitricis amor, cùm obducta decoris
Moribus, externæ stirpis tegeretur origo.
Sic veris subeunt falsa, & discrimine cæco
Fronte placent, quæ fine latent, sic laudis amore,
Virtutum studium corrumpitur: atque abhonesto
Principio, in vitium exitur plerunque tumoris:
Quo quidam inflantur nunc turpiter, atque perempti

Dogmatis extinctas tentant animare fauillas:
Dùm libertatem arbitrij, affectumque volendi
In naturalis motus virtute iacentes,
Tàm bona quemque docent sectari posse suopte
Ingenio, quam posse subest cuique in mala ferri.

CAPVT V.

Illos à Pelagianis non discrepare: & proinde publicam eos pacem cum illis inire debere.

QVod quî confirmas, quînam distabis ab illis,
Qui dicunt nullo peccati vulnere læsum
Naturale bonum, cùmque illo lumine nasci
Nunc omnes homines, quod primis ingeneratum est?
An verò excerpis quædam, quæ parte recisâ
Suscipias, cordisque sinu purgata recondas?
Dic igitur quidnam inde probes, quid verò refutes,
Et de damnatis quid sit quod crimine solvas.
An dextram pacis palàm dare te pudet hosti?
Nec tutum est ulla pulsos ex parte tueri
Simpliciter? Quos non dubitas excludere templo,
Pelle animo: nova te discordia divisit abs te.
Corde foves, quod in ore premis, coniungere amicis
Mentibus, & tecum cupidis componere fœdus;
Lege tuâ iam parce minis & congrue pactis.

CAPVT VI.

Inducit Pelagianos Massilienſibus ſupplicantes, quò in gratiam recipiantur ab eis, vtpotè quorum probent ſententiam.

ECce pererratis terrarum finibus adsunt,
Implenteque tuas lachrymosis questibus aures
Incipiunt: Pulsi mundo, nullaque recepti
Sede vagi, tandem famâ exhortante redimus,
Quæque placent vobis amplectimur: edita nobis
Doctrinæ vestræ est pietas; nihil inficiando
Discutimus: liceat vobiscum iungere sensum.

Im-

Immortalem hominem factum si creditis, & nos
Credimus: inciderit mortem peccando, suamque
Progeniem culpâ & letho devinxerit omnem,
Nullus non egeat sacro baptismate Christi,
Infantesque etiam purgentur fonte lavacri;
Dùm nostri decus arbitrij, lumenque creatum
Principio, quod sponte potest insistere rectis,
Manserit illæsum: nec viribus absit ab illis
Quas condente Deo generaliter omnis in Adam
Suscepit natura hominis, nec suppetat vlli
De non accepta arbitrij virtute querela:
Cùm sine delectu seu lex, seu gratia Christi
Omnem hominem salvare velit: donumq; vocantis
Sic sit propositum, vt nullus non possit ad illud
Libertate suâ, proprioque vigore venire:
Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi.
Hæc si vestra fides, vestra est doctrina, remoris,
Quæ vestro exemplo reiecimus, addite sanctis
Nos gregibus, tandemque * bonis defendite vestros.

* forte bonos.

CAPVT VII.

Quomodò reliquiarum defensores suspensi sint & anxij, auditis eiusmodi querelis.

TAlia submissus si defleat hostis apud te
Quid referes? quo te affectu comperta movebunt?
Consultas, trepidas, nutas, cunctaris & hæres:
Quove anceps se præcipitet sententia, volvis.
Iniustum est animis cognatis non dare pacem:
Et quos vna fides, eadem sapientia nectit,
His communem aditum sanctorum ad sancta negare:
Iungere sed fœdus cum talibus, & violare
Sanctorum decreta Patrum, regumque piorum
Scriptas lege dei leges contemnere, multum
Hostile est, nimiumque audax & pernicioſum.

CAP.

CAPVT. VIII.

Pelagianos rationabiliter posse petere, sic de se iudicari; vt vel in Ecclesiam recipiantur, quodque illi docent, docere permittantur: vel etiam illi una secum foras pellantur.

ERgò Petri solium Romam, & Cathaginis altæ
Concilium repetant humiles: eademque perorent,
Quæ frustrà hîc trepido sunt deplorata fauori.
Sed cùm mille senum prudentia pervigil olim,
Perspectum, notumque tenens, quòd tota nefandæ
Hæreseos summa, exiguâ sub parte tegatur:
De quâ plena mali labes renouetur, & omne
Commenti corpus per singula membra resurgat:
Antiquas adhibentem artes reiecerit hostem,
Limitibusque suis steterit censura salubris:
Nunquid non iustus poterit dolor abdita cordis
Rumpere, & in tales miseros excire querelas,
Vt dicant: Quænam ista Patres in cordibus almis
Iustitia est? quo fine graves, quo fine seueri,
Claudere terrarum nobis per sistitis orbem?
Nòsne sumus toto mundo, quorum vndique vobis
Sit suspecta fides, quos non tolerare queatis?
Si nostra à vestro vel syllaba dissonet ore,
Non verbis iam nos argumentisve tuemur;
Iudicium extemplò petimus. Quod pace manente
Libera multorum vox adstruit, hoc sine bello
Cedatur nobis. Non nostra inuenta fouemus,
Nec primis studiis insistimus. Ecce recisum est
Vnde olim certamen erat: vestrisque reversi
Cedimus, & quæcunque illis placuêre probamus.
Quid supereſt culpæ, quo nos decet vsque repelli?
Si verò hæc etiam, quæ nos pia ducimus, absunt
A veris, & vestra illis benè cura repugnat:
Cur extra inuidiam, pœnamque erroris habentur
Qui damnata docent, & per clara oppida tuti
His magnos implent populos, quæ nos perhibentes
Plectimur, & nullâ finimur consistere terrâ?

Hæc

Hæc in Pontificum sancto deprompta senatu,
Quam curam exigerent, & quæ decreta moverent
Perspicis? An quoniam culpâ securus apertâ
Non premeris synodo, nec te pœnæ metus vrget,
Spernis propositi speciem terroris, & isthæc,
Plena velut vanis simulachris somnia rides?
Ergò gerendorum eventu, & fine remoto,
Hæc tantùm in medium quæ iam sunt gesta vocemus,
Vt facilè ex illis, quale hoc sit discutiatur,
Quod disceptantes dudùm in diversa movemur.

CAPVT. IX.

Adversario ostendit, quam Pelagij doctrinam Patres damnârint.

Inter multa suis quæ tradidit hæresiarches,
Quod cognoscis, ait, naturam quæ bona facta est,
Nullis cum vitiis in quoquam omninò creari,
Nec cuiquam primi culpam nocuisse parentis:
Et quoniam tales nascantur nunc quoque, qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum:
Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
Si velit: vt potuit nullo delinquere primus
Libertate suâ. Nempè hæc damnata fateris
Conciliis, mundique manu. Connectit & illud.
Idem auctor, quòd lex ita sanctos miserit olim
Cœlorum in regnum, sicut nunc gratia mittit.
Hoc quoque iudicio sancto scis esse peremptum.
Obiectum est aliud, ipsum dixisse magistrum
Quòd meritis hominum tribuatur gratia Christi,
Quantum quisque Dei donis se fecerit aptum.
Sed nimis adversum hoc fidei nimiumque repugnans
Esse videns, dixit se non ita credere, & illos
Damnari dignos quorum mens ista teneret.
Quò cernis, cum Iudicibus damnantibus ista,
Consensisse reum: nec quemquam hæc posse tueri:
Quæ tamen ipse suis rursum excoluisse libellis
Detegitur, reprobum in sensum fallendo reversus,

CAPVT X.

Quæ & quàm mala sana sit fides adversarij.

NVnc igitur, quoniam quid nostris diplicuisset
Ostensum est: quàm sana fides sit vestra, patescat.
Gratia quâ Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi:
Vt cunctos vocet illa quidem, invitetque: nec vllum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato adsolvere mundum:
Sed proprio quenque arbitrio parere vocanti,
Iudicioque suo, motâ se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat vlli:
Sed cupidos recti iuvet, illustretque volentes.
Hinc adiutoris Domini bonitate magistrâ
Crescere virtutum studia, vt quod quisque petendum
Mandatis didicit, iugi sectetur amore.
Esse autem doctis istam communiter æquam
Libertatem animis, vt cursum explere beatum
Persistendo queant: finem, effectumque petitum
Dante Deo, ingeniis qui nunquam deest honestis.
Sed quia non idem est cunctis vigor, & variarum
Illecebris rerum trahitur dispersa voluntas:
Sponte aliquos vitiis succumbere; qui potuissent
A lapsu revocare pedem, stabilesque manere.

CAPVT XI.

Eam confutaturus, primùm ostendit, Deum non semper voluisse omnes salvos facere.

IAm quia summatim, vt potuit, sententia vestra
Decursa est: Dic vnde probes, quòd gratia Christi
Nullum omninò hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit? Nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris iam certum est insinuatum
Christi Evangelium: ne dicam, exordia doni

Non

Non potuisse simul toto decurrere mundo.
Illa quidem ad cunctos ferri sunt iussa : sed vno
Tempore non agitur, quod tempore dicitur vno.
Dùmque suis aditus Domino pandente ministris
Crescunt primitiæ, fuerint omninò necesse est
Quædam terrarum partes, vbi gratia nondùm
Corda hominum tenebris absolverat impietatis,
Et dirâ innumeri demersi nocte peribant,
Cùm multæ accepto fulgerent lumine mentes.

CAPVT XII.

Responderi non posse : Deum quidem nunquàm destitisse omnes vocare &c. sed gratiæ vocanti plurimos restitisse fera voluntate, qui per se potuerint acquiescere : primò, quia tunc verùm esset, naturam humanam non esse læsam &c.

AN bonitas divina quidem non destitit omnes
Velle vocare homines, sed non simul apta fuerunt
Corda, quibus possent conferri dona salutis,
Dùm morum obsistit feritas truculenta magistris,
Difficilesque aditu transcurrit gratia gentes:
Vt quoniam lucem offerri voluisset, & ipsis
Demonstrare Deus: sua quemque adversa voluntas
Arguat, & culpa obstringat : quia lumine primo
Per vitia oppresso, sit facta indigna secundo?
Quod si firmatur, * nequicquam plectimus illos, * *profra*
Qui nullum * illatum vitium nascentibus aiunt, *fero.*
Incolumique omnes cum libertate creati, * *innatum.*
Gratia quos Christi meritorum examine iusto
Eligat, & dignos vitâ vocet, accipiatque.
Namque vtrumque simul sapitis, qui dicitis, omnes
Omnibus oblatum potuisse apprendere munus,
Naturæ quoniam non sit detracta facultas :
Nec sine iustitia pereant, qui mentis honorem
Sordibus obruerint vitiorum : vt lumen ab alto
Emissum, indignâ nollet requiescere sede:
Sic, quod nascendo est vnum, distare volendo:
Vt meritum ad paucos, natura spectet ad omnes.

CAPVT XIII.

Secundò, quia sequeretur Dei voluntatem esse infirmam.

SEd tamen hæc aliquà si vis ratione tueri,
Et credi tàm stulta cupis: iam pande quid hoc sit,
Quod bonus, omnipotensque Deus, non omnia subdit
Corda sibi, pariterque omnes iubet esse fideles?
Nam si nemo vsquàm est, quem non velit esse redemptum:
Haud dubiè impletur quicquid vult summa potestas. *Psal. 113.*
Non omnes autem salvantur, magnaque pars est
Quæ sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.
An varii motus animorum talia gignunt?
Libertasque facit causam non omnibus vnam?
Ergò hominis valida arbitrio divina voluntas,
Aut etiam invalida est, operis cui finis in illo est.
Quem frustra iuvisse velit, nisi præferat ille
Affectum, cuius comitetur gratia cursum.

CAPVT XIV.

Ostendit, gratiâ & virtute Dei, omni tempore conversa esse pessima corda, quibus nihil recti unquam insederat: & hanc conversionem non esse expectandam ex legis monitis nec ex Prophetæ aut Apostoli cohortatione.

AT si dimotâ certandi nube, serenis
Quæ sunt vera oculis mecum intueâre modestè:
Et vetera exemplis manifestis plena videbis
Secula, & in nostro cognosces tempore multa,
Quæ doceant, virtute Dei conversa malorum
Corda, quibus recti nihil vnquam insederat, & quæ
Nullum iustitiæ signum, sensumve gerebant.
Namque vt nunc sævas gentes, & barbara regna,
Ignoti priùs aut spreti nova gratia Christi
Attrahit, & terra templum sibi condit in omni:
Sic priùs immites populos, vrbesque rebelles
Vincente obstantes animos pietate, subegit:
Non hoc consilio tantùm, hortatuque benigno

Sua-

Suadens atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia: sed mutans intus mentem, atque reformans,
Vasque novum ex fracto fingens, virtute creandi.
Non istud monitus legis, non verba prophetæ,
Non prostrata sibi præstat natura: sed vnus
Quod fecit reficit. Percurrat Apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quàque viam verbo reseratam invenerit, intret:
Vt tamen his studiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit: inque graves adolet plantaria fructus.
Hæc semen fidei radicem adfigere menti
Eque sinu cordis, validum iubet edere germen,
Hæc maturandam segetem servatque, fovetque;
Ne lolium & tribuli & vanæ dominentur avenæ:
Ne ventus frangat, torrens trahat, æstus adurat:
Neu cùm se nimiùm læta & præfortis in altum
Extulerit, turpi procumbat strata ruinâ.

CAPVT. XV.

Per gratiam non tantum nos protegi in virtute, sed & ipsum primum bonum affectum accipere, idq; nullâ ei factâ morâ: nec hoc vel ex naturali sapientiâ vel lege contingere.

ET nos ista, inquit, sentimus de bonitate
Ac virtute Dei: quæ ni foveatq; regatque
Quos vocat, & tutos peccato præstet ab omni,
Non suâ servabit quenquam prudentia, nec se
Perficiet solis naturæ viribus vllus.
Sed quia iam nobis & velle & nolle creatum est,
Arbitriique sui quò vult intendere motus
Libertas accita potest, patuitque per aurem
Iudicio cordis, quo mundum proposuisset
Consilium servare Deus: mens excita longum
Excutiat somnum, seque illi subdat & aptet,
Qui cupidam & fidam, promissa in gaudia ducat.
Hoc est nobiscum quod te sentire ferebas?
Hæc syncera fides; hæc Christi gratia tecum est?

Cuius opus fixo distinctum limite totum,
Extra homines statuis clausæ penitus * fore mentis,
Vixque Deum sensus carnis permittis adire,
Per quos sumpta foris, animus diiudicet intus:
Seque ferat, quoquò librata examina pondus
Presserit arbitrij: Veluti cùm voce loquentis,
Aut rerum actarum species quas vidimus, aut quas
Legimus, exoritur secreta cordis in aula.
Nunc amor, aut odium, nunc spes, metus, ira dolorque:
Nec tamen hos motus scriptor, narrator, & auctor
Insevere animo (quàmvis fortè hoc quoque vellent)
Sed de perceptis mens iudex sponte movetur,
Et pro more suo, quantùm se exercuit istis,
Transit in affectum quem confirmaverit ex se,
Illa volendo sequens, istis nolendo resistens.
At verò omnipotens hominem cùm gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest quæ gesta velit: non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur vllis.
Nec quod sola potest, curâ officioque ministri
Exequitur, famulisve vicem committit agendi:
Qui quàmvis multa admoneant mandata vocantis,
Pulsant, non intrant animas. Deus ergò sepultos
Suscitat, & solvit peccati compede vinctos.
Ille obscuratis dat cordibus intellectum:
Ille ex iniustis iustos facit: indit amorem,
Quo redametur amans: & amor quem conserit, ipse est.
Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt;
Quo stulti sapere incipiunt, ægrique valescunt,
Nemo alij dat, nemo sibi, non littera legis,
Nec naturalis sapientia: quæ semel acta
In præceps, labi novit, consurgere nescit.

* *Fore est abl. casus.*

Sic Aug. l. de prædest. Sanct. c. 8

Item Prosper contra collat. cap. 6.

CAP.

CAPVT XVI.

Natura per se non valet vitæ æternæ fructus edere : quinimò peccatum esse etiam quod probè videtur gerere.

ET licet eximias studeat pollere per artes,
Ingeniumque bonum generosis moribus ornet:
Cæca tamen finem ad mortis per devia currit,
Nec vitæ æternæ veros acquirere fructus
De falsâ virtute potest : vnamque decôris
Occidui speciem, mortali perdit in ævo.
Omne etenim probitatis opus, nisi seminæ veræ
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.

CAPVT XVII.

Ipsum Credere, donum est gratiæ : quæ sola ex immundis mundos facit, nec spectat quos se dignos inveniat, sed ipsa dignos facit.

VSque adeò donum est quòd credimus : & data gratis
Gratia, non meritâ ditat mercede vocatos:
Nec iustorum operum discernit facta, sed omnes
Sola ex immundis mundos facit : vtque legentem
Lectus amet, non hoc studio, sed munere sumit.
Nam si spectatrix meritorum est gratia, & illis
Se tribuit, quorum est animus purgatior, & quos
Per libertatem arbitrii sibi repperit aptos :
Insontes tantùm, iustosque adsumere solos
Debuit, & veri cupidos, ac recta volentes :
Perversos autem, & scelerum assuetudine turpes,
Deturbare procul, lucemque negare tenebris.
Atqui salvator mundi non præmia iustis
Solvere, nec sanis venit conferre medelam :
Sed quod dispersum exciderat, fractum atque iacebat,
Quærere & inventum reparare, ac reddere curæ.

CAP.

CAPVT XVIII.

Idem confirmat, quod perceptus baptismus in vitæ vltimo, multos flagitiosissimos ad cœlum mittit.

DEnique ne quispam ex morum splendore putetur
Censeri, aut fidei merito ad bona summa vocari,
Ceu non divino sit munere mentibus ipsa
Inspirata fides: recole innumerabile vulgus
Retrò senum & iuvenum, qui cæca turpiter vsi
Libertate animi, per cultus dæmoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per stupra, per cædes vitam duxêre nefandam:
Et tamen incumbente obitu, iam * limite in ipso
Extremi flatus, miserantem nocte remotâ
Cognovêre Deum: purgatoriſque lavacri
Munere, nulla mali linquentis signa prioris,
Exempti mundo mutârunt tartara cœlo.
Quę merita hic numeras? Si præcedentia cernas,
Impia: si quæris pòst addita, nulla fuerunt.

* Fortè limine.

CAPVT XIX.

Illis ipsis gratiâ Dei inspiratum esse baptismi desiderium, ac fidem quâ tàm salubre quid poscerent: sine quo etiam longinquus erroris, quo plus graditur.

SI verò meritò ascribis, voluisse renasci.
Nempè vtero fidei parta est tam recta voluntas
Porrò fidem quis dat, nisi gratia? Sic bene velle
Gratia dat tribuendo fidem, quæ credita potest,
Quæque voluntatis meritum creet, ipsaque solo
Nascatur spirante Deo: mentemque reformans,
De cinere algenti, sopitum suscitet ignem.
Ergò voluntatis genitrix, operumque creatrix
Non est ex merito: quoniam quod non fit ab illâ,
Non benè fit. Quem non recto via limite ducit,
Quantò plus graditur, tantò longiùs errat.
Sive igitur meritum, credens exiſtere posse

Idem lib. 1. de vocat. gent. c. 6.

Ante

Ante fidem, donas virtutibus impietatis?
Sive illam vis esse tuam, non munere dantis
Sumptam, sed genitam de libertate volendi:
Nullam habet in vobis salvatrix gratia sedem,
Inflato excluſa arbitrio, quod fronte superbâ
Erigitis, spatio vt graviùs maiore ruatis.

CAPVT XX.

Supradictos errantes nullum aliud Deo assignare principium reparationis humanæ naturæ, quàm quòd per legem & prædicatores, humanæ insinuat voluntati, quæ facere eam oporteat.

DIvinorum operum quod ponitis in redimendis
Principium? Mandata Dei facere ante lavacrum,
Nosse & amare Deum, promissis credere Christi,
Quærere, pulsare, & petere, proprium omnibus esse
Asseritis, qui se studeant aptare vocanti.
Annè ab aquis divina manus renovare receptos
Incipit, & vitæ causa est sua cuique voluntas,
Vt merces operum sit gratia, iudiciumque
De prætio, quo, quod donum perhibetur, ematur?
An verò auxilium verbo Deus inchoat, & se
Voce ministrorum mundo declarat in omni:
Vt pulsante aures sermone, illecta voluntas
Iudicio præcurrat opem, nec gratia iam sit
Gratia: quæ legis fungens vice, iure monentis
Solùm agat: atque agro cum plantatore ministret,
Terraque seminibus det, non Deus, incrementum:
Vbere ceu glebâ subsistat, & arte colentis
Exortura leges: neque quicquam cordis in arvo
Præsulcet divina manus, quo temperet æquor
Edomitum, faciatque* satis gaudere novales?
Talibus adsumptis inimico ex dogmate, nònne
Perspicuum est, quantùm damnatos confoveatis,
Dùm cuique ad veræ capienda exordia vitæ
Naturam affectum fidei conferre docetis:
Dùmque aliùd non est vobiscum gratia, quàm lex,
Quàmque prophetà monens, & quàm doctrina ministri?

Aug. lib. 2. pec. mer. & rem. c. 7.

** Satis Ablat.*

Scilicet vt tale arbitrium generaliter insit,
Semine damnato genitis in corpore mortis,
Quale habuit nondum peccati lege subactus
Primus homo: & nullum in prolem de vulnere vulnus
Transierit, nisi corpoream per conditionem:
Quæ sic exteriùs respondeat, vt nihil intus
Imminuat tentatque suum substantia mentis
Splendorem, & nullâ pœnali nocte prematur.

CAPVT XXI.

Eosdem pari posse ratione dicere, veram virtutem ab illæsis animis sine Christo prodire: multos suâ sponte Deo placuisse ab origine mundi sine Deo: quod præstatur gratiâ, id testimentis legis præstitum (quæ etiam data sit in remedium, cùm corruptior esset ætas) & invalescentibus malis, legi gratiam demum super additam, non quasi sine ea salutem natura consequi non posset, sed vt facilius id posset: atque ita, infantes insontes esse, & corpore, non animo per baptismum ablui.

ADdite quòd superest tumidi, ruituraque vani
Congerite, & causis causas apptate sequentes:
Et quia nil periit primæ virtutis apud vos,
Dicite ab illæsis animis procedere veram
Iustitiam, regno dignam, cœloque locandam: Galat. 2.
Et frustra Christus sit mortuus, edite: multos
Arte & sponte suâ sanctos ab origine mundi
Absque Deo placuisse Deo: decretaque legis
Tunc data, cùm peior mos & corruptior ætas,
Terrore instanti, & formidine mortis egeret.
Dicite plectentes apices, mortisque ministros
Hoc expleſſe operis, quod gratia vivificatrix.
Nunc agite, & quoniam fuerit sine lege voluntas
Libera, quam scripti munibat pagina cordis:
Sic vitam æternam acquiri potuisse, vacante
Hâc ope, quæ legem supereminet, vt sine lege
Ex naturali potuit virtute capessi:
Nunc autem, studiis vergentibus in mala multa,
Crevisse auxilium: non quo cessante salutem

Non

Non caperet per difficiles natura labores,
Sed quo conatus operum affectuſque iuvante,
Propoſitam citiùs ferret mens libera palmam.
Dicite, cùm infantes renovantur, non renovari
Inſontes animas: & ſolâ carne renaſci
Exteriùs lotos, non exiſtentibus vllis
Interiùs maculis: quoniam licet edere rectæ
Signa voluntatis nequeant, tamen hôc magis omni
Sorde vacent, ſuper auctoris quòd conditionem
De proprio nihil addiderint, quod ſons aboleret.

CAPVT XXII.

Errantes eoſdem hortatur, vt tumore depoſito, naturam ſic vulneratam confiteantur; vt nunquam per liberum arbitrium conſurgere poſſit: ſed nitendo etiam in novos lapſus ſemper revolvatur, ſuâ ſapientiâ laqueata.

HÆc ſi non veſtris ſpirant de cordibus, & vos
Non cum damnatis eadem ratis extulit alto
Mergendos *pelago*, ſubmittite vela tumoris,
Nobiſcumque humiles placido conſiſtite portu.
Edite conſtanter naturæ vulnera victæ,
Exutam virtute animam, cæcataque cordis
Lumina, & in pœnam propriam iaculis † ſuperatis
Armatum arbitrium nunquàm conſurgere poſſe:
Inque novos lapſus ſemper nitendo revolvi:
Cui ſua ſit laqueus ſapientia, morſque ſubactum
Detineat, niſi vera ſalus ex munere Chriſti
Adſit, & oppreſſam dignetur gratia mentem.

† *ſuperan-tis.*

CAPVT. XXIII.

Eos, ſi hæc confiteri recuſent, Pelagianis pacem negare non poſſe: & Deum non iniuſtitiæ arguere ſinentem eò tranſire ſupplicium, quò negant tranſire reatum.

AN veſtrum ſublimem animum pudet iſta fateri,
Ne ſub tam multis morbis, ſit vilior æger,
Cùm nihil ex omni maiorum dote ſuperſit

Quo medici mereantur opem, & mercede valescat?
Ergò in castra gradum revocate hostilia, & illis
Addite vos, quorum ingenio & fallacibus armis
Luditis, eiusdem vibrantes spicula linguæ.
Exultate bonis naturæ, & mentis honorem
† illapsum. Omnibus à seclis † illapsum stare docete:
Neu vos in totum retegatis dogmate nudo.
Corporeo tantùm decurrere tramite pœnam
Peccati perhibete, animis nihil imminuentem:
Vulnere transfixos absolvite crimine, & ipsam
Sic contra Col. c. 10. Iustitiam accusate Dei, transire sinentis
Supplicium, quo non vultis transire reatum.

CAPVT XXIV.

Deum non esse iniustum, quoniam ruente Adam omnes etiam sic ceciderint, vt ad vitam postea resurgere nisi Christi gratiâ nemo potuerit.

SEd non iniustus Deus est, manifestaque Pauli Rom. 5.
Vox docet, vno omnes homines cecidisse ruente:
In quo tota simul series prostrata nepotum
Deperiit, nec habet quisquam quo surgere possit
Ad vitam, sacro nisi rursum nascitur ortu.
Quotquot enim summo iustos numeravit ab ævo,
Hâc ope non dubium est salvatos, quàm modò toto
Latiùs omnipotens exercet gratia mundo.

CAPVT XXV.

Gratia Dei nulla invenit bona hominis merita: dat sui desiderium & dux est ad se venientibus.

HÆc, sicut dictum est, non iudex est meritorum:
Quæ nisi plena malis non invenit: & nisi donet
Quæ bona sunt, nihil efficiet benè cæca voluntas.
Hæc vt cuiusquam studioque effectuque petatur,
Ipsa agit, & cunctis dux est venientibus ad se:
Idem ad 1. obi. Gal. Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.
Ergò ad iter pariter ferimur. Sine lumine lumen

Nemo

Nemo videt: vitam sine vitâ inquirere mors est,

CAPVT XXVI.

Queruntur adversarii hâc prædicatione gratiæ auferri liberum arbitrium.

HIc vanam insano profertis corde querelam:
Omne opus arbitrij sublatum vociferantes,
Currere currentum, si non & velle volentum est:
Nec vitiis pœnam deberi, aut præmia laudi;
Si vel naturam obstrictam mala velle necesse est,
Vel nostro ascribi nequeunt benè gesta labori.
Nunquid non eadem sapiunt, eademque perorant
Vestri illi, quorum ructatis verba, magistri?

CAPVT XXVII.

Liberam voluntatem remansisse in humana natura: tametsi eadem natura (quæ ante peccatum, imago Dei erat) per peccatum sit errore, vano timore, ac tumore inebriata.

SEd quia consimili cognata superbia questu
Prosilit, & vobis nunc respondetur, & illis.
Inviolata Dei quondam & sublimis imago,
In primo cuncti fuimus patre, dùm nemore almo
Degit, & edicto parens cavet arbore ab vnâ.
At postquàm ruptâ mandati lege, superbum
Consilium mixtum invidiæ de fonte recepit,
Corruit: & cuncti simul in genitore cadente
Corruimus: transcurrit enim virosa per omnes
Peccati ebrietas, corrupti & cordis in alvo
Persistit, crudâ fervet carbunculus escâ.
Hinc animi vigor obtusus, caligine tetrâ
Induitur, nec fert divinæ fulgura lucis
Lumen iners. Hinc arbitrium per devia lapsum
Claudicat: & cæcis conatibus, inque ligatis
Motus inest: non error abest. Manet ergò voluntas
Semper amans aliquid quo se ferat: & labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum.

Idem contra Col. c. 19.

Vana cupit, vanis tumet, & timet: omnimodâque
Mobilitate ruens, in vulnera vulnere surgit.

CAPVT XXVIII.

Suadet ne in vigore arbitrij confidant, sed in Christo arbore vitæ, quæ languidam mentem & revalescere facit, & propriis viribus benè vti.

HOc itaque arbitrium cùm sanat gratia, tolli
Dicitis, & perimi vitâ aspirante putatis.
Quid mirum rabido si corde phreneticus æger
Morbum amat, & pellit medicum? Cognoscite tandem
Antiqui commenta doli: & desuescite captas
Aures vipereo rursum præbere susurro.
Parcite de fractis præcerpere noxia poma
Arbitrij ramis. Non hæc vos esca reformat,
Nec speciem angelici nutrit cibus iste decoris:
Sed vetitorum avidos, & tetrâ bile tumentes,
De fastiditæ procul abripit arbore vitæ:
Huius ope & fructu vescendum est, vt revalescens
Languida mens, etiam propriis bene viribus vti
Possit: & in Christo inveniat, quod perdidit in se.

CAPVT XXIX.

Gratiâ Christi non perdimus sed recipimus priscum naturæ honorem: quâ gratiâ quod facimus & nostrum est, & maiorum causa bonorum.

NOn igitur, quisquis terreni veste parentis
Exueris, priscum naturæ perdis honorem,
Sed recipis: sic acquirens quibus ante carebas,
Vt tua sint, si collatis vtare modestè,
Et quod habes, hoc te acceptum fatearis habere:
Fons igitur meriti est, lucis pater: inde quod in nos
Fluxerit, hoc nobis maiorum est causa bonorum,
Dùm largitoris sua reddimus: equè relatis
Augemur, nostrumque bonum fit gloria dantis.

CAP.

CAPVT XXX.

In parvulis à baptismo mox hinc migrantibus maximè lucere, gratiam Dei non dari secundum humanæ voluntatis studia.

SEd qui iudicium arbitrii meritumque tueris,
Quique hominum studiis ascribis dona vocantis:
Infantum discerne animos, & dissere quales
Affectus, qualesque habeant hæc pectora motus.
Da teneris mores, & libertate volendi
Instrue vix auræ tenuis, lactisque capaces.
Nulla tibi arbitrii respondent signa, nec vllis
Dissociare pares meritis potes: omnibus vna est
Natura, & pariter nequeunt bona vel mala velle:
Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit & rursum genitos baptismate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis:
Quorum causa fuit similis de vulnere eodem.

CAPVT XXXI.

Eorundem salutem baptismo conceptam non esse in primis parentum sollicitudini, nec damnationem ignaviæ ascribendam; maximè cùm etiam in geminis diversum hunc eventum cernamus.

NEc meritis istud poteris aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstulerintque aliis aliena ignavia vitam:
Cùm videas multos sanctis genitoribus ortos,
Nullo salvari studio potuisse suorum.
Expositisque aliis ob turpia crimina matrum,
Missam externorum curam, quæ stercore raptos
Per fontem vitæ cœlesti traderet aulæ.
Quid si diversum hunc finem, quo gratia Christi
Vnum, alio pereunte, legit, donatque salute,
In geminis etiam videas? Quod dividis vno
Tempore conceptos atque vno tempore natos:
Non vllos potes arbitrij prætendere motus.

Cessat

Cessat opus, cessat meritum, nihil editur impar:
Sed Deus & tales discernit, quo magè Christi
Excellat bonitas, quæ sola est causa vocatis
Et fidei & meriti: quoniam sapientia dives Sap. 4.
Hoc etiam tribuit multis, vt sancta operatis,
In finem vitæ, fieret de munere merces.

CAPVT. XXXII.

Peccati reos rectè etiam eos dici, quos gratia neglexit in vmbra mortis; nec excusari quia rectè agendi negata est virtus, cùm etiamsi nemo à damnatione liberaretur, iustè conquereretur.

NOn autem rectè nec verè dicitur, illos
Qui sunt exortes divini muneris, & quos
Gratia neglexit degentes mortis in umbrâ,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit virtus: naturæ compede vinctos
Procubuisse negant, nec ab vno germine credunt
Omnigenam prolem cum pœnâ & crimine nasci.
Quod qui non renuit, videt huius pondera culpæ
Tàm validâ pariter miseris incumbere mole,
Vt si nulla etiam cumulent mala, sit tamen vnum hoc
Sufficiens scelus ad mortem nascendo luendam.
Idem in epist. ad Ruf. & ad 6. dubium Genuen.
Hanc igitur legem, quam per se nemo resolvit,
Si meritò & iustè positam impositamque fatemur,
Cur querimur quòd non omnes salvantur ab illâ:
Cùm si progeniem super omnem irrupta maneret,
De cunctis iustè damnatis non quereremur?
An quod de toto ferretur, non toleratur
De parte? Et melius foret omnia debita cogi,
Quàm summâ ex solidâ clementer multa remitti?
Quis verò exemptus squallenti carcere pulset
Invidiâ miserantis opem, quia non simul omnes
In lucem veram tenebris eduxit iisdem:
Cùm pœnam quâ mersus erat, non experiatur,
Quam miserè ferat addictus, nisi liber ab illâ?

CAP.

CAPVT XXXIII.

Consideratione iustæ totius generis humani condemnationis ios ad Deo gratias agendas excitari, concipereq; affectum precandi Christum vt miseri reconcilientur ei, qui de sua ipsorum captivitate non dolent.

DEnique tunc illum socialem mente benignâ
Concipit affectum, quo * cum summâ prece Christum *summissâ.
Conciliet miseris, suetâ qui nocte gravati
Nulla gerunt vota effugij. Tantùm nocet error
Vt iuvet errare: & veteris contagia morbi Idem ad 6. obs. Gal.
Tàm blandè obrepunt, vt quo languetur ametur.
Vndè ergò hæc oritur querimonia, non movet illos
Talis cura, quibus necdum est sua pœna dolori,
Et qui se nullâ credunt à luce relictos: Idem ad 13 obs Gal. & ad 8 dubium Gen.
Qui verò tenebris exempti in lumine vivunt,
Gaudent: & quantum sibi sit bonitate vocantis
Dimissum, ex illis discunt qui debita solvunt,

CAPVT XXXIV.

Non esse homini tam proprium bona quàm mala velle: sed si quid recti sapiamus volumúsve, ex Christo esse.

VOs igitur soli queruli, solique superbi:
Vos soli ingrati, quos vrit gratia, cuius
Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro:
Et quod non cuncti mortales atria vitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis,
Vt tàm ex iudicio constet cuiusque quòd intrat,
Quàm quòd non intrat: ceu par in vtrumque facultas
Suppetat: vt tàm sit proprium bona, quàm mala velle.
I procul insanâ impietas, arteséque malignas
Aufer, & auctorem comitare exclusa Britannum:
Nos humiles tenuesque sumus, grex parvus, & altis
Inniti metuens: quia sufficientia nostra
Ex Christo est. Si quid recti sapimus volumusque, 2. Cor. 2.
Illi debemus qui vincula nostra resolvit,

Proque malis bona restituit, non inveniendo
Quod meritò legeret, sed donans quo legeretur,
Vt de perceptis prodiret causa merendi:
Deque datis in danda, gradus industria crescens
Scanderet, atque bonum fieret Deus, omnibus vnum.

CAPVT XXXV.

Scrutandum non esse, cur de toto humani generis germine pars vna eligatur altera reiecta, quum eadem causa totum genus humanum implicet; eò quod id ignorare non obsit: Sicut nec oberat nescire omnes gentes fore ad fidem vocandas: nec nunc, quandò mundus finietur, vel qua sit tanta in genere humano varietatis causa, vt licet eadem omnium sit natura, vnus tamen regnet alter seruiat &c.

CVr verò humani generis de germine toto
Pars quædam in Christo rursum generanda legatur,
Pars pereat, cùm causa eadem simul implicet omnes:
Nec discernantur merito, qui munere distant:
Non satis audemus scrutari, nec per opertas
Ire vias, callesque gradu pulsare remotos:
Multa etenim benè tecta latent, nescitaque prosunt;
Dùm mansueta fides quædam dilata modestè
Sustinet, & nullo ignorat non edita damno.
Sic quando electum ex cunctis populum Deus vnùm,
Lege, sacris, templo, vnguento, signisque fouebat,
Quod fuit occultum, mundique in fine retectum est,
Non oberat nescire, omnes quandoque vocandas
In regnum æternum gentes, totumque per orbem
Donandum, quod spes parvæ tunc plebis habebat.
Sic postrema dies quâ mundi clauditur ætas, Mar. 13.
Notitiæ nostræ non est data: nec tamen huius
Secreti impatiens sanctorum turba laborat.
Ipsa quoque humani generis carnalis origo,
Quàm multas vario circuntegit ordine causas?
Cùmque omnes de fermento producat eodem
Vna manus, nec diversis elementa parentum
Principiis coëant: limo * procedat ab vno *procedit.
Dispar opus, mutat numeros per vascula fictor, Rom. 9.

Mate-

Materiamque vnam discernit iure creantis.
Ergò eadem natura animæ, naturaque carnis
Diversis mundum sub conditionibus intrat.
His regnare datum, est illos servire necesse est:
Hos decor, & vires validæ, viridisque senectus
Suscipit: hos species inhonora & debile corpus:
His viget ingenium præclaris artibus aptum:
Horum tarda premit gelidus præcordia sanguis.
Quosdam nec licitus calor incitat ad generandum:
Ast alij insanum nequeunt frænare furorem.
Hunc mitem & placidum tranquilla modestia comit:
His & mille modis semen variantibus vnum,
Imperiales subeunt distincta exordia formas:
Nec tamen hæc inter tàm compugnantia quisquam
Arguit auctorem, qui secum continet huius
Legem operis, dùm iudicio placita explicat æquo,
Et rerum causas obscurat iusta potestas.
Si terrenum igitur figmentum addictaque morti
Progenies, ita dissimili producitur ortu,
Vt cùm operis species pateat, tamen edita non sit
Norma voluntatis de quâ venit hic modus impar:
Quid mirum si consilij super omnia magni
Arcanum latet, & placito subducitur alto,
Quod cùm vana fluunt mundi, dùm in corpore mortis
Vivitur & positi expletur certamen agonis,
Non cognoscendum texit Deus: vtiliusque
Duxit ad examen quædam velare piorum.

Aug. lib. 4 contra Iul. cap. 3.

CAPVT XXXVI.

Consilio divino non perspecto, agnoscatur interim vnus cunctorum Auctor bonorum: sine quo nil rectum mens inchoet, & sine cuius gratiâ nullum ad vitam meritum, omnibus verò vnum ad mortem suppetat.

NOn ergò instamus clausis, nec operta procaci
Vrgemus curâ: satis est opera omnipotentis
Cernere, & auctorem cunctorum nosse bonorum:
Quo sine nil rectum mens inchoat. Audeat amens
Impietas tumido arbitrio subnectere causas

Divinorum operum: nos cum manifesta videmus
Dona Dei, quorum est fons vnus, summa voluntas,
Cum Paulo tremuisse iuvat, stupidumque modestè
Invictum ad solium Christi suspendere nutum:
Cuius iudicium sic inscrutabile & altum
Dicimus, vt verax prorsus fateamur & æquum.
Nam meritum ad mortem subeundam sufficit vnum:
Ad vitam, nisi quod donârit gratia, nullum.

Rom. 11.

Rom. 5.

CAPVT XXXVII.

Aduersarios optat non falli imagine vel specie virtutum Pelagianorum: quod illi hisce virtutibus, si paratas putent sola liberi arbitrij libertate, non crescant, sed minuantur: non proficiant, sed deficiant &c eò quod ad fidei spiritalis fundamentum & lapis angularis Christus esse debeat.

TV verò, ô nova gens, veteris, quæ stirpe oleastri
Velleris, & sacræ ramis insolescis olivæ,
Quærere formatæ sentis te frondis honorem
Non studio cœpisse tuo, sed iure potentis
Agricolæ insertam fœcundo vivere ligno.
Vince superborum flatus, & vana furentum
Turbinibus stabili fortis pietate resiste:
Nec tibi fallacis subrepat imago decôris.
Nullum ex his errare putes? Licet in cruce vitam
Ducant, & iugi afficiant sua corpora morte,
Abstineant opibus, sint casti, sintque benigni,
Terrenisque ferant animum super astra relictis:
Si tamen hæc propria virtute capescere quenquam
Posse putant, sitne dignus labor iste iuvari,
Ingenium meruisse aiunt bona vera petentis:
Crescere quo cupiunt, minuuntur: proficiendo,
Deficiunt: surgendo cadunt: currendo recedunt.
Vnde etenim varij frustra splendescere quærunt,
Inde obscurantur. Quoniam sua laudis amore,
Non quę sunt Christi quærunt: nec fit Deus illis
Principium, & capiti non dant in corpore regnum.
Non horum templo est Christus petra fundamentum:
Sed super instabilem arbitrij nutantis arenam

Rom. 11.

1. Cor. 3.

Assurgunt, fœdâ lapsuri mole tumoris.
Isti, quem quidam reprobârunt ædificantes,
Act. 4. Nunc etiam reprobant lapidem: parieſque ſine ipſo
Psal. 117. Tertius esse volunt, quem nullo fœdere nectat
Angulus, & quem nulla habeat compago ligatum.
Ephe. 2. Hi thalamum ad ſponſi non perducuntur, & intrant
Libertate suâ. Quæ Christi gratia confert,
Matt. 21. Non acceperunt, & habent: Non attrahit illos
Vis Patris ad verbum, ſed ſponte, & præpete curſu
Ioan 6. Præveniunt ceſſantis opem: nec ad omne gerendum
Ioan. 15. Eius egent, ſine quo ſibi plurima poſſe videntur,

CAPVT XXXVIII.

Ab illis vocetenus damnari Pelagium: & quod Pelagius innumeros ſeduxiſſet, ſi doctrinæ ſuæ poculum aliquo melle præliviſſet, quoſdam errores ſuos minus planè tradendo.

QVid prodeſt verbis commentum Palagianum
Reſpuere, & ſolâ damnatos plectere voce:
Cùm paucis ſqualidâ ſublatis de cute nervis,
Intima viperei foveantur viſcera ſenſus?
O benè quod diri erroris malus ille Magiſter
Nullo præ levit lethalia pocula melle:
Sed non ambiguâ infectum feritate venenum
Protulit, & guſtu virus detexit amaro:
Nam ſi argumenti primordia non oneraſſet;
His, quæ diſcipuli dempſerunt callidiores,
Innumeras dubio cepiſſet plaſmate mentes:
Quę dùm multa vident informia, limine in ipſo
Horrida terrificæ declinant atria mortis.
Nec tàm illis poſſunt attriti illudere fures,
Quorum quo tendant artes, atque vnde oriantur;
Non dubiis promptum eſt cuivis agnoſcere ſignis.

CAPVT XXXIX.

Quid ab iſtis de Pelagiano dogmate & damnetur & retineatur.

NOn igitur cùm damnatis ſentire videntur,
Cùm dicunt mortem in cunctos tranſiſſe per vnum

Primum hominem, cuius crimen reſperſerit omnes:
Nec quemquam in vitam æternam, niſi fonte renatum,
Venturum: infanteſque reos hoc munere ſolvi,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo.
Sed cum damnatis ſapiunt, damnataque promunt,
Cùm dicunt nihil eſſe animis per vulnus avitum
Detractum decoris, ſplendoremque omnibus illum
Nunc talem innaſci, qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrij diſcernere ſano
Poſſe oculo cordis, quicquid ſit ritè gerendum,
Nec ſolùm ad vitæ præſentis commoda ſolers
Sufficere ingenium, quo ſe tueatur & ornet:
Sed ſummis etiam mentem aptam percipiendis,
Æterniſque bonis, ſponte ad cœleſtia ferri:
Perque viam ad Chriſtum quam fecerit ipſa, venire.
Hinc hominem multâ recti aſſuetudine firmum
Poſſe repugnare adverſis, nec cedere pœnis,
Quas ſuperandæ animæ per carnem advomerit hoſtis,
Auxilio abſcedente Dei: qui deſerat aptè,
Vtiliterque ſuos, vt de certamine agonis
Quæſitas referant palmas: ne nulla piorum
Sint merita, & veræ priventur laudis honore:
*Fortè Si quod naturæ ſenſum. * Sicut naturæ ſenſum noluntque voluntque,
Præceptiſque tenent legalibus inſinuatum,
Divini auxilij manus hoc operetur in illis:
Ceu ſolis Chriſti famulis virtute carere
Sit dignum & non poſſe probos apprendere mores,
Quos plerumque habeant etiam ſimulachra colentes.

CAPVT XL.

Nemo naſcitur ſine primi parentis vulnere, quo priùs mens intus eſt læſa quàm corpus foris. Et hinc curſus ſine Chriſto eſt vagus error, involuto arbitrio tenebris, vt nec quidem oculos mentis ſponte poſſit in altum attollere.

TAlia lingua procax cùm verbis fundit ineptis,
Effuge tu nova gens, hoſtiles effuge ſenſus,
Et procul à laqueis ſapiens abiungere mortis.

Chriſtus

Christus enim tua iustitia est, quo te duce oportet
Currere: ne cursus Christo sine sit vagus error.
Nemo etenim nemo est, qui non cum vulnere primi
Sit patris genitus: quo vulnere mens priùs intùs
Percussa est, quàm membra foris: cùm mente receptum est
Quod regione poli disiecta superbia suasit.
Sic animus cui lumen erat de lumine summo,
Arbitrium involvit tenebris: & luce relictâ
Consilio legit tetræ nigrescere noctis,
Nec iam captivos oculos extollere in altum
Sponte potest: quoniam hoc etiam spoliante tyranno
Perdidit, vt quanto iaceat sub vulnere nôrit

CAPVT XLI.

Quod si quid ei superfit de primi honoris ac felicitatis reliquijs, falsò putat id sanum, eoque nihil vnquàm in se fuisse sublimius, hinc suam amans fatuitatem, seseque vehementer demirans.

SI quid enim de principiis fœlicibus illi
Et vita exilij supereſt prudenter agenda,
Hoc sanum, & quo nil fuerit sublimiùs in se,
Credit amatque suum mundi sapientia sensum,
Innumeras sese claram mirata per artes:
Quod coniecturis sublimibus abdita quærit,
Quod meminit rectè, sapit acriter, æstimat aptè,
Quod studium fandi excoluit, quod legibus vrbes
Instituit, moresque feros ratione recidit,
Vt pœnæ metus officio certârit amoris.
Iam cùm exercetur numeris, ad sydera cœli
Per cursus noscenda suos: & scire videtur
Defectus Solis varios, Lunæque labores:
Quàm speciosa sibi est? Et quàm vanescit in ipsis?

Forte effectus

CAP.

Iusto vt pro iniustis effuso sanguine, sit mors
Vnius insontis multorum vita reorum.
Hoc igitur pretio captivi cùm redimuntur,
Agnoscant quali concluſi carcere, quove
Obsessi fuerint morbo: quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quàm morte medentis.
Et quia de magnis opibus nonnulla supersunt,
Quæ decorent nudos, & quæ solentur egenos:
Non ità pro summis oblectent vltima lapsos,
Vt de supplicio tumeant: atque ordine verso
Quo sunt effecti miseri, sint indè superbi:
Aut cùm hebetes visus, longâ ex caligine tandem,
Naturæ hoc potiùs libertatique volendi,
Quàm Christo tribuant: ne scilicet evacuetur
Arbitrij virtus, si desit recta legendi.
Hoc patribus primis mortis sator insinuatus
Consilio est: hâc arte omnes prostravit in vno:
Dum suadet multò præstantius esse quod ipsis
(Non tribuente licet domino) sponderet habendum
Prudens libertas, vetitoque instructa cupido:
Quæ nunc per veteris serpens vestigia fraudis,
Deceptos simili studet inflammare furore:
Vt quoniam pulchrum est veris impendere curam,
Iustitiæque avidos bona nosse & velle, salubre est:
Suadeat ingenio cuiusque hoc lucis inesse,
Vt naturali mens vivida* mobilitate, *Forte† nobilitate.
Non spirante Deo, Christi exardescat amore.
Vtque ità salvatrix nil gratia conferat istis,
Sed referat: pretioque bonos, non munere ditet.
His de seminibus multò iam plura oriuntur,
Et frumenta inter primo turgentia lacte,
Spinis fulta subit seges horrida zizaniorum.

CAPVT XLIV.

Nos qui fideles sumus, confiteamur nos novum esse figmentum, discretum prorsùs à vetustatis Adami radice per Christum, per quem unum, possumus quicquid possumus.

1. Cor. 3. SEd nos qui domini semen sumus, agricolæque
Stamus ope, & superâ perflati vivimus aurâ:
Viperei calicis gustum procul excutiamus,

Christus erit. Quod si pulchrum, & super omnia magnum est:
Cur pudet hâc etiam fletus in valle potentes
Esse Deo, minimumque operis mortalis habere,
Quod non est nisi peccatum, quo discrucietur
Libertas: ad quam solam malè gesta recurrunt?
Et tamen in sanctos animum cùm intendimus actus,
Cùm desideriis carnis mens casta repugnat,
Cùm tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas illæso corde manemus:
Libertate agimus; sed libertate redemptâ,
Cui Deus est rector, summoque ex lumine lumen,
Vita, salus, virtus, sapientia: gratia Christi est,
Quâ currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, instat,
Credit, sperat, amat, mundatur, iustificatur.
Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus: Tu corda moves: Tu vota petentis
Quæ dare vis, tribuis: servans largita, creansque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non autem hôc curam minui, studiumque resolvi
Virtutum, aut opus ingenii torpere putandum est,
Quòd bona sanctorum tua sunt: & quicquid in illis
Aut sanum aut validum est, de te viget: vt videatur
Nil actura hominis, te cuncta gerente, voluntas:
Quæ sine te quid agat, nisi quò procul exulet à te:
Præcipites semper calles, & devia motu
Ingressura suo: nisi fessam Tu bone & ægram
Suscipias, referas, foveas, tuearis, honestes?
Tunc fiet cursus velox, oculique videntes,
Libera libertas, sapiens sapientia, iustum
Iudicium, & fortis virtus, & sana facultas,
Huius opis semper, pater, indigeamus: ab ipsâ
Prodeat arbitrium nostrum. Nihil, hâc sine, sensus
Corporei possunt, opus vt servile quiescat.
Et tua dùm in nobis agitur, non nostra voluntas,
Legitima in sanctis ducamus sabbata festis.

EIVSDEM
PROSPERI

In Obtrectatorem Augustini

EPIGRAMMA.

CONtra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudùm livor adussit edax:
Qui caput obscuris contectum vtcunque cavernis,
Tollere humo miserum perpulit anguiculum.
Aut hunc fruge suâ æquorei pavêre * Britanni:
Aut huic * Campano gramine corda tument.
Quæ concepta fovet, promat: quæ parturit, lædat:
Seu vetere armatur dogmate, sive novo.
In quoscunque sinus, spirarum torqueat orbes,
Et fallax multâ contegat arte caput:
Currentem attritos super aspidas & basilicos
Declinare senem vipera non poterit.

* *Pelagius Brito.*
* *Iulianus Campanus.*

ALIVD.

Quidam doctiloqui libros senis Augustini
Carpere, & adversum condere fertur opus.
Vsque adeòne bonum ingenium & facundia dives
Ostentare artem non aliter potuit,
In nova prostratas acies nisi bella cieret,
Impiaque extinctis hostibus arma daret?
Hæc pugna, incentor, mors est tua: te stylus iste
Conficit, & verbis perderis ipse tuis.
Dumque doces quantùm valeat mens libera, monstras
Velle tuum tibimet sufficere vt pereas.
Verte gradum, fuge perniciem: stratosque rebelles
Oris apostolici fulmine vbique vide.
Nec te mutato defendi nomine credas:
Si pastorem ovium lædere vis, lupus es.

EPI-

EPITAPHIVM

Neſtorianæ & Pelagianæ Hæreſeon.

NEſtoriana lues ſucceſſi Pelagianæ,
Quæ tamen eſt vtero prægenerata meo.
Infœlix miſeræ genitrix & filia natæ,
Prodivi ex ipſo germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orſa ſuperbis,
De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in ſumma armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habui:
Et conſanguineæ poſt triſtia vulnera fraudis,
Aſpera conſerui prælia fine pari.
Me tamen vna dedit victam ſententia letho:
Illa volens iterùm ſurgere, bis cecidit.
Mecum oritur, mecum moritur, mecumque ſepulchrum
Intrat, & inferni carceris ima ſubit.
Quò nos præcipites inſana ſuperbia merſit,
Exutas donis, & tumidas meritis?
Nam Chriſtum pietate operum & mercede volentes
Eſſe Deum, in capitis fœdere non ſtetimus:
Speranteſque animi de libertate coronam,
Perdidimus, quam dat gratia, iuſtitiam.
Quique igitur geminæ miſeraris buſta ruinæ,
Ne noſtro exitio conſociare, cave.
Nam ſi, quæ domini data munera ſerò fatemur.
Hæc homini credis debita, noſter eris.

CÆ-

CÆLESTINI PAPÆ
PRO PROSPERO ET HILARIO
DE GRATIA DEI

EPISTOLA

Ad quosdam Galliarum Episcopos.

Dilectissimis fratribus Venerio, Mario, Leontio, Auxonio, Arcadio, Philtatio, & cæteris Galliæ Episcopis Cælestinus Episcopus. Apostolici verba præcepti sunt: *Apud Iudæos atque gentiles sine offensione nos esse debere*, hoc quisquis Christianus est, totâ animi virtute custodit. 1. Cor. 10. 32. Quod cùm ità sit, non parum periculi illum manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, ista contristent, quæ authoribus Christianis percellunt animos Christianos, Domini in Evangelio sermo testatur. Ait enim ipse Salvator, quod *expediat scandalizanti vnum de pusillis, in maris profunda demergi*. Mat. 18. 6. Et ideò quæ sit eius iam pœna quæramus, cui tale supplicium legimus expedire.

De Prospero & Hilario.

CAPVT I.

Filii nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorum circà Deum nostrum solicitudo laudanda est, tantùm nescio quibus præsbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos persecuti, vt indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos, dicant prædicare adversantia veritati: sed vestræ dilectioni iustius imputamus quandò illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus

supra

Luc.6.40. *supra magistrum non esse discipulum*, hoc est, non sibi debere quemquam ad iniuriam Doctorum vindicare doctrinam. Nam & hos ipsos à Deo nostro positos novimus ad docendum, cum sit dicente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. Quid illic spei est, vbi magistris tacentibus illi loquuntur, qui, si ità est, discipuli non fuerunt? Timeo ne connivere sit hoc tacere, timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si cum silentio faveamus errori. Ergò corripiantur huiusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem: desinat, si ità res sunt, incessere novitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Conantur sæpe naufragio mergere, quos intra portum stantes statio facit fida securos. Fida quippe est omnium statio, quorum perfectis gressibus vestigia non moventur. Recurrunt ad Apostolicam prædicti sedem, hæc ipsa nobis quæ tentat perturbatio, conquerentes. Habetote fratres charissimi pro catholicæ plebis pace tractatum: sciant se, si tamen censentur præsbyteri dignitate, vobis esse subiectos, sciant omnes qui malè docent, quod sibi magis discere competat, quam docere. Nam quid in Ecclesiis vos agitis, si illi summam teneant prædicandi? Nisi fortè illud obsistat, quod non authoritate, non adhuc ratione colligitur, vt aliqui è fratrum numero, nuper de laicorum consortio in collegium nostrum fortassis admissi nesciant quid sibi debeant vindicare? Super his multa iam dicta sunt eo tempore quo ad fratris Tuentii dedimus scripta responsum, nunc tamen repetentes sæpiùs admonemus, vt vitentur huiusmodi, qui laborant per terras aliud quam ille noster iussit agricola seminare, nec tamen mirari possumus, si hæc ergà viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quicentium fratrum memoriam dissipare.

Episcoporum officium docere.

Præsbyteri simplices subiecti sint Episcopis.

De

De sancto Episcopo Augustino mira laudis adsertio.

CAPVT II.

AVgustinum sanctæ recordationis virum pro vitâ suâ, atque meritis in nostrâ communione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiam à meis semper præcessoribus haberetur. Benè ergò de eo omnes in commune senserunt, vtpote qui vbique cunctis & amori fuerit, & honori: vndè resistendum talibus, quos malè crescere videmus. Nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari, quamvis maneat hos beatitudo promissa, quicunque probantur persecutionem propter iustitiam sustinere, quibus quid promittat Dominus in futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum vniversalis Ecclesia, quâcunque novitate pulsatur, intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere. Quod ità demum probare poterimus, si impolito improbis silentio, de tali re imposterum querela cessaverit. Deus vos inculumes custodiat fratres charissimi.

Elogium Augustini.

Mat. 5. 10.

Hic terminatur epistola Cœlestini, sequitur secretum epistolæ adjunctum.

Sedis Apostolicæ Episcoporum authoritates de gratiâ Dei.

CAPVT III.

QVia nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus seu pravitate sive imperitiâ demorantes, priscis disputatoribus obviare præsumunt, & cùm Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodò sequi & probare profitentur, quæ sacratissima beati Apostoli Petri sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit & docuit: necessarium fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi quę eorum temporibus exorta fuerat, iudicarint, & contra nocentissimos

Decretum Cœlestini superiori epistolæ subnexum.

tissimos liberi arbitrij defensores quid de gratiâ Dei sentiendum esse censuerint, ita vt etiam Africanorum conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas vtiq; suas fecerunt apostolici antistites dùm illas comprobarent, vt ergò pleniùs, qui in aliquo dubitant instruantur, constitutiones sanctorum patrum compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hâc subditarum authoritatum brevitate pendere, nullamq; sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat & dicat.

Quod Adam omnes homines laserit, nec quemquam nisi Christi gratia, posse salvari.

CAPVT IV.

IN prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit, pronunciante beatæ memoriæ Papa Innocentio, atque dicente in epistola ad Carthaginense Concilium. *Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens in prævaricationis profunda, demersus est, & nihil, quemadmodum exinde surgere posset, invenit, suaq; in æternum libertate deceptus huius ruinæ iacuisset oppressus, nisi eum pòst Christi pro sua gratia revelasset adventus, qui per nova regenerationis purificationem, omne præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit.* Innocentius epist. ad Conc. 5.

Quod nemo sit bonus suis viribus, nisi participatione eius qui solus bonus est.

CAPVT V.

NEminem esse per semetipsum bonum, nisi participatione sui ille donet, qui solus est bonus: quod in eisdem scriptis eiusdem pontificis sententia protestatur dicens. *Nam quid nos de eorum posthac rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant deberi quod boni sunt, nec illum considerant cuius quotidie gratiam consequuntur, qui finis illo tantum se adsequi posse confidunt?* Ibidem.

Quod nisi gratia Dei continua iuuemur, insidias diaboli superare non possumus

CAPVT VI.

NEminem etiam baptismatis gratia renouatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit, quod eiusdem antistitis in iisdem paginis doctrina confirmat dicens: *Nam quamvis hominem redemerit à præteritis ille peccatis, tamen sciens illum iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum, & post ista corrigere, multa servavit, atque quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.*

Perseverantia per gratiam conferlur.

Ibidem.

Quod per Christum libero bene vtamur arbitrio.

CAPVT VII

QVod nemo, nisi per Christum, libero bene vtatur arbitrio, idem magister in epistola ad Milevitanum concilium data prædicat, dicens: *Adverte tandem, ô prauissimarum mentium perversa doctrina! quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, vt dum indulgentius frenis eius vtitur, in prævaricationem præsumptione concideret, nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset aduentus.*

Innocentius epist. ad Conc. Milevitan.

Quod omnia sanctorum merita dona sint Dei.

CAPVT VIII.

QVod omnia studia, & omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint, quia nemo aliundè ei placeat, nisi ex eo quod ipse donaverit, in quâ nos sententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zosimi regularis authoritas, cùm scribens ad totius orbis Episcopos

ait:

ait: *Nos autem instinctu* Dei (*omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt, vnde nascuntur*) *ad fratrum & coepiscoporum nostrorum conscientiam vniversa retulimus.* Hunc autem sermonem syncerissimæ veritatis luce radiantem tanto Afri Episcopi honore venerati sunt, vt ità ad eundem virum scriberent. Illud verò quod in literis, quas in vniversas provincias curasti esse mittendas, posuisti dicens. *Nos tamen instinctu Dei, &c. sic accepimus dictum, vt illos, qui contra* Dei *adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quam quod vniversa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti, & tamen instinctu* Dei *factum esse fideliter, sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti?* Prov. 8. 35. iuxta 70. *Ideo vtique, quia* præparatur voluntas à Domino, *& vt boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangat corda fidelium.* Rom. 8. 14. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt: *vt neq; nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.*

Quod omnis sancta cogitatio, & motus pia voluntatis ex Deo sit.

CAPVT IX.

QVod ità Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem doctor instituit, qui cùm ad totius orbis Episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur. Quod ergò, ait, tempus intervenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causisque cogitationibus, motibus adiutor, & protector orandus est. Superbum est enim, vt quicquam sibi humana natura præsumat, Ephes. 6. 12. clamante Apostolo: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra principes, & potestates aeris huius, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* Et sicut ipse iterum dicit, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. 24. & 25. *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Iterum, *Gratia* Dei *sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia* Dei *mecum.* 1. Cor. 15. 10.

Necessitas divinæ gratiæ.

Quod gratia Dei non solum peccata dimittat, sed etiam adiuuet ne committantur, & præstet vt lex impleatur, non sicut ait Pelagius, facile, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri.

CAPVT X.

ILlud etiam, quod intra Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi proprium apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est, *vt quicunq; dixerit gratiam Dei, in quâ iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit.* Et iterùm quarto capitulo, *Vt quisquis dixerit, gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Cùm enim dicat Apostolus: Scientia inflat, charitas verò ædificat: *valde impium est, vt credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, & ad eam, quæ ædificat, non habere, cùm sit vtrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus, vt ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est:* Qui docet hominem scientiam, *ita etiam scriptum est:* Charitas ex Deo est. In quinto capitulo, *vt quisquis dixerit: ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum subeamur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit: de fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait, Sine me minùs difficilius potestis facere, sed ait.* Sine me nihil potestis facere.

1. Cor. 8.

Psal. 93. 10

1 Ioan. 4. 7.

Ioan. 15. 5.

Quod sedis Apostolicæ omnes orationes, Christi gratiam resonant, quâ genus humanum ab æternâ damnatione reparatur.

CAPVT XI.

PRæter beatissimæ & Apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi patres pestifera novitatis elatione

tione deiecta, & bonæ voluntatis exordia & incrementa probabilium studiorum, & in eis vsque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt: obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni catholicâ ecclesiâ vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex statuat supplicandi. Cùm enim sanctorum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, & tota secum ecclesia congemiscente postulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, vt hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant, vt schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, vt denique; catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula referetur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos *eruit de potestate tenebrarum transferat in regnum filii charitatis suæ*, & ex *vasis iræ*, facit *vasa misericordiæ*, quod adeò totum divini operis esse sentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium, vel correctione referatur.

Publica preces feriâ 6. hebdomadæ sanctæ fieri solita.

Coloss. 1. 13
Rom. 9. 22.

Quod gratiam Dei etiam baptizandorum testetur instituta purgatio, cum exorcismis & exsufflationibus spiritus abeis abiguntur immundi.

CAPVT XII.

ILlud etiam quod circa baptizandos in vniverso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non ocioso contemplemur intuitu: cum sive parvuli, sive iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis, & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, vt tunc verè appareat quomodò *princeps mundi huius mittatur foras*, & quomodo prius *alligetur fortis*, & deinceps *vasa eius diripiantur*, in possessionem trãslata victoris, qui *captivam ducit captivitatem*, & *dat dona hominibus*. His ergò

Iohan. 12. 31
Mat. 12. 29
Marc. 3. 27
Psal. 67. 19
Ephes. 4. 8.

Ecclesiasticis regulis, & ex diuina sumptis authoritate documentis, ità adiuuante Domino conformati sumus vt omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumq; virtutum, quibus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur authorem, & non dubitemus ab ipsius gratiâ omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus & facere: quo vtiq; auxilio & munere Dei non auferatur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta est enim erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippè in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus, nec otiosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit, vt & nos cooperatores simus gratiæ Dei, ac si quid nobis ex nostrâ viderimus remissione languescere, ad illum solicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam nostram, & cui quotidiè dicimus, *Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.* Mat. 6.13.

Gratia Dei preuenit omnia merita nostra nõ aufert libertatem.

Quod profundiores quæstiones nec contemnendæ sint, nec penitus adserendæ.

PRofundiores verò, difficilioresq; partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ità non necesse habemus astruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundum prædictas regulas Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, vt prorsùs non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.

EPI-

EPISTOLA D. LEONIS PAPÆ PRIMI

Est inter Leonis epist. ordine octuagesima quinta.

Ad Septimium Altinum Episcopum

Leo Episcopus, Septimio Episcopo salutem.

LECTIS fraternitatis tuæ literis, vigorem fidei tuæ, quam olim noveramus, agnovimus: congratulantes tibi, quod ad custodiam gregum Christi pastoralem curam vigilanter exequeris, ne *lupi, qui sub specie ovium subintrarunt*, bestiali sævitiâ simplices quosque dilacerent, & non solùm ipsi nullâ correctione proficiant, sed etiam ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, ad Metropolitanum Episcopum provinciæ Venetiæ scripta direximus: quibus ad status sui periculum cognoscere pertinere, si quisquam de Pelagianorum & Cælestianorum consortio veniens, in communione Catholicâ sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Salubertimum enim est, & spiritualis medicinæ vtilitate plenissimum, vt sive præbyteri, sive Diaconi, sive alii cuiuslibet ordinis Clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum, & ipsos erroris authores damnari à se sine ambiguitate fateantur: vt sensibus pravis & dudùm peremptis, nulla sperandi superfit occasio, ne vllum membrum Ecclesiæ talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propriè coperit obviare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ne ab his Ecclesiis, ad quas propriè pertinent, sinantur abscedere, & pro suo arbitrio ad loca sibi non deputata transire. Quod cùm rectè non permittitur inculpatis, multò

Mat. 7. 15.

multò minùs debet licere suspectis. Proindè dilectio tua, cuius devotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris, & cum supradicto Metropolitano det operam, vt circunspectè ac velociter impleantur ea, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem & laudabiliter sunt gesta, & salubriter ordinata.

Est inter Leonis epist. ordine octuagesima sexta.

EPISTOLA EIVSDEM

Ad Nicetam Aquileiensem Episcopum.

Leo Episcopus Romæ Nicetæ Aquileiensi Episcopo salutem.

RELATIONE sancti fratris & Coepiscopi nostri Septimii, quæ in subditis habetur, agnovimus quosdam presbyteros, Diaconos, ac diversi ordinis Clericos, quos Pelagiana sive Cælestiana hæresis habuerit implicatos, ità in vestrâ provinciâ ad communionem Catholicam perveniſſe: vt nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris, & pastoralibus excubiis nimium *dormitantibus, lupus ovium pellibus tectus* in ovile dominicum, non depositis bestialibus animis introiret: & quod per authoritatem canonum decretorumque nostrorum ne insontibus quidem conceditur, vsurpare, vt relictis Ecclesiis, in quibus Clericatum aut acceperant, aut receperant, instabilitate suâ per diversa circunferantur, amantes semper errare, & nunquam in fundamento Apostolico permanere. Quoniam qui nullo discussi examine, nullo sunt præiudicio suæ professionis obstricti, hunc maximè expetunt fructum, vt sub velamento communionis plures domos adeant, & per

Matt. 13. 25
Matt. 7. 15.

per *falsi nominis scientiam, multorum corda corrumpant.* Quod vtique efficere non possent, si Ecclesiarum præsules necessariam diligentiam in talium receptione servarent, ne cuiquam eorum evagari in diversa licuisset. Ne ergò hoc vlteriùs audeatur nève per quorundam negligentiam introducta pernicies, ad eversionem multarum tendat animarum, hâc nostri authoritate præcepti, industriæ tuæ fraternitatis indicimus: vt congregata apud vos Synodo provincialium Sacerdotum, omnes sive præsbyteri, sive Diaconi, sive cuiusq; ordinis Clerici, qui de Pelagianorum Celestianorumq; consortio, in communionem Catholicam eâ imprudentiâ sunt recepti, vt non priùs ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc saltem, posteaquam Hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodesse, & nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus sui superbi erroris authores, & quicquid in doctrinâ eorum vniversalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem huius hæreseos Apostolicæ sedis confirmavit authoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis, & apertis, ac propriâ manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, vt *in* quacumque particula dogmatis execrandi, *qua* se à damnatorum societate discreverunt, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum. Cumque omnes diffinitiones suas ad tantam facilitatem improbare se simulent atque deponere, hâc ibi totâ arte fallendi, nisi intelligantur, excipiant, vt *gratia Dei secundum meritum dari accipientium* sentiatur. Quæ nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, retributioque meritorum, dicente beato Apostolo. *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, vt in illis ambulemus.* Omnis itaque bonorum operum donatio, divina præparatio est: nec propria quisquam iustificatur virtute, quoniam gratia vnicuique principium iustitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum est. Sed ab istis ideò per naturalem industriam dicitur præveniri vt quæ ante gratiam proprio data sit fitigio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata: falsumque sit quod veritas ait.

Versutia Pelagianorum.

Ephes. 2. 8. 9. 10.

Quoniam *filius hominis venit quærere, & salvare quod perierat.* Luc. 19. 10.
Ideò etiam *parvulos dicunt, si sine baptismo hinc de seculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Ada teneri, sed ad regnum Dei, vel ad vitam æternam, sine vllâ cunctatione venire*, cùm Apostolus dicat; *per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines pertransiit*, propter quod & ipsi parvuli baptizantur. Quamvis in illo vno possint intelligi plura peccata si vnum ipsum in sua quasi membra singula dividatur. Nam & superbia est illic, quia in sua homo potiùs esse, quam in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia se præcipitavit in mortē: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentinâ suasione corrupta est: & furtum, quia prohibitus vsurpatus est cibus: & avaritia, quia plus quam sufficere illi debuit, appetivit: & si quid aliud in hoc vno admisso diligenti consideratione poterit inveniri. Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippè sententia, *Reddam peccata patrum in filios*, tenet eos vtiq; antequam per regenerationem ad testamentum novum incipiant pertinere: quod testamentum prophetabatur, cùm diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec vlteriùs futuram in Israel parabolam illam, *patres manducaverunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Ideò enim quisq; renascitur, vt solvatur in eo, quicquid peccati est, cum quo nascitur. Nam peccata quæ malè agendo posteà committuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicuti etiā post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio, vsque adeò vt etiam de legitimo matrimoniò procreatus dicat: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis Mater mea in vtero me aluit.* Neque hic dixit, in iniquitate, vel in peccato, cùm hoc rectè dici posset, sed *iniquitates* & *peccata* dicere maluit: quia & in illo vno, quod *in omnes homines pertransivit*, quodq; tam magnum est, vt eo mutaretur, & converteretur in necessitatem mortis humana natura (sicut suprà differvi:) reperiuntur plura peccata, & alia parentum, quæ licet non possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia, & misericordia divina subveniat. A parvulo enim recens nato vsq; ad decrepitum senem, quamlibet corporis ætatem gerant, sicut nullus pro-

Ada peccatum vnum, & suo modo multa.

Parvuli quomodo Parentū peccatis obligentur.

Exod. 34. 7. Deut. 5. 9.

Ezech. 18. 2. & 3.

Regeneratio instituta, quia vitiosa est generatio

Psal. 50. 7.

Magnū Ada peccatum.

Prohibendus est, à baptismo, ità nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo. Sed parvuli tantùm originali, maiores autem etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcumque malè vivendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt. Cavendum ergò dilectioni tuæ est, magnâq; diligentiâ providendum, ne per huiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur: & de exciso olim dogmate aliquod in provincia tua eiusdem mali germen oriatur: quod non solùm in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent: & obediendo nobis, probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectarit, sive ille Clericus, sive sit Laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ, saluti insidietur alienæ. Illam quoque partem Ecclesiasticæ disciplinę, quâ olim à sanctis patribus, & à nobis sæpè decretum est, vt nec in præsbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, nec in subsequenti officio Clericorum ab Ecclesiâ ad Ecclesiam cuiquam tranfire sit liberum, vt in integrum revoces, admonemus. Et vnusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, vbi ordinatus est, perseveret: ità vt si quis *sua quærens, non quæ Iesu Christi*, ad plebem & Ecclesiam suam redire neglexerit: & ab honoris privilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua, nos, si (quod non arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro custodia Canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quâ ad desides negligentesq; Rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

Philip. 2. 21

Disciplina Ecclesiæ de non transeundo de Ecclesia ad Ecclesiam.

Excõmunicatio.

Prælatorum desidia.

Est inter Gelasii epistolas ordine quinta.

EPISTOLA B. GELASII PAPÆ I.

Ad Honorium Dalmatiæ Episcopum.

Monet ne Pelagianam hæresim à tot pontificibus detestatam revivisce sinat.

Ex vetusto Codice Vaticano.

Dilectissimo *Fratri Honorio, Gelasius.* Licet inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati, vix respirare valeamus; pro sedis tamen Apostolicæ moderamine totius ovilis Dominici curam sine cessatione tractantes, quæ beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce * delegatum est: *Et tu conversus confirma fratres tuos.* Et item: *Petre amas me, pasce oves meas.* Dissimulare nec possumus nec debemus, quæ nostram solicitudinem forma perstringat; cum beato Paulo Apostolo sentientes atque dicentes: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror?* Ita quippe nos repente tristis, horrenda & vix credibilis confecit opinio, vt mentem nostram confunderet, sauciaret, affligeret. Nuntiatum nobis est enim in regionibus Dalmatiarum, quosdam recidiua Pelagianæ pestis zizania seminasse: tantùmque illic eorum prævalere blasphemiam, vt simplices quosque mortiferi furoris insinuatione decipiant. Est quidem error ipse nefarius tanto pernicioſior ad suscipiendũ, quantò ad fallendum verisimilitudinis colore versutior: * præstante Domino, adest fidei Catholicæ pura veritas, concordibus vniversorum Patrum deprompta sententia, quæ & subtile virus funestæ pravitatis exponat, & humano generi salvãdo conferat de scripturarum confectione medicinam. Nullatenus igitur discretionem rerum nondùm abundantia corda

* *Fortè delegata.*

Luc. 22. 32. Ioan. 21. 17. 2. Cor. 11. 29.

Quam periculosus & vigilanter cavendus error Pelagianus.

* *Fortè addendum, verum.*

corda conturbet, donec & occultum vulnus appareat, & salvatio singularis eluceat: quoniam quantâlibet arte fallaciæ spiritus perditionis armetur; sancto gladio spiritus principalis & detegitur & necatur. Quapropter per dilectionem tuam cunctos ibidem Domini sacerdotes fraterno commonemus affectu; vt qui cum erudiente vos Domino contra novitios pugnetis errores, olim perversitatem toto orbe damnatam, nec ipsos recipere debeatis, aut quod temerè putatur, esse faciendum; quæ non hæresis maioribus nostris convenienter extincta rursus provocare nos audeat, & palam novis resumptis viribus, apertèque confligat. Nunquid nam licet nobis à venerandis patribus damnata dissolvere, & ab illis excisa nefaria dogmata retractare? Quid est ergò quod magnoperè præcavemus, ne cuiuslibet hæresis semel detecta pernicies ad examen denuò venire contendat? Si quæ antiquitus à nostris maioribus cognita, discussa, refutata sunt, restauranda nitamur; nonne ipsi nos (quod absit) & quod nunquam Catholica patietur Ecclesia (adversariis veritatis vniversis contra nos resurgendi proponimus exemplum? Vbi est, quod scriptum est. *Terminos patrum tuorum non transgredieris, & interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi, & seniores tuos, & dicent tibi?* Quid ergò tendimus vltra definita maiorum, aut cur nobis non sufficit? Si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab orthodoxis patribus & senioribus singula quæque vel vitanda præcepta sunt, vel aptanda Catholicæ veritati; cur non his probantur esse decreta? Nunquid aut Sapientiores illis sumus, aut poterimus firmâ stabilitate constare, si ea quæ ab illis constituta sunt, subruamus? An fortasse nescitis hanc hæresim, de quâ loquimur & ab Apostolicâ dudùm sede per beatæ memoriæ *Innocentium*, ac deindè *Zosimum*, *Bonifacium*, *Cælestinum*; *Sixtum*, *Leonem* continuis & incessabilibus sententiis fuisse prostratam; nec tantùm Ecclesiæ Catholicæ legibus, sed principum quoque Romanorum eo tempore damnatam, vt nec vsquam terrarum vivendi locum sectatores eius habere sinerentur? Quę omnia tam gestis Ecclesiæ per singulas quasque Regiones de eorum pravitate confectis, quam censuræ publicæ sanctionibus edocentur. Ecce quorumlibet aures Catholicas audire doctrinam, quæstiones accipere, tractare tendiculas, & blasphemias patienter admittere: O si studerent adversus eos maiorum

Fallax Spiritus Pelagiana hæresis.

Decisa à Maioribus non sunt retractanda.

Quàm sancte servanda sint antiquitus definita.

Deut. 32.7

Pelagianam hæresim quinam damnaverint.

rum noſtrorum libros, reſponſaque cognoſcere! illic modis omnibus cerneretur, nihil eſſe prorſùs, quod & ab iſtis * fuerit ventilatum, & ab illis magnificâ veritate contritum. Sicque de cunctis eorum nequitiis refutandis fideles quique rederentur inſtructi, vt nihil amplius quæreretur. Sed ſi forſitan ineruditos animos quædam de eorum ſenſibus propoſita commoverunt; ità venerabilium patrum doctrinis, & omnis eorum publicatur inſania, & quibus remediis curetur, oſtenditur, vt ex his Deo præſtante præviſis, cuncta quæ de eorum ſeriè texuerunt, & periculoſa ſectantibus, & ſtulta deprehendentibus eſſe videantur; ita vt ſi quis exiſtimet reluctandum, non * tamen veterum ſententiis contradictor exiſtat; ſed humanæ ſaluti, catholicæque doctrinæ palam ſe, aperteque profiteatur inimicum, quo magis attentiùs pervigil cura paſtorum à ſacris gegibus luporum debet arcere ſævitiam. Num quidquid ovibus ſanctis acciderit detrimenti, præſulum (quod abſit) damnet incuriam; ſicut à regeneratis agminibus nocentium depulſio beſtiarum, cuſtodum præmiis perpetuum procuravit augmentum? Certè ſi, vt magis optamus, falſis hæc rumoribus ſint relata, quantocius deſideramus agnoſcere, vt qui membrorum Chriſti vexatione trepidamus, multò magis de eorum ſtabilitate lætemur. Data 5. Kalend. Auguſti, Albino fauſto V. C. Conſule.

* Fortè addunt.

* Fortè tantùm.

EPI-

EPISTOLA B. GELASII PAPÆ I.

Est inter Gelasii epistolas ordine sexta.

Ad eundem Honorium Dalmatiæ Episcopũ.

Eum non debuisse mirari scribit, quod admonuerit invigilandum, ne iterum Pelagiana hæresis pullularet.

Ex vetusto Codice Vaticano.

Dilectissimo *fratri Honorio*, *Gelasius*, Miramur dilectionem tuam fuisse miratam, curam. Sedis Apostolicæ, quæ more maiorum cunctis per mundum debetur Ecclesiis pro vestræ quoque regionis fide fuisse solicitam. Cumque ad eam perlatum esset, quod quidam per Dalmatias integritatem Catholicam vitiare niterentur; & divinis humanisque legibus ante damnatum Pelagianæ pestilentiæ denuò virùs inferre; non putaverimus vllatenùs differendum, quominus hęc diligentiùs inquirentes, aut si fortasse subrepserant, de proximo sanarentur, aut anxietatem nostram, si falsa probarentur, iactata relevarent; æstimantes meliùs nos videri impatientiùs talia vestigare voluisse, quam crescere dissimulando pernicie. Neque enim vel silentio premere causas huiusmodi, vel differendo fovere deberemus. Cùm dicente Magistro gentium, *solicitudine non pigri:* atque iterum, *qui præest in solicitudine*, reos proculdubiò nos, nisi continuò quæreremus, etiamsi inaniter essent vulgata, convincerent; nec interesset per quos ad aures nostras eadem pervenissent, dummodolibet ista referentibus postquam nostram conscientiam penetrarent, in his veraciter indagandis pastorales excubias esse non oportuerit negligentes; quatenùs vel è vestigio posset lupis inhiantibus obviari, vel nullis existentibus feris, ovium custodia secura persisteret. *Ab his, qui essent Chloes*, Corinthiorum se dissensiones agno-

Sedes Apostolica omnibus Ecclesiis superinvigilat.

Rom. 12.

Hæreses impatientius investigare, est melius quam dissimulando augere perniciem.

1. Cor. 1. 12

noviſſe teſtatur Apoſtolus, confeſtimq́; ſcribere non omittit; vt vel naſcentibus iurgiis pius medicator occurreret, vel de eorum compertâ mox incolumitate gauderet: quod nos quoque litteris, quæ ſuper hâc parte directæ ſunt, indicaſſe reminiſcimur; vt ſcilicet aut inrepentibus obſiſteremus inſaniis, aut ſi nihil horum penitus accidiſſet, de catholicæ veritatis integritate lætaremur. Quapropter non ſolùm dilectio tua noſtrâ non debet vigilantiâ permoveri, ſed præſentis colloquii ſalutatione perceptâ, nobiſcum potiùs induſtriam propriæ ſociare ſolertiæ: quatenus vel ſive tentata ſint talia, protinus corrigantur, vel ne quâlibet obreptione tententur, attentiùs præcavendo ſubintrare non valeant. De quibus autem ii, quos tua charitas deſtinavit, ſi pleniùs inſtrui voluerint, ſequentes tituli cum ſuis reſponſionibus intimabunt: & quoniâ ſe his acquieſcere præfati eatenus ſunt profeſſi, vt eadem ſe & primitùs tenuiſſe firmarent, ſed ante vllius in quæſtionem vocata vellent manifeſtiùs expediri, ſtuduimus quantum inter occupationes fieri potuit, quæ nos minimè reſpirare patiuntur, largiente Domino, ſequentes paterna veſtigia, de talibus, quæ cæpimus non ſilere: quam regulam ſobriè ſentiendi quiſquis fideli corde ſectatur, inter Orthodoxos meritò debeat æſtimari. Quiſquis verò putaverit abnuenda, ab Apoſtolicis ſeſe non ambigat exulare doctrinis. Certè ſi quid eſt quod valeat animum permovere, fraternitas tua conſulere fiducialiter * omittat vt Domini gratiâ miniſtrante, totius diſcutiat obſcuritatis ambiguum fraterna collatio.

* Forte add. non.

EPI-

EPISTOLA B. GELASII PAPÆ I.

Est inter Gelasii epistolas ordine septima.

Ad omnes Episcopos per Picenum.

Tria præcipua Pelagianæ hæresis capita refellit. Primum scilicet, parvulos sine originali peccato nasci. Secundum, hos pro solo peccato originali non damnari. Tertium, Gratiam ad salutem non esse necessariam, illamque secundum hominum merita conferri.

Ex veteste Codice Vaticano.

GElasius *Episcopus vniversis Episcopis per Picenum in* Domino *salutem.* Barbaricis hactenus dolebamus incursibus, maximè vicinas vrbi provincias, & bellorum sævâ tempestate vastari; sed quantùm inter ipsa recentium calamitatum ferventia pericula comperimus, perniciosiorem diabolus Christianorum mentibus labem, quâ corporibus hostilis feritas irrogavit: quod malum principaliter illarum regionum respicit sacerdotes, qui tanta segnitia, tantaq; ministerij dissimulatione susceptì, commissarum sibi negligunt regimen animarum, vt eas etiam ab exiguis quibusq; bestiolis lacerari sub conspectibus suis impunè patiantur: quinimò subrepentes nequitias confovendo, & depravatoribus acquiescendo fidelium, non solum eas minimè retrahant, sed ipsi magis præbeant propria nutrimenta perditionis exemplo. Quid autem tales essent acturi Pontifices, si (quod absit) vel aliqua nova pestis, & primitus ignorata prorumperet, vel ingeniis acrioribus, sensibusq; versutis, aut aliquâ secu-

Segnitiam prælatorum arguit.

Pelagianos insinuat.

secularium doctrinarum peritiâ callidis, sacrilega blasphemiarum dicta promerentur, qui tam veteris erroris detrita commenta, tamque maioribus Ecclesiarum Magistris, quam etiam nostrâ ætate convicta non recolunt, nec refutant, atque ab imperitis stultisq; prolata non respuunt. Gratias omnipotenti Deo agimus, quoniam suorum corda per huiusmodi personas examinat; qui hoc ipsum virus nesciunt quod loquantur. Nam quid facerent populorum præsules sub astutioribus inimicis, qui se subiiciunt libenter indoctis? Quandò vtiq; etiam si tanta erat in rectoribus Dominici gregis prorsus ignavia, vt ne tam vilem hebetemque personam possint vel intelligere vel frænare, potiùs pastorali curâ debuerint à nobis cognoscenda perquirere, quam suasionibus inconsideranter absurdis, facilem submittere voluntatem. Oblatus est enim nobis miserabilis senex Seneca nomine, qui non modo totius est eruditionis alienus, sed ipsius quoque intelligentiæ communis prorsùs extraneus, in Pelagianæ voraginis cœno, sicut de quibusdam in Apocalypsi legimus, velut vnarana- *Apoc. 16. 13*
rum imprudenter immersus, inque illa fæce horribiliter voluntatus, nullatenùs indè qualiter emergere posset inveniens, quia puritatem relinquens Catholicæ veritatis, quanto se per lubricum falsitatis conatur attollere, tanto magis eius lutosis foveis circumclusus obruitur; de illis vnus existens, de quibus *2. Petr. 2. 12*
Petrus dicit Apostolus: *Hi vero velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem; in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua, peribunt, recipientes mercedem iniustitiæ.* Reverà enim sic eius stolidus & obtusus est animus, vt de his venenis, quæ malè hausit & vomuit, nullam rationem vel accipere valeat omninò vel reddere. Sed induratus obcæcatione diabolicâ, sibique iam traditus, cordis sui funestâ sit obstinatione damnatus, nihilque superfit ei, nisi vt Deus
noster, qui dixit, *quæ hominibus impossibilia videntur, apud se* *Luc 18. 27.*
esse facilia, huiusmodi mentem potenti compunctione transfigat, vt secundum beatum Apostolum Paulum, *resipiscat* *2. Tim. 2. 26*
à Diaboli laqueis, quibus captivus detinetur sententiâ divini iudicij. Multa illi quæ de Pelagianis sensibus nec in somnis omninò contigerant, nos magis patefacta prodidimus ea, quæ dudùm convicta fuisse monstravimus. Hæc etiam ipsa, quæ idem proferre videbatur, olim & ab hæreticis Pelagianis

Incontroversis ad sedem Apostolicam recurrendum.

Seneca Pelagianus vir nullius notæ, ac hebes.

Seneca stolidus, & animo obtusus.

glanis in medium producta docuimus, & à Catholicis prædicatoribus competenter elisa, Pelagium, Cælestium, Iulianum, cæteroſque complures oratoriæ facundiæ viros in hâc assertione probavimus fuisse convictos, & tam Ecclesiasticis constitutis, quam Imperialibus etiam percussos fuisse præceptis; proindè istum ferre non posse firmavimus; in quibus illi tales tantique prostrati sunt, qui nec ipsa, quæ ab illis sunt disputata vel intellecta capere, vel eloquio simili possit astruere. Sed vt dictum est, diabolica mens inspiratione possessa, in profundum veniens iam malorum ad remedia nulla consentit. Quapropter de innumeris blasphemiarum generibus, quas auctores Pelagianæ hæresis ediderunt, tria, quæ sibi præcipuè hic senex lugendus ascivit, credidimus non tacenda; vt referata manifestius panderentur, & Deo destruente facilius viderentur eversa. *In veteris*, inquiunt, *matrum opere divino creantur infantes, propterea iustum videri non putant, quod factura Dei sine vllis propriis actionibus cuiquam peccato gignatur obstricta. Iniustumque Deum faciunt, si rei efficiantur, antequam nati.* Hæc velut acutissimum sui dogmatis exerunt argumentum, non advertentes quia primi illi parentes generis humani de nullis vtique genitoribus, sed de innoxiâ limi materiâ procreati, & purè atque syncerè potenter arte divinâ compacti, factique rationales, propriâ voluntate seductorem sequuti diabolum, pravis cupiditatibus per excessum prævaricationis infecti sunt. In quibus vtique humana natura peccavit, & humana est facta natura vitiosa, receptrix sine dubio mali, quod ante nescierat, quæ à bono rectoque deficiens, in affectum mali, pravique recidere, ipso rerum consequentium tramite, manifestum est. Tales igitur effecti Principes nostræ substantiæ, semetipsos passibiles, & corruptibiles reddiderunt; in tantum conditionis divinæ dona violantes vt mortis fuerint vltione puniti. Hâc enim die fuisse mortuos, quâ mortales effecti sunt, ambiguum non habetur: proindè quicquid isti genitores de suo germine protulerunt, opus quidem Dei est, secundum institutionem naturæ; sed non absque contagio illius mali, quod suâ prævaricatione traxerunt: & vtique hoc idem ipsius mali contagium, certum est

Authores Pelagianæ hæresis, facundi.

Pelagianorum authoritas.

Prover. 18. 3.

Præcipuum argumentum Pelagianæ hæresis.

Quâ die mortui primi parentes.

opus non esse divinum. Itaque non ex creatione Dei est vitium quod voluntario motu natura collegit; sed etiam de vitiata per semetipsam natura Deus institutionem suam quidem suæ creationis exequitur; sed creatio profert vitium, quod non ex institutione creatoris accepit, sed quod ipsa perlapsum transgressionis suæ assumpsit. Nam si ipsi primi homines ex nullis, vt dictum, est, parentibus nati, & sine vllo formati contagio, perambitum præsumptionis illicitæ semetipsos depravare potuerunt, & in opere Dei opus diabolicæ fraudis annectere; quid mirum; si iidem depravati protulerunt sobolem depravatam? Nonnè etiam cùm Deus vtique liberam condiderit humanam suâ creatione substantiam, etiam apud humanas tamen leges extrinsecus accedens servitus naturaliter eam reddit obstrictam, & obnoxiam? Origine generantur obnoxii, & ex conditione servili gignuntur addicti; & nascendo fiunt prius obligati, quam geniti. Si hoc agitur de rebus extra naturam positis, quanto magis de his provenire non mirum est, quibus ipsa humana substantia depravata cognoscitur? Ac per hoc, sicut se ipsa humana substantia de institutione syncerâ actuum reproborum rea fecit voluntate pollutam, sic edidit sobolem, atque progeniem naturæ suæ ex actuum suorum reâ voluntate maculosam; quia huiusmodi genuit prolem, cuiusmodi se ipsa reddidit prævaricationis excessu. Ideoque non solum de se profert quod benè Deus instituit, sed etiam quod malè ipsa inconsequenter adiecit. Quemadmodùm autem qualitas interior appetendi valet immutare naturam divinæ lectionis auctoritate firmatur? Sic denique pascendi Iacob, commissus ille grex ovium, suppositâ canalibus varietate virgarum dum potat, illectus affectionali delectatione, concepit, quod non habuit in natura, & * molitum sensibus transfudit in prolem, quod in creatione non sumpsit: quod tunc vtique figuraliter gestum, & in Ecclesiasticis significavit gregibus hoc futurum, & Pelagianorum Deus prævidens calumnias, & excitandas fidelibus suis decertationes, intelligentiam præparavit. Docent divina testimonia, & ipsa Ecclesiastica sacramenta, & ab

Libertas est naturaliter ex Dei creatione.

Servitus est ex legibus humanis.

Quemodo vis appetitiva naturæ valeat immutare.

* Fortè inolitum.

Genes. 30. 38. & 39.

ipso

ipso Domino salvatore Catholicorum traditio Magistrorum humanæ generationis decolorata primordia. Hinc est quod clamat Propheta: *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum esse à peccatis? Nec infans, cuius est vnius diei vita super terram.* Hinc est, quod item dicit scriptura: *Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Et alibi, *quia semen*, inquit, *erat maledictum*; necnon etiam David Propheta testatur: *In iniquitatibus conceptus sum; & in delictis peperit me mater mea*; & si hoc ille dicit: Quis aliter se asserat procreatum? Beatus Apostolus quoque Paulus asserit. *Et nos aliquandò eramus natura filii iræ sicut & cæteri.* De quâ irâ in Evangelio dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, habebit vitam æternam: qui autem non crediderit, iam iudicatus est, & ira Dei manet super eum.* Illa vtique de quâ dictum est, *morte morieris.* Ipse Dominus Iesus Christus cœlesti voce pronuntiat: *Qui non manducaverit carnem filii hominis, & biberit sanguinem eius, non habebit vitam in semetipsum*; vbi vtique neminem videmus exceptum: nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc sacramento salutari ad æternam vitam posse perduci; sine illâ autem vitâ, in perpetuâ futurum morte non dubium est. Cur igitur infans hâc sorte concluditur, si nullum habet omninò peccatum? Magisque videbitur (quod absit) iniustus Deus, si illic infligatur pœna, vbi nulla sit culpa. Vndè cùm de propriis actibus nullo reatu teneatur obstrictus; nihil restat nisi vt sola sit vitiosæ nativitate pollutus; & si non fuerit mysterii Christiani participatione mundatus, ad vitam non potest pervenire perpetuam. Hinc est quod exsufflantur, & catechizantur infantes: & quia in opere Dei, * quod in auctore suo benè iunt instituti opus diabolicæ malignitatis accessit, *eruti de potestate tenebrarum* (sicut docet Apostolus) *ad filii Dei sortem*, purgationemque legitimam transferuntur. Nisi autem prima generatio, quam bonam Deus instituit, prævaricatione venisset in culpam, & reprobabilis esset effecta; secunda generatio subroganda non fuerat, propter quod dicit Beatus Paulus Apostolus: *Sicut per vnum hominem peccatum intravit in mundum,*

Prov. 20. 9. Iob 14. 4. iuxta 70. Ibid. iuxta vulgatam. Sap. 12. 11 Psal. 50. 7. Eph. 2. 3. Ioan. 3. 36. & 18. Gen. 2. 17. Ioan. 6. 54. Coloss. 1. 13 & 11. Rom. 5. 12.

An Deus punire possit, vbi non est culpa.

Infantes cur sufflantur & catechizantur.

Fortè, quos.

dum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, & paulò post: *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Sicut autem *omnes in condemnationem* dicit, vtique qui de Adam parente sunt geniti, sic *omnes in iustificationem vitæ* non nisi illos adstruit, qui in Christi mysterio sunt renati. Innumeris talibus instrumentis hæresis Pelagianæ doctrina mortifera, & à nostris est convicta maioribus; & nunc eorum copiosâ potest eruditione convinci: nec debent simplices animos ista turbare, quibus, quæ non intelligunt, secundum Ecclesiasticam formam credidisse sufficiet; aut si quis nosse desiderat, interrogare conveniet. De parvulis autem, quod asserit sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari satis impia, satis profana propositio est: quamvis enim recentes ab vtero matrum in remissionem peccatorum baptizari nullus Christianus ignorat, quod vtique non fallaciter, sed veraciter Catholica celebrat Ecclesia, ne in sacramentis cœlestibus (quod absit) mentita videatur; proindè quia propria non habeant vlla peccata; constat * eius sola prorsus originalia relaxari. Itaque omnibus etiam solis remissis vitam per baptismum consequuntur æternam; consequens est, vt solis etiam non remissis, ad æternam vitá pervenire non possint. Vnde & Dominus, sicut superiùs diximus, ait (quod vtique nisi baptizatis non convenit) *Qui non manducaverit carnem filij hominis, & biberit sanguinem eius, non habebit vitam in semetipso:* sine vitâ autem esse perpetua quid est nisi in sempiternâ morte constitui? * Quamvis idem sit regnum cœlorum quod æterna vita: tamen vt providentia Dei omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solùm dictum est: *Qui non fuerit renatus ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum*; sed etiam pariter dictum est: *Qui non manducaverit carnem filii hominis, & biberit sanguinem eius, non habebit vitam in semetipso.* De vita autem æterna hoc dictum nullus addubitat; quoniam multi non manducantes hoc sacramentum, vitam habere videantur præsentem. Nihil est ergò quod non renati infantes tantummodò in regnum cœlorum ire non valeant; non autem

Secundum caput Pelagiana doctrinæ.

* *Fortè vis.*

† *Fortè addendum. Et*

Ibid. 18.

Ioan. 6. 54.

Ioan. 3. 5.

quem perpetuâ damnatione puniantur; dum ſine baptiſmate corpus & ſanguinem Chriſti nec edere valeant nec potare: ſine autem hoc, vitam in ſemetipſis habere non poſſent; ſine vitâ verò non niſi mortui ſint futuri. Dicant igitur in morte perpetua conſtituti, ſi non æſtimentur eſſe damnati: tollant ergò de medio, neſcio quem ipſi tertium quem decipiendis parvulis faciunt locum. Et quia non
Mat. 25.33 niſi dextram partem legimus & ſiniſtram, non illos faciant in ſiniſtrâ regione ſine baptiſmate remanere, ſed baptizatos ſinant ad dextram ſalutarem ſacrâ regeneratione transferri. *An detur tertius locus.*

Tertio capitulo iam toto mundo cognita, atque convincta Pelagianorum deliramenta * circumferre, quibus dicunt quod homo per liberum arbitrium, quod corrupit, fœdavit, ac perdidit, bono ſuffragante naturæ beatus efficiatur, cùm de beatitudine paradiſi, vbi bona fuerat conſtituta ſubſtantia, niſi ſuo amiſſo bono nullatenus potuiſſet expelli, vnde mortalis effecta quia de bono vtique prævaricatione tranſiſſet ad malum; & à participatione divinâ ad diaboli ca ſemet facinora contuliſſet: ideò deceptori ſuo, cui volens aſſenſerat, competenter addictus; ideò de fælicitatis ſuæ
Geneſ. 3.18 charitate ſecluſus, atque ad *ſpinas & tribulos*, miſeriaſque multiplices cœleſti voce damnatus eſt; quæ vtique pœna iuſti iudicii tam gravis & aſpera in bono perſeveranti nullatenus eſſet inflicta; & niſi malo, non convenienter illata probaretur. Ecce ſine divino ſuffragio, * quod in illâ beatitudine poſitus nunquam legitur expetiſſe; † non ſolùm homini naturale bonum prodeſſe non potuit, non ſolùm non effecit beatum; ſed cum hoc ſolo confidit, atque ad eius non revertitur largitorem, & beatitudinem potius amiſit, & malorum omnium ſumpſit exordium. Quod autem libero arbitrio beatitudinem * conſequantur, quo malè vſus in
Iob. 8.34. perpetuam recidit ſervitutem, ſicut ſcriptum eſt: *Qui facit*
2. Pet. 2.19. *peccatum, ſervus eſt peccati, à quo quis ſuperatur, huic & ſervus addicitur.* * Nonne hæc eſt illa præſumptio naturalis, quæ
Eccleſ. 40.1 ad deteſtandæ captivitatis iura deſcendit; quam ſcriptura ſacra ſic memorat: *Grave iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium*; de quâ genus humanum non niſi ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus commercio ſuæ redemit paſſionis, & mutatâ natiuitate nos eruit. Solus vtique *venit quærere & ſalvare quod perierat*

Tertium caput doctrinæ Pelagianæ.

† *Fortè circumfert.*

Miſeria humani generis ex peccato.

† *Fortè Parentheſis.*

† *Forte conſequatur.*

rierat, vt libertas, quæ per temerariam fuerat deiecta superbiam, instauretur reparata per gratiam: mutuaque vice, humanæ voluntatis arbitrium, sicut sequendo diabolum, captivitatem meruerat sempiternam, sic reformatæ subsequendo libertatis auctorem, amissum rediret ad præmium. Hinc est quod ipse Dominus ait *Cùm vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et Apostolus beatus Paulus exequitur: *cùm servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ*, id est alieni à iustitiâ; *liberati autem à peccato, servi facti estis iustitiæ*, & iterum idem ipse: *libertatem*, inquit, *quâ vos Christus liberavit.* Nonne ipse vas electionis affirmat, & dicit: *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate*; ne etiam in mala voluntate, & velle & perficere Deus putaretur operari. Illud autem Pelagianorum peculiare virus est, olimq; detritum, quo putant *gratiam Dei secundum merita hominum posse conferri*; quod absit, à mentibus Christianis cùm testetur Apostolus: gratia est quæ gratis datur. Alioquin *si ex operibus gratia, iam non est gratia*, quia merces redditur non gratis, vnde gratia nomen accepit, impenditur. Quis autem audeat dicere Christianus, aliquid habere boni sine gratia? quandò magister gentium clamat, cuncta breviter in se dona concludens: *gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit*; vt ostenderet, quia donum gratiæ non ipse præcesserit, sed fuerit subsequutus, atque monstraret cooperatorem se esse gratiæ subsequendo: *sed plus omnibus*, inquit, *illis laboravi.* Ac rursus veritus ne de se præsumere videretur adiunxit: *non ego, sed gratia Dei mecum.* Non dixit, ego & gratia Dei mecum, sed præposuit gratiam præcedentem se atque subiunxit. Quid autem haberi possit sine gratia, cùm sit fides ipsa per gratiam? eodem Apostolo nos docente: *Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem.* Nec aliud est misericordia divina quam gratia. Audiamus etiam quemadmodùm informat Ecclesiam: *Gratia*, inquit, *salvi facti estis per fidem*; vt principium salutis & fidei à gratiâ cæpisse differeret, sicut secutus annectit: *& hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne quis extollatur*; idem ipse alibi generaliter & absolutè pronunciat, dicēs: *Quid enim habes quod non accepisti? Aut si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quis sufficiet singula recenlere? Quibus evidenter apparet non naturalis libertatis arbitrium gratiam promereri, sed potius per gratiam recipere, vt à servitute, quâ peccando meruerat, misericorditer absolutū esset, huius sacramenti

Deus in malâ voluntate non operatur velle & perficere.

Gratia præcedit, nos subsequimur

Ioan. 8. 36.
Rom. 6. 20.
Ibid. 18.
Galat. 4. 31
Philip. 2. 13
Rom. 11. 6.
1. Cor. 15. 10.
Ibid.
1. Cor. 7. 25 & 1. Timot. 1 13
Eph. 2. 8.
Ibid.
1. Cor. 4. 7.

menti redemptione ante mundi principium sempiterna providentia præparati sive nondum prolatâ lege seu sub observatione legali, figuralibus signis atque sacrificiis omnium sanctorum virorum fœminarumque sanctarum vetus origo mũdata est, vniversisque iustis per gratiæ spiritum hoc de longè adorando mysterio salutis æternæ remedia contigerunt, cuius in Christo manifestata gentibus plenitudo, mundum purgat, & renovat, beatitudinisque perpetuæ verè facit esse participes. Quapropter nimis incusamus fratres, & coepiscopos nostros, maximè per Piceni provincias Ecclesiam Domini gubernantes, qui non solum ineptissimi senis, abiectæq; personæ pravum non deterruere colloquium, verum & suo nutrivere consensu. Quis audiat? quis ferat, passos esse pontifices, vt cadaver nescio quod indignum, præsbyterum sibi non acquiescentem audire, communione privaret? quomodò talis vel susceptus ab aliquo, vel patienter auditus est? qui insuper leges dedit, libenter exceptus, vt servi Dei cum puellis sacris cõgregatione dedecorosissima miscerentur? nã cum spirituales animi, etiã cum desint ista consortia, imaginarijs infestentur illecebris quẽadmodũ alterni sexus intuitu, qui illicitè nolentes non vehementius incitentur? Adhuc maius scelus accrescit, vt sub cõspectu & præsentia sacerdotũ, beatæ memoriæ Hieronimum atque Augustinum Ecclesiasticorum lumina magistrorum; *muscæ morituræ*, sicut scriptum est, *exterminant oleum suavitatis*, lacerare contenderet. Sed quid miremur Ecclesiarum præsules ista negligere, quos, sicut à multis audivimus, contra canones omnia gerere, & contra Apostolicam disciplinam passim cuncta miscere, manifestum est; non servatis regulis ordinare, licitèque non solùm Monachos, sed etiam ministros Ecclesiæ cum fœminis ad peregrina migrantes remeare rursus & ab aliis Episcopis in militiam provehi clericalem? Quæ cùm singula toleranda non sint, quis sustineat tot & talia facinora perpetrari, quibus spectaculum Gentilibus, Iudæis, & hæreticis non immeritò præbentes, in ipsum (quod absit) tendere videatur religionis excidium? dignèque ista facientibus aptabitur illa sententia dicentis Apostoli: *Nomen enim* Dei *per vos blasphematur in gentibus*. Sufficiat igitur hactenus fuisse hæc commissa, & vt placetur Deus humanis rebus, sollicitius divina curentur. Nusquàm loci

Seneca vilis senex.

Seneca tenitas præsbyterum excommunicare.

Viros non esse congredos cum fœminis.

Laus Hieronymi & Augustini

Eccl.10.1.

Excessus in Piceno.

Isa.52.5.
Rom.2.24.

BEATI
GELASII
PAPÆ I.
OPVSCVLVM

Adversus Pelagianam hæresim.

Demonstrat hominem non vivere sine peccato, & dictum Apostoli:
1.Cor.7.14 *Vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem, &c. mysteriumque Resurrectionis declarat.*

DE Pelagianis quidem sensibus, blasphemiisque sacrilegis, & apud maiores nostros tàm divinis quàm humanis legibus, iustâ discussione damnatis, nimis est copiosa materia; quia & illorum est multiplex pernicioſa perversitas, eoque nocentior, quo verisimilitudinis colore subtilior; quàm de ipsius humani generis principe, pravo funestoque commento, non ritè conceptam, rerum consequentium mendaciis texuerunt. Necesse est enim, vt qui à principio deviarit ab integro tramite, vagus vbique progrediens, quanto se currere fortius putet, tantò plus erret; & in his vt competit refutandis, disputatio prolixa debeat adhiberi: quoniam quidem perfectæ medicinæ mos est, originem vel intelligere priùs, vel reserare morborum; eisque patefactis medelam conficere congruentem; quæ cuncta, si Dominus vitam facultatemque tribuerit, in quantum cœlesti rore vegetati valebimus, aliàs moliemur explicare. Nunc autem hunc articulum, qui quosdam movere perhibetur, sufficiēter interim duximus explicandum; vt eodem convenienter inspecto, quod in cæteris cavere iam debebant, Domino Deo nostro præstante perpendant. Æstimant igitur quidam in hac vita posse quemquā hâc perfectione consistere, vt nullis prorsus fragilitatis humanę *Ex vetusto Cod. var.*

manæ pulsetur affectibus, nec corporeis exagitetur illecebris: quod quisque si propriis viribus, suæque proposito voluntatis existimet adipisci, *semetipsum seducit, & veritas in eo non est.* 1 Ioan. 1. 8
Nam si in ipsis primis hominibus, dùm suâ nimium felicitate confidunt, & tantùm *Dei gratiam in vacuum recipientes*, non 2. Cor. 6. 1.
orando (quod vtique nusquam fecisse referuntur) nec de perceptis gratias referendo; nec vt eadem intemerata durarent, suppliciter implorando incolumes constare nequiuerunt: quanto magis post prævaricationis ruinam, in quam mala sui confidentia creatorem nullatenus inquirendo, lethaliter inciderunt, absque divino munere suis viribus ægri stare non possunt; sine quo nec integri persistere valuerunt. Sin verò quisquam non possibilitate facultatis humanæ, sed per divinam gratiam hoc asserat in hac vita quibuslibet sanctis posse conferri, benè quidem facit (nam dono Dei cuncta possibilia sunt) talia confidenter opinari, & sperare fideliter. Sed vtrùm aliqui tales extiterint, qui vsque ad hanc perfectionem vitæ præsentis accederent, sicut nusquam evidenter astruitur, sic nos facilè vel firmare vel impugnare non convenit; magisq; sobrium est, ex ipsorum vocibus Prophetarum, Apostolorũq; sanctorum, quatenùs, huius vitæ profectum metiri debeamus agnoscere, quibus vtique in hoc mundo, quantum ad sanctæ vitæ pertinet institutum, nihil excellentius vel fuisse, vel esse manifestum est: qui etiamsi copiosiore Dei munere vel rarius omninò vel minùs humanæ conditionis passionibus impetiti sunt, & affluentiore Dei gratia mortalitatis vitia facilè superarunt; non vsque adeò tamen expertes eorum se fuisse testantur, vt scilicet illius immaculati agni sit proprium, nullum prorsus habuisse peccatum, ne non soli videatur esse deputandum si alius quilibet sanctus expers delicti fuisse credatur. Contenti simus ergò professione sanctorum; & quid de se ipsi magis pronuncient, audiamus, quàm quid vel temerè cogitandum sit, vel nostris opinionibus ventilandum sine certâ auctoritate sectemur. Cur autem, cùm Deus omnipotens post mysterium reparationis humanæ etiam id homini conferre potuerit vt ab omnibus omninò vitiis esset immunis, maluerit fideles suos † salvos fieri, & expectare perfectæ beatitudinis firmitatem, vt quod sperando desideramus, rebus possimus adipisci: censuerintque nunc *perficere in infirmitate virtutem* 2. Cor. 12. 9

Cur à peccato post reparationem humani generis immunes non simus.

† *anxios.*

quam

quam remotis humanis infirmitatibus humanam conditi o nem nullâ ſinere languoris exagitatione pulſari: Quantùm Dominus miniſtrarit, vt competit, diſſeretur ſcripturarum teſtificationibus, contra quarum tenorem nihil eſt temerè profitendum ſuper his ſenſibus erudiri. Conſtat in ipſo primo homine Chriſtum & Eccleſiam figuratam, beato Paulo Apoſtolo nos docente, cùm de fœdere ſancti coniugij loqueretur;
Epheſ. 5. 32 *Sacramentum hoc*, inquiens, *magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Itaque iam inde vt ſanctorum quiſque proceſſit, in huius ſacramenti figuratione cenſitus eſt, & hoc myſteriũ omnes ſancti ab Abel ſuis ſacrificiis, actionibuſque geſſerunt. *In Chriſto* ergò *& in Eccleſia*, in quâ vtique generaliter præcondita eſt remiſſio peccatorum, fideles quique Deo, ſanctique vixerunt; & vſque ad legis tempora per Moyſen datæ certis ſunt ſacrificiis in haius myſterii virtute purgati. Quapropter ſi egerunt omnes myſticis immolationibus inceſſabiliter expiari, non dubium eſt vitiis humanæ conditionis fuiſſe pulſatos; à quibus eos per illa remedia futuri ſacramenti neceſſarium eſſet inceſſanter abſolvi. Iam verò legis tempore neminem fuiſſe ſanctorum, qui non hoſtiam obtulerit pro peccato, lectio veneranda teſtatur: In tantùm vt etiam Pontifices ſic apud Deum cauſas agerent populi tunc fideles,
Heb. 5. 3. vt ipſi quoque pro ſuis delictis hoſtias immolarent, paſſimque vniverſi prophetæ proclament peccatis ſuis veniam poſtulantes. Inde eſt, quod ſanctus Iob dicit: *Nemo mundus à*
Iob. 14. 4. ſexta 70. *ſorde nec infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram*, idemque
Iob. 15. 15. alibi: *Aſtra non ſunt munda in conſpectu tuo*: Prophetæ quoque
Pſal. 142. 2. David de generalitate ſanctorum certa definitio prælata cognoſcitur, quæ ait: *Ne intres in iudicium cum ſervo tuo: quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*; vbi vtiq; neminem prorſus hominum diſcreviſſe perſpicitur, ſicut idem planius
Pſal. 31. 5. & 6. hoc ipſum loquens manifeſtiuſque declarat: *Dixi pronunciabo adverſum me iniuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati cordis mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Qui vtique non poterat non ſolùm ſub lege ſanctus eſſe, ſed in futura Dei gratia eminctioris propoſiti poſt futurus. Vnde quod ait *In tempore oportuno*, non ſine rerum venturarum cognitione ſubiunxit: etiam & in oratio-
2. Par. 6. 36 ne ſua ſapientiſſimus Salomon: *Non eſt homo qui non peccavit,*

& item ipſe : *Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor ; aut mundum ſe eſſe à peccato ?* Sed ne putentur illorum temporum ſancti ab hac impaſſibilitate forſitan excipiendi, quoniam conceſſis à Deo coniugibus vtebantur, quàmvis & beatus *Elias paſsibilis fuiſſe* memoretur : quemadmodùm cõſequentia declarabunt : & ſanctus Propheta Daniel non ſolùm pro populi, ſed & pro ſuis peccatis perhibeatur oraſſe, ſicut ipſe dicit : *Cùm orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo.* Tandem veniamus ad Beatos Apoſtolos, & dicat Beatus ille Iacobus ; qui cum omnes vtique iuſti eſſent Apoſtoli, propriè atque ſpeciatim iuſti viri prærogativam legitur aſſecutus : *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quia cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam reprom ſit Deus diligentibus ſe.* Et item poſt paululum : *Vnuſquiſque autem tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus : deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Item idem ; *in multis enim offendimus omnes.* Idemque ſequutus adiunxit : *Et Elias homo erat ſimilis nobis paſsibilis.* Dicat Beatus Petrus Apoſtolus : *Charisſimi rogo, vt quaſi incolæ, & aduenæ abſtinetis vos à corporalibus voluptatibus, quæ militant adverſus animam:* Et iterùm : *Nolite mirari ad feruorem, qui ad tentationem vobis fit ; quaſi noui aliquid vobis contingat.* Item poſteà : *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, quaſi leo fremens ; circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite in fide: ſcientes eaſdem paſsiones in omni quæ eſt in mundo fraternitate veſtra fieri,* à qua fraternitate nimirum ſe ipſi fidelium ſæpè cunctorum fratres annuntiant ; nec ſuam probantur diſceviſſe perſonam. Dicat Beatus Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta ille, qui in pectore diſcubuit Salvatoris : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos metipſos ſeducimus ; quia veritas in nobis non eſt, quod ſi confeſsi fuerimus delicta noſtra, fidelis eſt & iuſtus, qui dimittat nobis peccata & mundet nos ab omni iniquitate.* Item quod *ſi dixerimus, quia non peccauimus, mendacem faciemus eum, & verbum eius non erit in nobis.* Dicat idem, *Hæc ſcribo vobis vt non peccetis, ſed ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe propitiatio peccatorum noſtrorum, non tantum noſtrorum, ſed & totius mundi.* Item ipſe. *Omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis*

Prov. 20. 9.
Iacob. 5. 17.
Dan. 9. 20.
Iacob. 1. 12.
Ibidem 14. & 15.
Iacob. 3. 2.
Iacob. 5. 17
1. Pet. 2. 11
1. Pet. 4. 12.
1. Pet. 5. 8. & 9.
Ioan. 11. 10
1. Ioan. 1. 8. & 9.
Ibidem 10.
1. Ioan. 2. 1 & 2.
Ibidem 16. & 17.

carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio saeculi, quæ non est à Patre; sed ex mundo est, & mundus transit, & concupiscentia eius: qui autem fecerit voluntatem Domini, manet in æternum. Veniat *minimus Apostolorum*, sed *vas electionis* Dei: veniat *magister*
2. Cor. 12. *gentium* Paulus prædicator divinæ gratiæ singularis, &
2. & 4. mysterii cœlestis copiosus expositor, ille qui verba ineffabilia sive in corpore sive extra corpus nescíens, in tertium cœlum
1. Cor. 15. 9 levatus, audivit: qui tanta gratia redundavit, vt cum omniũ
& 10. esset postremus, plus omnibus laboraret, & qui non solùm fidelibus insinuet quid super hac parte sentiret; sed etiam quid de se ipso pronunciet, liberè veritatis doctor annuntiet. Et quoniam longum est cuncta quæ ad hanc causam pertinẽt, dicta revolvere; ponantur pauca de multis, ex quibus nobis
2. Cor. 12. 9 sufficientissimè demonstretur, magis nos cum Paulo debere infirmari, vt habitet Christus in nobis, quàm cum quolibet aliter sentiente quàm Paulus, fortes videri; & velut (quod
Rom. 7. 18. absit) Christi remediis non egere. Ait ergò *Scio enim quia non*
19. & 20. *habitat in me, hoc est, in carne mea bonum, nam velle adiacet mihi; perficere autem bonum, non invenio: non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio,*
Ibidem 22. *iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Item; Con-
& seq. *delector enim legi Dei, secundum interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, ac captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum* Quare se igitur *miserum hominem* appellat? quare se gaudet *per Christi gratiam de mortis corpore liberari*, si nullis affectibus humanæ miseriæ pulsabatur; si nullis infestabatur, ex quibus liberaretur incursibus? Item
Gal. 5. 17. idem, *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*; hæc enim quæ vult spiritus perficit, * ne deperfe- *Forte nec enim.*
ctione superbiat, & idem: non perficit caro quæ vult, vt sic humanæ conditionis admoneat.

Ne tamen vsquequaque propositum fidele demergat; ac ne forsitan vt solent quidam vanis opinionibus arbitrari, quod hæc Beatus Apostolus Paulus sub alterius nescio cuius perso- *Non est vera dignitas*
na pronunciet, quàm de se ipso fateatur; quàmvis nihil illic
Rom. 7. 24. tale valeat prorsus ostendi, tamen cùm ait: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis è gratia Dei per Iesum Christum*, tàm *quæ apparet esse.*
& 15. gentilis quàm Iudæi remota probetur esse persona. Audiamus

tamen

tamen hunc alibi, quasi se manu propriâ designantem, ac semetipsum specialiter indicantem: *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*, & item de seipso. *Castigo corpus meum, & in servitutē redigo, ne qui aliis prædico ipse reprobus efficiar.* Quis igitur non advertat, quid interesse potuerit quod membra sua castigando refrenaret ne reprobus existeret, si nullis talibus stimulis pulsaretur, quòd negligendo, & non corporis sui castigatione subigendo, reprobus esse potuisset? Quapropter cùm hæc & Apostoli de semetipsis professi fuisse monstrentur, qui etiam si ista minimè prodidissent, procul dubiò tamen omnes orationem Dominicam, & necessario prædicarent, & veraci corde proferrent, quâ quotidie supplicantes dimitti sibi sua debita postularent, & ne in tentationem inducerentur orasse, & vt à malo liberarentur, suppliciter imploraſſe doceantur propter quod etiam Beatus Ioannes Apostolus, quod supra iam dictum est, intelligitur edidisse, dicens: *Si dixerimus nos peccatum non habere mendacem faciemus eum* (Christum scilicet) qui hanc orandi formam suis discipulis condidisset, in qua vel quotidiani debiti relaxatio proveniret, & ne in tentationem inciderēt, implorarent, vel vt à malo liberarentur expoſcerent, si nihil esset omninò quod aut debitum prægravaret minimè relaxatum, aut tentatio posset inferri peccati, aut nullum à quo liberarentur malum prorsus existeret. Hic autem quosdam monet surripiens illusio dormientium, quasi non gravior æstimata sit concupiscentia vigilantium. Quàmvis enim & insolentia corporalis frequentius refrenanda sit vel castigatione ieiunii, vel ciborum frugalitate sumptorum, ne materia præbeatur humanis sensibus phantasticæ voluptatis imaginatione fallendis, vel magnis hoc de miseratione divina sit precibus implorandum, vt ab illecebrosis visionibus sopitę mentes reddantur immunes: Tamen sive hæc incontinenter agentibus sive viventibus continenter eveniant, certè si quis est, minor reatus est nascentium quam carnalis operis appetitu, palam aperteque cupientium. Denique licet non parvo Dei munere potiatur quisquis, aut nullis talibus, si fieri potest, aut perraris pulsatur insidiis, nusquam legimus in culpam vocari phantasmata somniorum, sed planè ipsius Domini voce non ignoramus esse depromptum; quod *quisquis mulierem viderit, ad concupiscendum*, quod eandem sit suo corde mœchatus, vbi consequenter reatum subesse non dubium est. Ideòque tàm iugi supplicatio-

Phantasmata somniorum non sunt peccata.

1. Cor. 9. 27

Ibid. 25.

Mat. 6. 12. & 13.

1. Ioa. 1. 10

Mat. 5. 28.

plicatione, quam eleemosinis, cæteriſque bonis actionibus expiandum eſt. Non enim vacat myſterio quod dictum eſt: Omnia per eleemoſynam poſſe mundari, cùm ait Dominus, dùm de internis, externiſque figuraliter purificationibus loqueretur: *Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam; & ecce omnia munda ſunt vobis.* Sed etiam illud quod *charitas cooperiat multitudinem peccatorum*, vt ſcilicet quicquid in ſynceritate corporis, & mentis attrahitur, rationalis pietatis opere deleatur. De beatis autem, ſicut ſupra iam diximus, Apoſtolis tantùm debemus noſſe quę ipſi de ſua converſatione ſentiri propriis vocibus ediderunt. Quæ verò tacita ſunt ab eis, nulla nobis relinquetur licentia perſcrutandi. Sed iam diligentius veſtigemus, cur hæc poſt reparationem quoq; generis humani, renovationemq; naturæ, quæ fit per baptiſmatis ſacramentum; nõ ſolùm hæc vitia ſublata non fuerint, ſed ipſos etiam in magnæ continentiæ propoſito conſtitutos ſive minus, ſive amplius provt quiſquis gratiâ divinâ diſpenſante profecerit, tamen infeſtare non deſinant, cur relicta ſint, contra quæ mens religioſa pugnaret. Et licet iam ſalvati per fidem, ſpem redemptionis acceperimus, adhuc tamen *expectetur*, ſicut ait Apoſtolus, *redemptio corporis noſtri*, & cum myſteriis cœleſtibus iam renatis pignus ſit adoptionis ingenitum, perficienda deinceps ſuſtineatur adoptio, vt ſcilicet deficientibus iiſdem vitiis contra quæ nobis in hoc tempore, continuâ dimicatione ab hac neceſſitate liberati, quod fide ſuſcepimus, quod ſpe propoſitâ ſuſtinuimus, ipſarum rerũ deſideratis affectibus aſſequamur, quatenus hac incurſionum peſte prorſus exuti, tranquillâ ſemper ſanctificatione vivamus, quod in illâ futura beatitudine promittitur eſſe complendum, *cum* ſicut ait Apoſtolus: *corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem*, atque animale corpus ſpiritualem ſumpſerit dignitatem. Igitur dubium non eſt, ſuperbiam ſuper omne eſſe peccatum; quippè de qua ſcriptum eſt, *Initium omnis peccati ſuperbia.* Quod tantum malum eſt, vt ſingula pravè facta in hoc ipſo quia prava ſunt cenſeantur eſſe damnanda, ſolaque ſit ſuperbia, quæ & in benefactis periculoſa doceatur: hæc eſt, quæ non tantùm animal rationale in terris poſitum conſtare non ſinit, ſed Angelicam quoque deiecit

Luc. 11.41. 1. Pet. 4.8. Rom. 8.23. 1. Cor. 15. 53. & 54. Eccl. 10.15

Superbia ſuper omne peccatum.

infesta naturam. Nam cùm Deus omnipotens, qui fecit omnia *bona valde* cuncta suis modis, & congruis ordinibus instituta condiderit, eaque propriis concesserit vel manere, vel proficere posse mensuris; hic rationabili creaturæ subrepsit affectus, qui per id, quod decentius facta cõsisteret, plus ei de propria dignitate confidere, quã sicut modus eius poscebat, de ipso collatore dignitatis ingessit, atq; ita aliter, appetendo sui culminis firmitatem, quam competens eius & decens norma requireret, fecit eam præter ordinem naturalem capiendo fastigium meriti potioris erumpere; qui excessus vtique sicut reatum intulit excedenti, sic iustitiam conditoris, contra cuius ordinem tendebatur, offendit: & dùm ab eo tenore cessatur, quo solo proficeretur ad summi boni perrenne consortium, consequenter, qui ad eius stabilem participationem pervenire non posset, defectus accesit, sicut creaturæ rationalis vsibus congruebat. Nam Angelos ad profectum conditos promerendæ stabilitatis æternæ, illa res indicat, quoniam si sic facti essent, vt vlterius nihil egerent, nulla pars eorum vllum potuisset habere defectum: non enim in eis diversam naturam fuisse dicendum est, ne ille, qui propriâ voluntate prolapsus est Angelus, excusaretur, si hoc illi non suæ protervitatis ingessit arbitrium, sed necessitas sibi inditæ conditionis imposuisse videatur. Vnde ergò beati & sublimes Angeli de perceptis grati, piæ devotionis officio, & non seipsos, sed potiùs ipsi præferendo conveniente auctorem, ad eius perpetuitatem proficere provehique meruerunt: Inde isti qui reprobi sunt de perceptis, consequenter ingrati, debitumque dissimulantes obsequium, seque ipsos magis, quàm qui tantæ dignitatis substantiam condiderat præferre molientes; & delectatione suæ creationis illecti à creatoris honore cessando; quanto arroganter elati, tanto æternitatis rectitudinem per irreverentiam non sequendo, ab eius pariter & indignatione, & participatione retracti sunt; & ab eo quod sempiternum est recedentes in id quod semper deficit, sunt reducti: quod præstante Deo nostro, aliàs confidimus plenius exequendum. Nunc interim quantum præsenti negotio sufficit, hæc illa causa est, hoc illud malum, per

Gen. 1. 31.

per quod etiam ſine vitio corporali quandam ſpirituali fornicatione motus Angelus à divina quâ illuſtrabatur gratiâ & participatione delapſus eſt ; eoque modo degener factus ac de cœleſti ſede pro hac ſua decoloratione ſecluſus, ſecundæ conditionis imaginem Dei per invidiam flammatus evertit. Iiſdem motibus aggrediens in ſecuritate degentem, quibus de ſummis ad ima malè confiſus ipſe deciderat ; hinc illa felicitas paradiſi primis hominibus conſtare non potuit : hinc illa primæ conditionis integritas, dùm ita de ſe fidit, tanquàm ipſo qui condiderat non egeret nec de perceptis agit gratias, quod nuſquàm feciſſe memoratur, nec de conſervandis quæ ſumpſerat, poſcit auxilium; nec ad eum etiam pulſata tentaroris acceſſu devota concurrit, & conſulit, ſuæque ſe credit inter proſpera voluntati, facilè ſine præſidio creatoris patuit deceptoris inſidiis, & in prævaricationem fracta conſequenter illiciti, conditionem præfixæ mortis invenit, meritoque eſt competenti ſubiecta vindictæ : quoniam nec de bonis fuerat devota retinendis, nec malum præcaverat ante prædictum, dùm per maioris ambitum poteſtatis, Deum ſe ſcilicet fore præſumentis, foveas hoſtilis perſuaſionis incurrit ; & quæ ſi ſuo ordine manſiſſet grata factori perpetuum ſummæ commercium Deitatis potuiſſet apprehendere competenter ſine debito ſummæ divinitatis officio copioſâ promiſſione luſtratâ, ad divinitatem non potuit pervenire. Sic ergò ſine illius principalis ac ſummæ rationis affectu, quæ in bonis ſemper retinendis, contrariiſque refutandis intemerata perſiſtit : ad cuius vtique ſimilitudinem rationale fuerat animal inſtitutum, vt eam pro ſuo modulo congruis actionibus imitando, ipſiuſque ſervando reverentiam, ſubſequendoque gratiam vt verè ſimilitudo eius & imago permaneret, obtinere potuiſſet, fieretque divinæ rationis tanquàm ſuæ parentis & auctoris digna conſortio ; & per hæc nihilominus, vtpotè particeps æternitatis æterna conſtare, dùm ſua, quæ creata fuerat dignitate confidit ; ſibique ſe putat in eo quod erat facta ſubiacere, nec ſubdita veneratur devotione factorem, & ab illius participatione diſceſſit, & in ſeipſa ſine illo, in quo habebat ſubſiſtere poſſe, non

constitit. Atque ita ordinem legitimæ rationabilitatis excedens, in irrationabilitatis abruptum per verisimilitudinem ratiocinationis, quâ Deum se fieri credebat, abducta est: & illius privatione, quæ sempiterna vita est, in istam recidit, quæ sine fonte vitæ vitam perpetuam retinere non posset. Quàmvis ergò pro his transgressionibus digna fuerit vltione, iustus tamen arbiter Deus, sic istam creaturam propositæ legis æquitate corripuit, vt quæ divinum sequi tramite n ihter felicia fastidivit, sibimet ipsam meritâ lance dimisit. Vt tamen quia & decepta fuerat creaturæ potioris incursu, illius scilicet, quæ fremebat, illo terrenam proficere posse substantiam, vnde spiritalis ipsa deciderat, & tanquàm solatium capere cupiebat de alterius ruina creaturæ, velut non solùm se culpandam ex alterius quoque transgressione prætenderet, sed lapsum suum in creatoris referret opificium, cuius & aliud opus constare veluti minime potuisset, ineffabilis circumventæ pietate consuleret, vtramque verò creaturam rectè conditam hâc ratione monstraret, quia & degeneres Angeli per sanctorum Angelorum beatitudinem confutantur. Quod iisdem modis, quibus illi, hoc est debitæ pietatis officio, creatoremque suum debita prædicatione laudando, per dignationis eius augmenta, profectumque reverentiæ competentis, participationem boni parentis, stabilitatemque perpetuam sempiternæ gloriæ sunt adepti. Sic isti quoque si eodem tenore niterentur, ad similem beatitudinem venire potuissent, nisi desides à sui laude factoris, & competentem reverentiam non sequentes, ab eius retracti participationis affectu, propriæ nequivissent incrementa perfectionemque sumere dignitatis, dùm suæ institutionis claritate detentis vlteriùs se nihil egere, ac sibi se sufficere posse præsumunt, per quæ se ipsos obtinere fidentes quicquid per solam gratiam potuissent conditoris adipisci, quod in suæ prorsus conditione mutabilitatis habere non poterant, homo quoque de seipso manifestis indiciis revincatur, in tantum ritè factus, vt qui per divinam gratiam potest surgere post ruinam; multò amplius potuisse doceatur, si eandem gratiam devotâ mente sequeretur integer permanere, quantumque gratia ista prę-

Diaboli in humanam genus invidia, vnde est orta.

Cur diabolus peccavit

Gen. 3 4.

valeat

valeat magis indè cognosci, dùm & incolumis absque eadem stare nequiverit, & valeat ad eandem incolumitatem redire post lapsum. Bonus ergò artifex Deus, qui sempiternum & summum semper habet esse, quod bonus est, atque ideò nec vnquam crescendi gerit amplius appetitum: quia nihil est super id, quod sempiternum bonum semper, & summum est, nec vllâ potest inclinatione diminui, de hoc ipso quod summum bonum sempiternumque consentit. Vnde etiam non per rapinam *in forma Dei* dictus est constitutus; qui hoc habebat vtique per naturam, sicut ille Spiritus, qui quod erat, nec sempiternum habebat omninò, nec summum, per rapinam maluit occupare quam per auctoris gratiam, perpetem consequi dignitatem, à quo sumpserat angelicæ substantiam claritatis, quemadmodùm beati Angeli in divina gratia permanentes consequuti sunt sempiternæ beatitudinis firmitatem: pravus autem spiritus nec illud potuit obtinere quod visus est incompetenter invadere, & tenorem suæ conditionis excedens, in hoc etiam non potuit permanere, quod factus est. Auctor ergò bonus vt bonum se opus condidisse firmaret, si in eadem sui conditione persisteret; inferioris creaturæ suæ miseratus offensam quod spiritualis substantia, quæ & sui & alterius processerat, ipsa deceptrix atque in sua nequitia perseverans omninò consequi digna non fuerat, terrenæ conditionis & per fraudem deceptæ substantiæ naturam pariter clementer suscepit, & causam; sicque vt nunc breviter explicemus, competenti lapsum dispensatione reparare proponens, vt in seipso hæc eadem natura, quæ per inobedientiam mortis rediret ad vitam, solus ipse peccat in se sciens in substantia, quam post peccatum restaurandam potenti benignitate susceperat, vt indebitam mortem quam sine peccato vtique non debebat pro his qui per peccatum debitores mortis extiterant, imputaret; simulque diabolum hominis deceptorem, qui consentientem sibi subditum per divinam tenebat iure sententiam, per iustitiam nihil ei reddere iam debentem. Et cùm occidisset eum in quem sine peccato licentiam non habebat, meritò ei vice mutuâ subiugaretur addictus, quique sehumanæ substantiæ vtpotè captivæ Dominum Deumque iactabat; huic & iusto pariter, & Deo vero mutuò subderetur.

Phil. 2 ſ6.

Gratia Dei in homine quantum potuit.

Cur Deus verbum carnem humanam susceperit

tur. Intererat enim æquitatis immensæ, & non abruptæ divinæ potentiæ diabolus sed ipsius hominis etiam quem se prostraviſſe iactabat iustitia vinceretur quibus non satis habuit reparator excelsus, vt ipse tantum modò in ea natura quam sumpserat gereret de hoste humani generis hunc triumphum. Quid enim præstaretur vniversæ nostræ creaturæ, si victor diaboli solus Christus existeret? Tribuit ergò fidelibus suis dignanter immensâ pietate consortium. Tribuit per gratiam suam fidemque collatam, vt hominum millia ineffabilis compendio sacramenti participatum eius acquirerent, renovatæque in suo Salvatore naturæ facti consimiles, ipsi quoque fierent deceptoris sui mutata sorte victores. Itaque contra superbum spiritũ permanente, in hoc est provisũ, curatione salvandis, vt competentibus modis ad suæ conditionis integritatem proficerent, dignitatemque cœlestem; quatenus elationis exitialis affectum, (qui non solùm humanam, sed ipsam quoque, sicut dictum est angelicam prostraverat ante naturam) humanitate necessariâ medicinaliter declinaret ad integritatem reparandam, quippè post lapsum carere debuit illo malo, quo integra præstare nequiverat: oportebat autem vt ipsa quoq; rationabilis humana creatura quod propriâ voluntate perdiderat, etiam secundùm Dei gratiam propriâ reciperet volũtatẽ, & quæ sine merito curabatur tribuetur ei vt etiã hæc sequeretur ex merito: propterea maluit singularis ille Salvator perfici potiùs in infirmitate virtutẽ quã rursus sine infirmitate vel de se confidentẽ, vel auctoris negligentẽ fieri humanã substantia sine infirmitate securã. Hinc est igitur quod beatus Paulus, qui & ruinã cõditionis humanæ, & restaurationem cæteris copiosiùs intimavit, etiam de seipso clamat: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogavi, vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi,* & iterùm ipse: *Vanitati enim creatura subiecta est*; Adhuc vtiq; *vanitati* quantum adhuc mundanis sensibus implicatur, corruptibilique conditione deprimitur. Illa vtique *creatura*, de qua idem dicit alibi: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova*, & de qua idem alibi dicit: *Ipsius enim sumus figmentum*,

Christiani per Christũ victorem vincunt diabolum.

2. Cor. 12. 9.

2. Cor. 12. 7. 8. & 9.

Rom. 8. 20.

2. Cor. 5. 17

Ephes. 2. 10.

figmentum, creati in Christo, in operibus bonis.] Itemque ipse de eadem, *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura.* Hæc vtique *creatura*, quâ in Christo refecti sumus; non quia ab initio facti sumus, de qua etiam Beatus Iacobus Apostolus sic ait: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius*, non illius creaturæ quæ in Adam condita est, sed quæ *Patris luminum à quo est omne datum optimum, & donum perfectum* voluntate genitâ verbo veritatis, initium sumpsit in Christo; & hoc ipsum ideo, ne in quibuscunque suis bonis fideret humana substantia: sed quidquid recti in se esse cognosceret, *desursum descendēs*, esse perpenderet ab illa incommutabili, & sine *vicissitudinis obumbratione* fuscatæ, luminis veri munus sentiret impendi. Hæc est igitur illa *creatura*, quę spiritualiter vivens, *non volens* sustinet mortalis infestationis affectus, contra quos indesinenter pugnans, mallet non habere quos vinceret, quam cum infesto iugiter haste confligere. *Non volens* ergò *subiacet* in tantum vanis desideriis, in quantum sine dubitatione perituris, vnde dicit Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, vt non qua vultis, illa faciatis; sed propter eum*, inquit *qui subiecit eam in spe*, vt nemo in hac scilicet vita rursus de plena felicitate sit arrogans; ac ne rursus forsitan desperatione succumberet, sic eam subiecit his molestiis perferendis, vt tamen spe consoletur erecta. Hæc est igitur sine ambiguo *creatura* de qua ait; *quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Patefecit de qua *creatura*, vellet intelligi, *in libertatem*, inquiens, *filiorum Dei*, quæ in hoc mundo ex ea parte nunc servit: quia vitiis infestatur humanis. Tunc ad *libertatem filiorum Dei* perfectâ securitate venturam, *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt fiat sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria: vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? stimulus autē mortis peccatū est, virtus verò peccati lex. Deo autē gratias, qui dedit nobis victoriā per Dñm nostrū Iesū Christū.* Quapropter Beatus Apostolus manifestiùs volēs & de qua creatura ageret, & de qua eius servitute, quâ vè libertate differeret, vtpotè per quē Christus loquebatur, ostendere, adhuc inculcat, & dicit: *Scimus enim, quod omnis creatura ingemescit & parturit*, non nisi rationabilis creatura est, & illa rationabilis, quæ quid ingemiscat, quidvè parturiat, iam renata cognoscit, & infirmitatē suā de-

Creatura nove quomodo dicatur Christianus.

Gal. 6. 15.

Iacob. 1. 18.

Ibidem 17.

Rom. 8. 10

Gal. 5. 17.

Rom. 8. 20.

Ibidem. 21.

1. Cor. 15. 53. & seq.

Rom. 8. 22.

deflens, promissionem perpetuæ tranquillitatis expectat; quòd doctor egregius quousque perducat, diligentius intuendum est: *non solum*, inquiens, *illa*, hoc est creatura populi Christiani, *sed nos ipsi primitias spiritus habentes.* Ipsi vtique Apostoli, ipsi Ecclesiæ principes & parentes, qui primordialiter sancti Spiritus dona sumpserunt, quæ Ecclesiasticis ministrarent spitualiter incrementis; vbi sine controversia semetipsos quoq; in vna eadem quámvis maiore gratia. præditos, vnde & ait; *primitias spiritus habentes*, quasi primates gratiæ Dei, in vna tamen eademq; secum totamque Ecclesiam generali conditione constituit: *sed etiam nosmetipsi*, dicens *primitias Spiritus habentes intra nos geminus*, aperuit quorum ille gemitus, quem supra dixerat, esse noscatur, & quid gemeret evidenter expositi, *adoptionemq; expectantes*, certè iam sacramento regenerationis pignus adoptionis accepit. Quæ est ergò ista *adoptio*, quæ post adoptionum initia, sustinetur, quæve *redemptio corporis nostri*, quæ ventura proponitur? Ergò non accepisti, quæ expectare te dicis? Accepi, inquit, sed mysteriis sum renovatus initiatusque cœlestibus, quibus superstes, & in hac adhuc mortalitate consistens, quæ sua sunt, in me competenter operantibus, ad eorum plenitudinem, perfectionemque valeam, atque hic pugnantium ibi sit consummata victoria, vbi dicendum est: *Absorpta est mors in victoria: vbi est mors stimulus tuus? Nunc autem spe salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus speramus per patientiam expectamus*, satis clarâ luce patefecit qui sit status in hac vita fidelium, quid in fide teneant, quid in spe sustineant, quid totâ charitate desiderent, quod totum incunctanter ideò sit, sicut quidam Magister Ecclesiæ sapienter edocuit, dicens: *Ad magnam enim vtilitatem fidelium materia est servata certaminum, vt non superbiat sanctitas, dùm pulsatur infirmitas*, quo scilicet suâ saltem fragilitate commonita post ruinam, non in se fidat nostra conditio, sed ad illius inceſſabiliter recurrat misericordiam reformanda, cuius gratiam non quærendo, nec in paradisi potuit intemeratâ felicitate constare: discatque sine tali præsidio inde lapsam per quod instruitur post erumnas ad gaudia redire perpetua; multoque se magis incolume hoc subsidio durare potuisse, quo non

Ibidem 23.

Ibidem.

Apostoli quomodo dicantur habere primitias spiritus.

1 Cor. 15. 54. & 55.

Rom. 8. 24. & 25.

Fidelium in hac vita status Aug.

non solum ad creationis suæ reducitur institutum, sed ad cœleste præparatur habitaculum. Huic autem disputationi nullatenus æstimetur esse contrarium, quod in Epistola sua beatus Ioannes Apostolus & Euangelista differuit, quia *qui natus est ex Deo, non peccat*, vt ex hoc videlicet qui regeneratio sunt, non peccare credantur: quod vtique si eo sensu, sicut quidam non rectè iudicantes arbitrantur, vir magnus ille prompsisset: vniuersaliter vtique quisquis renatus esset, iam peccare non posset. Deindè contra hunc eundem Apostolum sentire conuincitur: si quis hoc eum definisse prætendit, idemque quippè dicit alibi: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est.* Et iterum: *Si dixerimus, quia non peccauimus, mendacem facimus eum: & verbum eius non erit in nobis*: & vtique hoc tantus & talis dicebat Apostolus: cuius si quis potiorem se meritis, æstimare contendit, ipse videat, caueatque ne incidat in mortiferæ præcipitationis abruptum. Certè enim ipse qui hæc dicebat, *ex Deo* vtique *natus erat*; & tamen docebat, atque prædicabat dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus*; & cætera quæ superius comprehensa sunt: sed qualiter peccare non possit, qui ex Deo nascitur ipse potius vir Deo plenus exponat: *Si dixerimus*, inquit, *quia non peccauimus, mendacem facimus eum; quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est & iustus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Patefecit quomodò qui ex Deo nascitur peccare non possit, vt scilicet vnusquisque fidelium postquam ex Deo natus est; sicut se non habere peccatum pronunciare non debet, sic quod admittendo contraxerit confidenti relaxatione submotum, peccatum inesse non possit, sicuti ipse etiam secutus adiunxit: *Hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem iustum, & ipse est propitiatio peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed totius mundi.* Quod breuiter indicatum prudens lector per totum scripturarum corpus copiosis poterit testificationibus inuenire & manifestius approbare. Sic temperatum, nostræ salutis antidotum, vt omni proteruitate depositâ, *qui gloriatur*, non in se, *sed in Domino glorietur.* Etiam illud prætereà diligentius intuendum est, quod quosdam mouere perspeximus, id quod ait Apostolus, cum coniugibus fidelibus, infidelibusque loqueretur, sanctificari scilicet

Natum ex Deo non peccare quomodo intelligendum.

1. Ioan. 3. 9.

1. Ioan. 1. 8.

Ibid. 10.

Ibid. 10. & 2.

1. Ioan. 2. 1. & 2.

1. Cor. 1. 31.

2. Cor. 10. 17.

1. Cor. 7. 14.

licet siue virum siue mulierem infidelem per cuiuslibet sexus fidele consortium : & in primis non inconuenienter occurrit, quod dictum est de fœdere coniugali ; *erunt duo in carne vna.* Perquod possit consequenter intelligi, vt quoniam cuiuslibet coniugis fidelis corpus templum est Dei, & regeneratione purgatum, diuinique sanctificatum per purificationem mysterij, secundum quendam modum, per coniugalis vnitatem carnis etiam coniugis infidelis sanctificatio corpus attingat, longèque distet ista societas ab illo consortio, quod in vtrisque coniugibus idolis mancipatum est, & immundi spiritus habitatione pollutum : dum in illo genere nuptiarum per legem fœdusque coniugij, ad alterum tametsi nescientem forsitan nec volentem diuina benedictio per alterius vnitæ sibi carnis accedit. In isto verò & principalis illa fornicatio qua anima alienatur à Deo, & spiritus praui contagium, tam reddat vtrumque coniugem detestanda coinquinatione maculatum, quam ab illa *fide*, quæ *corda purificat* summæ diuinitatis † exortem. Deindè non irrationabiliter (quantum arbitror) & illud, concurrit, vt oratione fidelis cuiusque coniugis etiam infideli misericordia quantacunque præstetur, vel ipsa certè quæ ad salutem pertineat temporalem : in qua misericordia non parum diuinæ pietatis acquirit ; & per hoc secundum quendam modum particeps diuinæ dignationis effectus edicitur. Si enim cibi qui per legem sacram describuntur immundi per verbum Dei sanctificari testatur Apostolus, vndè etiam illud est : *quod Deus mundauit, tu commune ne dixeris* ; non erit absurdum nec inconueniens quod per fidelis coniugis precem, quam fieri pro ipsa certum est affectione coniugij, aliquid etiam infidelis coniux sanctificationis, misericordiam diuinam quam fidelis coniugis implorat supplicatio consequatur ; longèque differat (sicut dictum est) ab illo connubio, in quo vtrique coniuges à veræ diuinitatis sunt puritate exteri, & voluptarie submoti, sed immundos vtrique spiritus inuocantes, pari immunditia sunt referti. Nam si comparatione leuium vel grauium peccatorum iustificatus dicitur, ab eo qui maioribus est vitijs inuolutus, ille quem minor reatus inuoluit (sicut dicitur ad Hierusalem, quæ tunc criminum, & præuaricationum immanitate feruebat, *iustificasti sororem tuam Sodomam*), quanto magis iustificatio vel sanctificatio, & si non

† Al. externum. — Act. 15. 9 — Matt. 19 5. — 1. Tim. 4. 5. — Act. 10. 15. — Ezech. 16. 51.

plena

plena atque perfecta, secundum tamen quendam modum competenter accipitur, vbi non solum à fideli coniuge minus peccatur, sed ab eo etiam coniuge peccatore remedium summæ diuinitatis exposcitur, quàm vbi à coniugibus vtrisque peccatur. Nam secundum quendam modum hanc sanctificationem per fidelem coniugem etiam infideli coniugi
1. Cor. 7. 14. peruenire hæc ipsa verba testantur Apostoli: Siquidem non iam infidelem coniugem legitimam sanctificationem sumpsisse confirmat, quia per fidelem coniugem quippiam sanctificationis acquirat. Denique qua sit conditione censendus se-
Ibid. 15. cutus adiunxit; *nam si infidelis discedat* non iam inde tamquam fidelem suscipi designans, quia per hæc quæ dicta sunt aliquid ad eum peruenit fidelis coniugis, siue consortium, seu precem diuinæ sanctificationis, & gratiæ, sed nisi ipse quoque fidelis existat, pro infideli sit proculdubio iudicandus. Est etiam ille modus infideli coniugi sanctificationis impertiendæ per coniugem iam fidelem, si huic exhortationem conuersionis ad Deum, & credulitatem summæ diuinitatis insinuet, maiestatem virtutemque eius inculcet, & per affectum coniugij, eum facilius informet, & inclinet ad fidem astruens quæ sit spes in vnum Deum credentibus, vel in huius vitæ cursu, vel post eius transitum, quæ requies sit futura. Hæc cum per fiduciam coniugij factis verbis eor eius assidua voce pulsando coniunx fidelis frequenter insinuat, diuinæ sanctificationis eidem, & menti eius & corpori pro-
1. P. 3. 1 & 2. pinat effectum, sicut ait beatus Petrus Apostolus: *Similiter mulieres subditæ sint viris, vt si qui non credunt verbo, per mulieris conuersationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram*, quam si per familiaritatem suscipiat coniugalem, & *Dei gratiam* sibi per affectum coniugij
2. Cor. 6. 1. ministratam *non in vacuum recipiat*, & refutet, sit sanctificatio per fidelem coniugem, coniugis infidelis, dum hisce modis ex infidelitate in consortium sanctificationis attrahitur. Alioquin si oblatam sibi gratiam nec per affectum suscipit coniugalem, quæ *in vacuum* tam diuinæ dignationis, quam etiam humanæ singularis affectionis oblitus, æstimat abnuendam, atque ob hoc ipsam quoque coniugis affectionem nititur abiurare, & ab ipsius pij consortij lege discedere, dignè permittitur eidem licentia discedendi: quia non est illo coniugio dignus, quo se ipse iudicauit indignum patienter-

que ferat fidelis coniux illo se caruisse coniugio, quod *fornicetur à Deo*, cui idem coniux fidelis inhærendo, principalem Dei retinet castitatem. Itaque & adultero caret, & eo qui respuit vna veraciter fieri caro cum coniuge iam fideli, nec existimet fuisse legitimum, quod diuina sibi despexerit lege coniugij, ac potius libenter accipiat eum, qui anima separatus à Deo est, & à se quoque corpore fuisse diuisum. Osee 9. 5.

Secundum hunc igitur modum etiam de talium filijs accipiendum est, quod illic consequenter asseritur, vbi dicit Apostolus quod nisi hæc sanctificatio inter huiusmodi coniuges proueniret, *filij* eorum *immundi essent*, *nunc autem sancti sunt*. *Sancti sunt* enim, secundum quendam modum in comparatione illorum, qui ex vtrisque parentibus immunditiæ diabolicæ mancipatis contaminatisque nascuntur. 1. Cor. 7. 14.

Isti enim ex ea parte, qua de sancta carne fidelis parentis, & templo Dei, & Deum vaum in suo corde gestantis exorti sunt, nonnihil diuinæ benedictionis hauserunt, in qua vtique benedictione sanctis continetur, cuius dignatione perstricti, sancti non immeritò nuncupantur. Per hanc quidam etiam sanctificationem assumunt, vt ad eam sicut competit peruenient consequendam, iam eius per parentem fidelem rudimenta percipiunt, & odorem sanctæ adoptionis agnoscunt, precibus Christiani parentis, quibus eis sine ambiguo imploratur diuina misericordia, vtique sanctificatio iam præbetur, & plerumque fidelis studio parentis, vel ad venerabilia loca paruuli deferuntur, vel etiam nescientibus renatis fonte baptismatis sanctificatio plena confertur. Aut vbi iam capaces rationis extiterint, adhortatio & insinuatio pij parentis ingeritur. Quæ omnia sanctificationis instrumenta esse manifestum est, quibus vt ad eius veniant firmitatem, aut si ista despiciunt semetipsos sanctificatione dispolient & gratiam Dei quæ his per affectum parentum ingeritur, euidenter euacuant. Atque ita de sanctis vel de eruditionibus sanctitatis abscissi, in non sanctorum consortia profana rediguntur. De quibus nihilominus sic dicatur, quomodo de parentibus eorum infidelibus præceptum; *si infidelis vult is discedere, discedat*. Numquid nam hæc genera sanctitatis, vel sanctificationis de vtroq; profano parente progenitis filijs intimantur? Ecce quid interest inter sobolẽ ex illo vel isto cõiugio procreatam: Ecce quemadmodũ isti familiares, & propinqui sunt sanctificati, atq; ideo

Quomodo accipiantur sancti filij, qui ex alterutro fideli coniuge nati sunt.

1. Cor. 7. 15.

ideò non immeritò *sancti sunt* editi, & quibus diuina misericordia consequenter eius precibus imploratur, quiq; cum sanctis educationibus imbuuntur, & sacræ religionis imitantur affectu, ad cuius si peruenerint firmitatẽ, illius per sacramentum sanctificationis plenitudinem consequuntur, cuius per fidelem parentem etiam ante sacramentum rudimenta sumpserunt, per quæ rudimenta iam *sancti*, qui sanctâ iustificatione præparabantur, non incongruè sunt vocati Nunquid aut quia dictum est *sanctificari infidelem coniugem per fidelem*, ita dictum est, vt iam propriæ credulitatis sanctificatione non egeat, ac non magis ideò qui per illam familiaritatem fidelis coniugis percipiendæ sanctificationi proximus & sit, propinquus effectus. Nam si iam sanctificatus diceretur, vt sanctificatione penitus non egeret; non de eodem in consequentibus diceretur, *infidelis si vult discedere, discedat*, sic ergò & *Filij* eorum nuncupati sunt *Sancti*, quia per sancti parentis affectum capiendæ sint proximi sanctitatis; non quod iam ipsi propriâ sanctificatione non egeant, quæ vtique sicut nullus Christianus addubitat sine regenerationis sacræ mysterio nec sumitur nec habetur, sicut & parens eorum *infidelis*, sic *sanctificatus* dicitur *per fidelem*, vt tamen ingestæ sibi per fidelem coniugem sanctificationis ipse legitimum non susceperit effectum, infidelis fuerit nuncupatus. Sicut ergò eum, quem per fidelem coniugem sanctificatum dixit, postea nuncupat infidelem, quia proprie ipse vel ipsa non credidit, sic & filij qui per fidelem parentem eo modo sanctificati quo coniunx, sancti appellati sunt, nisi ipsi quoque proprie credant, infideles consequenter existunt: satis enim apparet, secundum quemadmodum sanctificationem hanc coniugis appellatam; qui postea infidelis asseritur, sic ergò & de filijs intelligendum est. Nunquid igitur, quod sæpè repetendum est, soboles profanorum huiusce modi sanctitatis aliqua cuiuslibet parentis portione contegitur, vel aliquibus huiusmodi disciplinis, precibus, adhortationibus cuiuspiam participationem, vel notitiam, vel auditum, vel eruditionem sanctitatis assumit, quæ est sub immundorum spirituum dominatione consistens, & diabolicis præuaricationibus, & contagijs mancipata? Hoc modo semper immunda est, quo parentes, quamdiu in eadem peruersitate consistit: plerumque autem & per anticipationem (quod in scripturæ sanctæ

Ibid. 14.

textu frequentius inuenitur) iam esse dicitur, quod futurum est, sicut in Euangelio legimus. *Quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* filios Dei certè iam nuncupans, qui adhuc essent, diffusa gratiæ euocatione per mundum sacris innouandi mysteriis in Dei filios adoptandi, vel cum dicitur: *Beati qui non viderunt & crediderunt,* iam beati appellati sunt qui adhuc tunc futuri fuerant beati, cum essent quæ non viderant crediturí; sicut & plerumque pro faciendis, iam facta referuntur, vt *foderunt manus meas & pedes meos.* Item tamquam profitendo definitur, quod non sit causa qualibet interueniente faciendum sicut beatus Apostolus pro deuotione prædicationis iunctæ ad Hispanias se profitetur iturum: quod tamen certâ dispensatione deitatis, quod fieret non prouenit, alter cum appellatur, aliquid esse; quod hoc ipsum esse cessauit, vel cessaturum est, hoc ipsum esse, quod dicitur, vt Iudas Apostolus qui præuaricando, quod est appellatus amisit, sicuc idem & *discipulus* dictus est, cum quidem nec Christi discipulus esset; sed potius diaboli, sicut de eo dictum est. *Vnus ex vobis diabolus est,* quod diaboli esset operarius. Dictus est tamen *discipulus* etiam, cum nec verus esset, & cessaturus hoc dici. Est & ille modus, quod sæpè velut generaliter & absolutè dicitur, cum tamen ad omnes generaliter non pertinere manifestum est, vt cum dicitur Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes, omnes* quidem *gentes benedicentur*: nec erit vlla natio sub cœlo cui non *prædicetur Euangelium & tunc veniat finis,* sed ipsæ *gentes* non ex integro *omnes benedicentur.* Quia *non omnium est fides,* vel sicuti est, *omnis lingua confiteatur Deo*; cui locutioni sensus ille connectitur, cum ex parte totum sæpius nuncupatur: sicut & tunc, homo Iuda cum totam gentem proculdubio nominaret. Sic & illi fideles sancti videri possunt vocati: quia multi vel plurimi ex his, per ea, quæ dicta sunt, mysteriis imbuti cœlestibus, sancti efficientur, & meritò iam esse dicti sunt quod futuri sunt, vel ex ea portione, qua per religiosum parentem erant participes sanctitatis, tamquam iam ex integro id essent, sancti sunt nuncupati, vel quia ex tribus filijs multi futuri essent plenæ sanctificationis hæredes.

Per anticipationem dicitur aliquid esse in scriptura quod futurum est.

Per anticipationem inscriptura dicuntur facta pro faciendis.

Iam & isti ex eo quod futuri fuerant, nuncupati sunt, & licet

Iosu. 11. 51. & 52.

Ioan. 20. 29.

Psal. 21. 17.

Rom. 15. 24. & 28.

Psal. 108 8.

Ioan. 12. 4.

Ioan. 6. 71.

Gen. 22. 18.

Matt. 24 14.

2. Thess 3 2.

Rom. 14. 11.

licet hoc essent plurimi forsitan nunc futuri, à parte sanctorum toti sancti generaliter sunt vocati. De resurrectionis verò qualitate, vel de ea quæ post resurrectionem species
1.Cor.15 35. sit futura, audiamus Apostolum prædicantem, vbi ait: *Sed dicet aliquis, quomodò resurgent mortui? Quali autem corpore venient?* Et humanæ mentis diffidentiam redarguens; quam meritò stultam quæ Deo quicquam iudicaret impossibile nuncupando competenter ex rerum etiam visibilium & humanis conuersationibus vsitatam similitudinem, comparationemque magnificam præclarus doctor inducit, dicens:
Ibid. 36. *Insipiens* qui Deo hæc impossibilia æstimas, vel ambigis esse facienda; *tu quod seminas nō viuificatur, nisi prius moriatur?* Quam similitudinem ad resurrectionem corporis post mortem futuram conuenienter aptauit. Deindè quod secutus adiecit:
Ibid 37. & 38. *Et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas; sed nudum granum, vt puta tritici & cæterorum; Deus autem dat illi corpus, prout vult* ad qualitatem iam & speciem, quæ post resurrectionem futura est: genus comparationis, adhibere curauit *prout voluit*, inquit, quid adhuc quæris? *prout voluerit Deus*, sic dabit *vnicuique corpus* ineffabili potentiâ suscitatum, sed forsitan arbitreris, ideò magis significari non vnicuique suum reformandum propriè corpus, cum astruatur prout Deus voluerit esse reparandum.

Diligenter ergò sensum plenius hæc tractantis intende; si scire conaris cuiusmodi corpus vnicuique sit Deus hoc ipsum prout voluerit redditurus, & tamquam tibi iam tunc ad ista respondentis Apostoli verba perpende: nosse desideras; quarè resuscitatis hominibus corpus, prout Deus vo-
Ibid 38. luerit, sit daturus, agnosce prudenter, *& vnicuique seminum proprium corpus*, quod vtique non sine causa vir Deo plenus adnectit, nisi vt futuras hominum huiusmodi dubitationes expellerer. Audi, inquam, quod sapienter adiecit & ex similitudine rem ipsam cui comparatur agnosce, *& vnicuique*, inquit, *seminum proprium corpus*: Si in similitudine *proprium corpus*, ergò & in re cuius similitudo est, *proprium corpus* certum est esse reddendum; semina enim ista, sine controuersia hominibus comparauit, & quorum vtique morte & resurrectione loquebatur, atque ideò singula singulis conferens quantum ad viuificanda post mortem corpora pertine-

ret;

ret; de grani non prius viuificati quam mortui compara- *Ioan.* 12.
Corpora humanorum post resurrectionem qualitatem. tione singulari mirabiliter explicauit. De hinc quali post 25.
resurrectionem corpore censeretur esse quisque venturus,
id est vtrum hac conditione, quam moriendo gestauerat,
an longè meliore, nihilominus illa similitudine patefecit,
quam sequutus expositi; *& tu qui seminas, nudum granum se-* 1. Cor. 15
minas, vt puta tritici, aut alicuius caterorum; *& Deus dat illi cor-* 37. & 38.
pus, prout vult. In hac ergò forma corpus Deum dare,
decentius quam obierat, & euidenter expressit; sicut
in subsequentibus dicitur: *Seminatur in corruptione, sur-* *Ibid.* 42.
git in incorruptionem: seminatur in ignobilitate; surgit in 43. & 44
gloriam; seminatur in infirmitate, surgit in virtutem; semi-
natur corpus animale, surgit corpus spirituale. Ecce quemad-
modum hominis morientis non hoc seminatur, quod cor-
pus est post futurum. Ecce *prout vult Deus* intelligitur re-
surrecturis corpus reformare post mortem cum inæstima-
bili suæ misericordiæ voluntate; quod fuerat *in corruptio-*
ne seminatum incorruptibili nobilitate restaurat; quod fue-
rat terrenæ, conditionis in ignobilitate sopitum in gloria
cœlesti resuscitat, quod fuerat mortalitatis infirmitate re-
solutum, reintegrat in immortalitatis decore vestitum; po-
stremò quod fuerat *animale*, defunctum *corpus spirituale* re-
stituit & reformat: quæ cuncta ad statum meliorationis,
sublimationisque respiciunt. Illa verò quæ restat pars com-
parationis annexæ specialiter ad proprietatem corporis vni-
cuique readhibenda pertinere firmatur, qua consequenter
Quisque resurget in proprio corpore. dicitur: *Et vnicuique seminum proprium corpus*, vbi satis appa- *Ibid.* 38.
ret in quauis resurgentium claritate proprietatem corpo-
ris esse mansuram: nec otiosum est quod beatus Apostolus
cum de solo humano genere, quod solum est vtique susci-
tandum, nec alia quæcumque substantia hoc est munere de-
coranda, atque ideò sufficeret ad vnum genus hominum vi-
nam speciem seminis gratia comparationis adhibere, per
quam & non prius viuificari quam mori, & honorabilius
corpus quam seminaretur exsurgere perdoceret; sed vt di-
uersi sexus, proprium corpus assereret innouandum, quod
in vna specie seminis, quantum ad similitudinem respice-
ret non habebat: ne per hoc & vnam tantummodo spe-
ciem resuscitandorum corporum futurarum significasse pu-
taretur

retur proprietatum distinctione summota; discreta quæque seminum genera comparationis suæ cautè, conuenienterque dixit adhibenda, vt proprietatem corporum sicut dictum est, quam vna species discernere non valebat, seminum diuersitas indicaret, suppeditaretque plenæ comparationi facultas, per quam ad specialitatem corporum designandam conuenientissimè diceretur, *& vnicuique seminum proprium corpus*, vt quod vna species cuiusl bet grani, discreto sexu, qui ei nullus æstimare non posset exprimendæ corporum proprietati, sicut sæpè iam dictum est, seminum diuersitas intelligentiam ministraret. Triplex igitur in hac comparatione propositio, disputatio, diffinitio est: & quantum ad intelligendam resurrectionem pertinet corporalem ex similitudine grani non prius viuificati quam mortui competens similitudo, sufficientsique deprompta est. Quantum verò ad id attinet, quia non id corpus seminatur, quod futurum est: *sed Deus dat illi corpus prout vult*, in eiusdem continentia lectionis necessariò causa referatur, cum corruptibile corpus seminatum perhibetur incorruptibile rediturum, & cætera, quæ huic sensui probantur adhærere. Quantum autem ad proprietatem corporum respicit edocendam pleniſſimè declaratur, quod Beatus Apostolus nequaquam seminis vnius comparatione contentus, per quod proprietatem corporum non posset ostendere, cum id vna species, vt supra memoratum est, seminis non haberet, studuit ex seminum diuersitate monstrare vnicuique surgentium, qui sunt vtique seminibus comparati, proprium corpus esse reddendum. Et resurgent ergò homines viuificati post mortem, qui vtique prius morientibus, & postmodum viuificandis seminibus comparati sunt: & non hoc quod moriuntur, id est tamquam seminantur, resurgunt; *sed Deus eis dat corpus vt vult*, vt sit de corruptibili incorruptibile, de mortali immortale, de inspirituali spirituale; vt quod mortis fuerat conditione decoloratum immortale, de quorum integritate reddatur, & proprium corpus sicut vnumquodque seminum sine dubio recepturi sunt; quod quia diuerso sexui in vno semine comparari non poterat; ex seminum diuersitate collatum est, vt ex diuersitate seminum corporum proprietas signaretur. Si verò proprium corpus resuscitatus quisque

1 Cor. 15 38.

 susci-

Vtrique sexui manebit post resurrectionem.

suscipiet, indubitanter est consequens, vt vnicuique sexui corpus proprium reformetur, quia sicut dictum est, & vnicuique sexui corpus proprium reformetur, quia sicut dictum est, & vnicuique seminum, proprium corpus restituitur attributum, & sic *vnicuique seminum proprium corpus* restituitur, per quæ vtique semina in vtroque sexu omne genus hominum designatum est. Sequitur vt omne genus humanum, quod ſ in vtroque sexu istis † Fort. *habiturũ* est seminibus designatum, proprium sit corpus, † arbitrium hoc nos ex verbis Apostoli fas est sobria consideratione metiri. Vltra quæ cauendum est temeraria curiositate prorumpere; propter quod etiam commonemur, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne fueris scrutatus, & non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Postremo attendentes illud, quod Apostolicâ quoque prædicatione firmatum est, *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus timentibus se*, quis- 1.Cor.2. 9. quis superius memorati sensus Apostoli non est intelligentia vel comparatione contentus; ad hoc certè velit nolit, sine dubitatione constringitur, vt quæ *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*, qualibet audeat sibi meditatione componere, quasi vero humani corporis aliqua membra culpabilia, vel in decora vel reprehensibilia sunt creata, cum *Deus fecerit omnia bona valde*, & vnam- Gen.1.31 quamque speciem in suo genere competenti decore subnixam, nisi quod hæc, quæ inhonesta nostra sunt dicta, concupiscentiæ primordialis decoloraſſet excessus: quæ vti- *Quædã membra corporis cur nunc pudenda.* que sic fuerant instituta, vt ad nutum mentis humanæ famulantia, tantummodo ex animæ rationalis arbitrio ad procreandæ sobolis causam, suis officijs fungerentur. Præter hanc verò causam nihil contra mentis imperium, quæ præueniendo insolentius voluntatem, vel cum id voluntas expeteret, quicquam rebellionis afferrent. Sed postquam anima summis suis subiecta non constitit, pari in se ipsa natura contumacis lege punita superbia est, vt huic quoque, id est animæ dominio subiecta consequenter obsequia repugnarent, & quod vetiti præsumptione contraxerat humanæ mentis inobediens appetitus, in ea parte corporis iudicaret, qua degeneris, ac decoloratæ superbèque

radicis

Ecc1.3.22. Rom.12. 16.

rædicis proculdubio vitiosa fuerat generatio propaganda: quæ vtique si hic nisi essent hac exorbitatione fœdata potuerant decorè tantum humano generi propagando tam honesta, quam moderata persistere etiam in corpore sine dubitatione terreno. Quanto magis credendum est in spirituali corpore ineffabiliter decentius hæc posse constare; præcipnè, cum nihil iam genitalis officij in illa perpetua claritate gestura sint: sed ad hoc tantum suæ speciei formæque non deerunt, vt non aliqua alia forma, quam humana, cui promissa resurrectio est, resuscitata iudicetur, nec aliquid sit, quod in carnis perfecta resurrectione non maneat, & videatur alia species suscitata, quam integræ carnis humanæ lineamenta designant: quæ quisque non vult fortasse moderata ratione liberare velit nolit, vt dictum est; aut ad illud superius reuertetur, vt *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*, non æstimet perscrutandum, aut si vltra conatur erumpere, ipse videat suæ temeritatis abruptum. Quam autem condita sunt honesta humanæ membra substantiæ, etiam res illa nos admonet, quod cum in Paradiso nudi essent primi parentes, nihil in his confusionis habuerunt. Vndè post peccatum, & concupiscentiæ virus ingressum, corporum suorum inordinata perturbatione confusi sunt. Atque ideò satis apparet, quod si in illa quauis felicitate Paradisi positi, terreno tamen corpore constituti, conspici sine confusione potuerunt, multo magis in illo spirituali corpore, atque in illa sublimi beatitudine, quæ similitudinem gestura est Angelorum, & vt homini in carnis resurrectione nihil deest, integer reformetur. Et ne aliquid deforme conditor creasse videatur si quid de resuscitato corpore subtrahatur bonum, potius eius opus inde etiam comprobetur, vt eius conditio in illis quoque claritatis decore permaneat, nisi fortè isti etiam illic adhuc existiment motus corporeos orituros, vbi (sicut ipse dominus ait) *neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli.* Quod vtique si in vnam speciem corporis vnumque sexum omnes fuerant suscitandi, cur diceretur, causa penitus non fuisset. Quin potius cum femineo sexu magis competat nubere, non illic de futurum, sed cessaturum prorsus à

1. Cor. 2. 9.

Gen. 2. 25

Gen. 3. 7.

Matt. 22. 25.

nuptijs indicatur. Cum autem nihilominus scriptum sit, *vt capiat vnusquisque propria corpora quæ gessit, siue bona, siue mala*, quomodo id fiet, nisi vterque sexus in sui corporis proprietate vel iudicium subeat, vel præmium beatæ resurrectionis accipiat? falluntur autem qui putant illud Apostoli testimonium sibimet suffragari, quo videtur asserere in virilem formam omnes homines resuscitandos, vbi ait, *Donec occurramus omnes in vnum virum perfectum*, quid ergò facient cum rursus ibidem dicat: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*; quod huic vtique opinioni eorum erit sine dubitatione contrarium, nisi mysterio competenter inspecto modestâ mente cognoscant, qualiter vtrumque conueniat: quid itaque velit sibi, quod in vtroque sexu describat Ecclesia, quantum domino reserante, sentimus, exponimus. Ab initio Christum & Ecclesiam humana carne similitudine coniugij designatam sancta scriptura testatur. Proinde cum fœmineo sexu censetur Ecclesia, infirmitas quidem humanæ conditionis ostenditur, quæ tanquam in Ecclesia coniuge Christi conuenienter exprimitur: sed nomine virginitatis vel continentiæ, eius propositum vel integritatis fidei, de qua & ipse beatus Apostolus differit, intimatur. Cum verò dicitur, *donec occurramus omnes in virum perfectum*, nec diuersum est nec diuisum; quoniam quicquid in Ecclesiæ corpore continetur, quæ cum Christo vna caro est sacri lege coniugij, etiam ipsius caro modis omnibus in sexu fieri vtroque quod dictum est siue illic *virginem castam* siue huic *virum perfectum*, vt ita sint in Ecclesia Catholica intemeratâ fide viuentes & sancto proposito continentes. Licet adhuc possit in infirmitate conditionis humanæ, vt tamen per vnam carnem Ecclesiæ & Christi, id est coniugis, & viri in ipso quoque virilem accipiat firmitatem, vigoremque perfectum, cuius per Ecclesiæ virgineam fidei castitatem, quam cum eodem vna caro fiunt, & viri membra perfecta; vbi illa quoque beati Apostoli Pauli verba tractanda sunt, quibus ait: *Omnes nos in vnum corpus baptizati sumus in Christo*. Quantum ad vnitatem vtique pertinet sacramenti *vnum corpus sumus in Christo*: quantum ad sexuum diuersitatem ipse alibi dicit; *Sine vir, sine mulier, omnes vnum*

2. Cor. 5. 10.

Ephes. 4. 13.

2. Cor. 11. 2.

Ephes. 5. 32.

Occurrere in virum perfectum quomodo intelligatur.

1. Cor. 12. 13.

Gal. 3. 28.

num sumus in Christo, cum suo enim toto corpore, quod eius est plenitudo, perfectus est Christus; & ideo quia per vnum idemque mysterium, licet diuersi sexus, vnum tamen corpus accipitur, per cuius corporis plenitudinem perfectus est Christus. Cum ergò vir Christus Ecclesiæ tanquam coniugis suæ, & caput sit & virtus atque perfectio; meritò omnis Ecclesia *in* hunc vnum *virum perfectum*, cuius est vna caro, perhibetur *occurrere*.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ SEQVENTIS.

PElagius Brito monachus post Arium successit, novi erroris autor: Celestioq; ac Iuliano fautoribus & adiutoribus multos in suam pertraxit factionem. Is tantum tribuit libero arbitrio, vt diceret absque gratia Christi solu meritis hominem posse salutem consequi. Atque super hac re primùm increpatus à fratribus, eatenus cessit admonitioni vt non excluderet gratiam, sed diceret, hac accedente facilius posse perueniri ad salutem, quasi & absque hac peruenire posset, licet difficiliùs. Orationes quæ fierent in Ecclesia, vel pro fidelibus, vel pro infidelibus, vt superuacuas damnabat, quòd diceret id quod peteretur, sibi quemque sua industria præstare posse. Verùm hoc in concilio Antiocheno quum metueret ne damnaretur, recantauit: etiam si non desijt deinceps in scriptis suis eadem docere. Addebat Adæ peccatum nullis nocuisse nisi ipsi qui commiserat. Omnes infantes tam insontes nasci quàm ipse Adam fuisset conditus à Deo. Baptizandos autem, non vt à peccato exuerentur, quo carerent, sed vt sacramento adoptionis honorarentur. Scripsit tres de fide Trinitatis libros, & eclogas, hoc est excerptiones ex libris diuinis, in morem indicis per capita digestas. Publicatus hæreticus scripsit in defensionem sui dogmatis. Damnatus est à Pontifice Zosimo infectantibus Afris, & potissimùm Augustino reliquias factionis persequente: idq; concilio apud Carthaginem habito ducentorum & quatuordecim Episcoporum. Nam ipse Pelagius, antequàm de hoc pronunciasset Zosimus, iam ab Innocentio damnatus fuerat. Hæc partim ex Prospero, partim ex Augustino & Gennadio ac Plasina. Hunc Augustinus tradit sua tempestate recentissimum hæresiarcharum extitisse, hominem eloquentia, vt apparet, munitum. Huius dogma rogatu Ctesiphontis refellit Hieronymus, ostendens è quorum fontibus hic error fuerit natus. Atque hæc quidem Epistola seu velitatus est in Pelagianos: pollicetur autem se per otium iusto volumine responsurum.

D. HIE.

D. HIERONYMVS

ADVERSVS PELAGIVM

AD

CTESIPHONTEM.

NON audacter (vt falsò putas) sed amanter studioseque feciſti, vt nouam mihi ex vetere mitteres quæſtionem, quæ ante literas tuas pleroſque in oriente decepit: vt per ſimulatam humilitatem, ſuperbiam diſcerent: & dicerent cum diabolo: *In cœlum aſcendam, ſuper ſydera cœli ponam thronum meum, & ero ſimilis altiſſimo.* Quæ enim poteſt alia maior eſſe temeritas, quàm Dei ſibi non dicam ſimilitudinem, ſed æqualitatem vendicare: & breui ſententia, omnium hæreticorum venena complecti, quæ de Philoſophorum & maximè Pithagoræ & Zenonis principis Stoicorum fonte manarunt. Illi enim quæ Græci appellant πάθη, nos perturbationes poſſumus dicere, ægritudinem videlicet & gaudium, ſpem & metum: quorum duo præſentia, duo futura ſunt, aſſerunt extirpari poſſe de mentibus, & nullam fibram, radicemque vitiorum in homine omnino reſidere, meditatione & aſſidua exercitatione virtutum. Aduerſum quos & Peripatetici, qui de Ariſtotelis fonte deſcendunt, fortiſſimè diſputant: & Academici noui, quos Tullius ſequitur: & eorum non dico res quæ nullæ ſunt, ſed vmbras & vota ſubuertunt. Hoc eſt enim hominem ex homine tollere & in corpore conſtitutum eſſe ſine corpore, & optare potius quàm docere, dicente Apoſtolo: *Miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et quia Epiſtolaris breuitas non poteſt omnia comprehendere, ſtrictim tibi vitanda deſcribam. Vnde & illud Vergilianum eſt:

Eſa. 14. 13. & 14.

Rom. 7. 24.

Hinc metuunt, cupiuntq́, dolent, gaudentq́, nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco.

Quis enim poteſt aut non geſtire gaudio, aut mœrore contrahi, aut ſpe extolli, aut timore terreri? Quamobrem & grauiſſi-

grauissimus Poëta Flaccus scripsit in Satyra : *Nam vitijs nemo sine nascitur : optimus ille est, qui minimis vrgetur.*

Philosophi Patriarcha hæreticorũ.

Pulchrè quidam nostrorum ait : Philosophi patriarchæ hæreticorum, Ecclesiæ puritatem perversâ maculauere doctrina : vt nesciant illud dictum de humana fragilitate : *Quid gloriatur terra & cinis ?* Præsertim cùm de eijsdem Apostolus dicat : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & ducentem me in captiuitatem.* Et iterum : *Non enim quod volo, hoc ago : sed quod nolo, id operor.* Si quod non vult operatur, quomodo stare potest hoc quod dicitur, *posse hominem sine peccato esse si velit ?* Qua ratione potest esse quod velit, quum Apostolus asserat, se quod cupiat, implere non posse ? Quumque ab eis quærimus, qui sint illi, quos absque peccato putent, noua stropha eludere cupiunt veritatem : se non eos dicere, qui sint vel fuerint, sed qui esse possint. Egregij doctores, dicunt esse posse, quod nunquam fuisse demonstrant, dicente scriptura : *Omne quod futurum est, iam factum est in priori tempore.* Neque nunc mihi necesse est, ire per singulos sanctorum, & quasi in corpore pulcherrimo, neuos quosdam & maculas demonstrare : Quod plerique nostrorum simpliciter faciunt, quum paucis sententiolis scripturarum possint hæreticorum, & per eos Philosophorum, argumenta conuinci. Quid enim dicit *vas electionis ? Conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur.* Et in alio loco : *Omnes enim peccauerunt & ind gent gloria Dei.* Ecclesiastes quoque per quem cecinit ipsa sapientia, liberè protestatur, & dicit : *Non est enim homo iustus super terram, qui faciat bonum, & non peccet.* Et iterum : *Si peccauerit populus tuus, non est enim homo, qui non peccet.* Et, *quis gloriabitur castum se habere cor ? & non est mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit super terram vita eius.* Vnde Dauid dicit : *Ecce enim in iniquitatibus concepius sum, & in delictis peperit me mater mea.* Et in alio Psalmo : *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Quod testimonium sub nomine pietatis, noua argumentatione deludunt. Aiunt enim ad comparationem Dei nullum esse perfectum, quasi scriptura hoc dixerit. Neque enim ait : Non iustificabitur omnis viuens : sed, *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Quando enim dicit, *in conspectu tuo*, hoc intelligi vult, quòd etiam qui hominibus sancti videntur, Dei scientiæ atque notitiæ nequaquam

Eccl. 10. 9. Rom. 7. 23. ibid. 19. Eccl. 1. 9. Rom. 11. 32. Rom. 3. 23. Eccl. 7. 21 3. Reg 8. 46. Prou. 20. 9. Iob. 14. 4 iuxta 70. Psal. 50. 7. Psal. 142. 2.

sancti

1. Reg. 16 7. sancti sint. *Homo enim videt in facie, Deus autem in corde.* Si autem inspiciente Deo, & omnia contemplante, quem cordis arcana non fallunt, nullus est iustus, perspicuè ostenditur, hæreticos non hominem in excelsa sustollere, sed Dei potentiæ derogare: multaque alia, quæ si de scripturis sanctis voluero congregare, non dicam epistolæ, sed voluminis quoque excedam modum. Nihil noui asserunt, qui in huiuscemodi applaudente sibi perfidia, simplices quidem & indoctos decipiunt: sed Ecclesiasticos viros, qui *in lege Dei die ac nocte meditantur*, decipere non valent. Pudeat ergò eos principum & sociorum suorum, qui aiunt, posse hominem sine peccato esse, si velit: quod Græci dicunt ἀναμάρτητον. Et quia hoc Ecclesiarum per Orientem aures ferre non possunt: simulant se sine peccato quidem dicere, sed ἀναμάρτητον dicere non audere, quasi aliud sit, sine peccato, aliud ἀναμάρτητον, & non Græcum sermonem, qui apud illos compositus est duobus verbis sermo Latinus expresserit. Si absque peccato dicis, & ἀναμάρτητον dicere te differis: damna eos ergò qui ἀναμάρτητον prædicant. Sed non facis. Nosti enim quid intrinsecus discipulos tuos doceas, aliud ore commemorans, & aliud celans conscientiâ: nobisque alienis & indoctis loqueris per parabolas, tuis autem mysteria confiteris: & hoc iuxta scripturam te facere

Matt. 13 10. & 11 iactas: quia dictum est, *Turbis Iesus in parabolis loquebatur*: & ad discipulos in domo dicit, *Vobis datum est scire mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.* Sed (vt dicere cœperam) exponam breuiter principum & sociorum tuorum nomina: vt animaduertas qualium consortio gloriaris. Manichæus electos suos, quos inter animas Platonis in cœlestibus collocat, dicit omni carere peccato: nec si velint, posse peccare. Ad tanta enim eos virtutum culmina transcendisse, vt carnis operibus illudant. Priscillianus in Hispania pars Manichæi de turpitudine, cuius te discipuli diligunt plurimùm, verbum perfectionis & scientiæ sibi temerè vendicantes, soli cum solis clauduntur mulierculis, & illud eis inter coitum amplexusque decantant.

Tum pater omnipotens, fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnis
Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.

Qui quidem partem habent Gnosticæ hæreseos, de Basilidis

impietate venientem. Vndè & vos asseritis, eos qui absque legis scientia sunt, peccata vitare non posse. Quid loquar de Priscilliano, qui & seculi gladio & totius orbis authoritate damnatus est? Euagrius ponticus Hyperborita, qui scribit ad virgines scribit ad monachos, scribit ad eam, cuius nomen nigredinis testatur perfidiæ tenebras, edidit librum & sententias περὶ ἀπαθείας, quam nos impassibilitatem vel imperturbationem possumus dicere, quandò numquam animus vllo perturbationis vitio commouetur: & (vt simpliciter dicam) vel saxum vel Deus est. Huius libros per Orientem Græcos, & interpretante discipulo eius Ruffino, Latinos plerique in Occidente lectitant: qui librum quoque scripsit, quasi de monachis: multosque in eo enumerat, qui nunquam fuerunt: & quos fuisse scribit Origenistas, & ab Episcopis damnatos esse non dubium est, Aumonium videlicet, & Eusebium & Euthymium, & ipsum Euagrium. Or quoque & Isidorum, & multos alios, quos enumerare tædium est. Et iuxta illud Lucretij:

Liber de vitis patrum scriptus à Ruffino.

Ac veluti pueris absynthia tetra medentes
Quum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt dulci mellis flauóque liquore.

Ita ille vnum Ioannem in ipsius libri posuit principio, quem & catholicum & sanctum fuisse non dubium est, vt per illius occasionem cæteros quos posuerat hæreticos Ecclesiæ introduceret. Illam autem temeritatem, imò insaniam eius quis digno posset explicare sermone, quod librum Xysti Pythagorei, hominis absque Christo atque ethnici, immutato nomine, Sixti martyris & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotauit: in quo iuxta dogma Pythagoricorum qui hominem exæquant deo, & de eius dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur: vt qui volumen Philosophi nesciunt, sub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine, nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla Christi fit mentio: vt Episcopum & Martyrem sine Christi fide fuisse contendat. Vndè & vos plurima contra Ecclesiam vsurpatis testimonia. Fecerat hoc & in sancti Pamphili martyris nomine, vt librum primum sex librorum defensionis Origenis, Eusebij Cæsarienſis (quem fuisse Arianum nemo est qui nesciat) nomine Pamphili martyris prænotaret, quo scilicet egregia illa

Liber Sixti subnominem martyris.

quatuor

quatuor Origenis περὶ ἀρχῶν volumina Latinis infunderet auribus. Vis adhuc & alium nosse tui erroris principem? Doctrina tua Origenis ramusculus est. In eo enim Psalmo Vbi scriptum est (vt de cæteris taceam) *Insuper & vsque ad noctem erudierunt me renes mei*: asserit virum sanctum, de quorum videlicet & tu numero es, quum ad virtutum venerit summitatem, ne in nocte quidem ea pati quæ hominum sunt, nec cogitatione vitiorum aliqua titillari. Nec erubescas de societate talium, renuens eorum nomina, quorum blasphemijs iungeris. Iouiniani secunda quæstio, tui ingenij disciplina est. Quicquid illi responsum est, tibi responsum credito. Nec fieri potest, vt diuersus sit eorum exitus, quorum est vna sententia. Quum hæc ita se habeant, quid volunt miseræ *mulierculæ onerata peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, semper discentes, & nunquàm ad scientiam veritatis peruenientes*: & cæteri mulierc ularum socij, *prurientes auribus*, & ignorantes quid audiant, quid loquantur, qui vetustissimum cœnum quasi nouam suscipiunt temperaturam: qui iuxta Ezechielem *liniunt parietem absque temperamento*, & superueniente, veritatis pluuia, dissipantur? Simon Magus hæresim condidit, Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomenen suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius vt orbem deciperet, sororem principis antè decepit. Donatus per Aphricam, vt infœlices quosque ferentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adiutus est. In Hispania Agape Elpidium mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam, succesforemque sui Priscillianum habuit Zoroastris magi studiosissimum, & ex mago Episcopum: cui iuncta Galla non gente, sed nomine, germanam huc illucque currentem, alterius & vicinæ hæreseos reliquit hæredem. Nunc quoque *mysterium iniquitatis operatur*. Duplex sexus vtrumque supplantat, vt illud Propheticum cogamur assumere: *Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit, faciens diuitias suas, non cum iudicio. In dimidio*

Apologia pro Origene qua dicitur Pamphili, est Eusebij Ariani.

Psal. 15. 7.

2. Tim. 3. 6. & 7.

Ezech. 13 11.

2. Thess. 2. 7.

Hier. 17. 11.

dierum derelinquet eas, & nouissimum eius erit insipiens. Illud verò quod ad decipiendos homines quosque postea huic sententiæ coaptarunt (non absque Dei gratia) cum prima legentes fronte decipiat introspectum & diligentissimè ventilatum decipere non potest. Ita enim Dei gratiam ponunt, vt non per singula opera eius nitamur & regamur auxilio : sed ad liberum referunt arbitrium, & ad præcepta legis, ponentes illud Esaiæ : *Legem enim Deus in adiutorium posuit*: vt in eo Deo referendæ sint gratiæ qui tales nos cõdiderit, qui nostro arbitrio possimus & eligere bona, & vitare mala : & non intelligunt ista dicentes, quæ per os eorum intolerabilem blasphemiam diabolus sibilet. Si enim in eo tantum Dei est gratia, quod propriæ nos condidit voluntatis, & libero arbitrio contenti sumus : nec vltrà eius indigemus auxilio, ne si indiguerimus liberum frangat arbitrium: ergò nequaquam vltrà orare debemus : nec illius clementiam precibus flectere, vt accipiamus quotidie, quod semel acceptum in nostra est potestate. Istiusmodi homines tollunt orationem : & per liberum atbitrium, non homines propriæ voluntatis, sed Dei potentiæ factos se esse iactant, qui nullius ope indigent. Tollantur & ieiunia, omnisque continentia. Quid enim mihi necesse est laborare, vt accipiam per industriam, quod semel meæ factum est potestatis? Hoc quod dico non meum est argumentum. Vnus discipulorum eius, imò iam magister & totius ductor exercitus, & contra Apostolum vas perditionis, per solœcismorum, & non (vt sui iactitant) syllogismorum spineta decurrens, sic philosophatur & disputat: *Si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera, eius est omne quod gessero : ergò non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium : frustraq; dedit arbitrij potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adiuuerit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero. Ac per hoc,* ait : *Aut vtor semel potestate quæ mibi data est, vt liberum seruetur arbitrium : aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrij in me destruetur.* Qui hæc dicit, quam non excedit blasphemiam? quæ hæreticorum venena non superat? Asserunt se per arbitrij libertatem nequaquam vltrà necessarium habere Deum, & ignorant scriptum : *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Magnas agit Deo gratias, qui per libertatem arbitrij rebellis

Per singula opera, Dei regantur auxilio.

Esa. 8. 10. iuxta 70.

Liberum arbitrium non est gratia.

Diuinum adiutorium non destruit liberum arbitrium.

1. Cor. 4. 7.

in

in Deum est: quam nos libenter amplectimur, ita dumtaxat vt agamus semper gratias largitori: sciamusque nos nihil esse nisi quod donauit, in nobis ipse seruauerit, dicente Apostolo: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* Velle & currere meum est: sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus: *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere.* Et saluator in Euangelio: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit, quod semel donauit, nisi semper donauerit. Peto vt accipiam: & cùm accepero, rursus peto. Auarus sum ad accipienda beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo. Quantò plus bibero, tantò plus sitio. Legi enim à Psalmista cantari: *Gustate & videte quoniam suauis est dominus.* Omne quod habemus bonum, gustus est domini. Cùm me putauero ad calcem peruenisse virtutum, tunc habebo principium. *Principium* enim *sapientia timor Domini,* qui expellitur atque destruitur charitate. Hæc hominibus sola perfectio, si imperfectos esse se nouerint. *Et vos,* inquit, *cùm omnia feceritis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Si inutilis est qui fecit omnia, quid de illo dicendum est, qui explere non potuit? Vndè & Apostolus, ex parte accepisse, & ex parte comprehendisse se dicit, & necdum esse perfectum: præteritorumque obliuisci, & in futurum se extendere. Qui semper præteritorum obliuiscitur, & futura desiderat, ostendit se præsentibus non esse contentum. Quod autem sursum deorsum iactitant, liberum à nobis arbitrium destrui audiant, econtrariò eos arbitrij destruere libertatem, qui malè eo abutuntur aduersum beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? ille qui semper Deo agit gratias: & quodcunque in suo riuulo fluit, ad fontem refert? an qui dicit: Recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium? Dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem, vt faciam quod voluero: quid rursum te ingeris, vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleueris? Fraudulenter prætendis, vt Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus auxilium Dei requiras, ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere: & quum Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilia. Audite quæso, audite sacrilegum. *Si,* inquit, *voluero extendere digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, dis-*

Rom. 9. 16.
Philip. 2. 13.
Ioan. 5. 17.
Psal. 33. 9.
Prou. 9. 10.
1. Ioan. 4 18.
Luc. 17. 10.
Philip. 3. 12. & 13.

Gratia non est in hominis electione sed quærimus alterius auxilio.

turrere, sputa iacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, veleuare alium, vrinam digerere, semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingrate, imò sacrilege, Apostolum prædicantẽ: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite.* Et illud Iacobi: *Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut cras proficiscemur in hanc ciuitatem, & faciemus illic annum, vt negociemur & lucremur, qui nescitis de crastino. Quæ enim est vita vestra? Aura est enim siue vapor paululum apparens, deindè dissipatur: pro eo quod debeatis dicere, si Dominus voluerit, & vixerimus, faciemus aut hoc, aut illud. Nunc autem exultatis in superbijs vestris, omnis istiusmodi gloriatio pessima est.* Iniuriam tibi fieri putas & destrui arbitrij libertatem, si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, & dicas. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos?* Vndè & audes linguâ proferre temerariâ, *vnumquemque arbitrio suo regi?* Si suo arbitrio regitur, vbi est auxilium Dei? Si Christo rectore non indiget, quomodò scribit Hieremias: *Non est in homine via eius, & à Domino gressus hominis diriguntur? Facilia* dicis *Dei esse mandata*, & tamen nullum proferre potes, qui vniuersa compleuerit. Respondè mihi, facilia sunt an difficilia? Si facilia, profer quis ea impleuerit, & cur Dauid in Psal. canat: *Qui fingis laborem in præcepto.* Et iterum: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Et Dominus in Euangelio: *Intrate per angustam portã* Et: *Diligite inimicos vestros, & orate pro his qui persequuntur vos?* Sin autem difficilia, cur ausus es dicere, *facilia esse Dei mandata*, quæ nullus impleuerit? Non intelligis tuas inter se repugnare sententias? Aut enim facilia sunt, & infinita est multitudo hominum qui ea impleuerint: aut difficilia, & temerè dixisti esse facile, quod difficile est. Soletis & hoc dicere, *Aut possibilia esse mandata, & rectè à Deo data, aut impossibilia, & non in his esse culpam qui accepêre mandata, sed in eo qui dedit impossibilia.* Nunquid præcepit mihi Deus, vt essem quod Deus est, vt nihil inter me esset & dominum creatorem: vt maior essem angelorum fastigio, vt haberem quod angeli non habẽt? de illo scriptum est quasi proprium: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* Si hoc & mihi cum Christo commune est, quid ille habuit proprium? alioqui per se tua sententia destruetur. Asseris, *posse hominem esse sine peccato, si velit:* & post grauissimum sominum ad decipiendas rudes animas frustrà conaris adiungere: *Non absq; Dei gratia.* Si enim semel homo

1. Cor. 10. 31. Iacob 4. 13. & seq. Psal. 24. 15. Hier. 10. 23. Prou. 20. 24. Psal. 93. 20. Psal. 16. 4. Matth. 7. 13. Mat. 5. 44. 1. Pet. 2. 22.

homo per se potest esse sine peccato, quid necessaria est Dei gratia? Sin autem sine illius gratia nihil potest facere, quid necesse fuit dicere posse quod non potest? *Potest* inquit, *esse sine peccato, potest esse perfectius si voluerit.* Quis enim Christianorum non vult esse sine peccato; aut quis perfectionem recusat, si sufficit ei velle: & statim sequitur posse, si velle præcesserit? Nullusque Christianorum est, qui nolit esse sine peccato: omnes ergò sine peccato erunt, quia vtique omnes cupiunt esse sine peccato. Et in hoc ingratus teneberis, vt quia nullum, aut rarum quenquam sine peccato proferre potes, omnes sine peccato esse posse fatearis. *Possibilia*, inquit, *mandata dedit Deus.* Et quis hoc negat? Sed quomodò hæc intelligenda sit sententia, *vas electionis* apertissimè docet: ait enim: *Quod erat impossibile legis, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato condemnauit peccatum in carne.* Et iterum: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Quod ne de lege Moysi tantum dictũ putes, & non de omnibus mandatis, quæ vno legis nomine continentur; idem Apostolus scribit, dicens: *Cõsentio enim legi Dei iuxta interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum.* Cur autẽ hoc dixerit, alio sermone demonstrat. *Scimus enim quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venũdatus sub peccato. Quod enim operor, non cognosco. Non enim quod volo, illud operor: sed quod odi, illud facio. Sin autem quod nolo, hoc facio, consentio legi, quoniam bona est. Nũc autem nequaquam operor illud, sed quod in me habitat, peccatum. Scio enim quòd non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo, bonum, hoc facio: sed quod nolo, malum, hoc ago. Si autem quod nolo, hoc facio, nequaquam ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Reclamabis & dices: Manichæorum dogma nos sequi, & eorum qui de diuersis naturis Ecclesiæ bella concinnant: asserentium malam esse naturam, quæ immutari nullo modo possit. Et hoc non mihi, sed Apostolo imputa, qui nouit aliud esse Deum, aliud esse hominem: aliam carnis fragilitatem, aliam spiritus fortitudinem. *Caro enim desiderat contra spiritum, & spiritus contra carnem: & hæc inuicem sibi aduersantur, vt non quæ volumus,*

Quomodo Deus possibilia mandata dederit.

Rom. 8. 3.

Rom. 3. 20.

Rom. 7. 22. & seq.

Rom. 7. 22. & seq.

Gal. 5. 17.

volumus, ipsa faciamus. A me nunquam audies malam esse naturam. Sed quo modo sit carnis fragilitas differenda, ipso qui scripsit docente, discamus. Interroga eum quare dixerit, *non enim quod volo hoc operor: sed quod odi malum, illud facio.* Quæ necessitas illius impediat voluntatem, quæ tanta vis odio digna imperet facere: vt non quod vult, sed quod odit & non vult, facere compellatur? Respondebit tibi: *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum figulo: quare me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, de eadem massa aliud quidem vas facere in honorem, aliud autem in contumeliam?* Obijce Deo fortiorem calumniam, quare adhuc cùm in vtero essent Elau & Iacob, dixerit: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui* Accusa eum iniquitatis, cur Achar filius Charmi de Hierichuntina præda aliqua furatus sit, & tanta millia hominum illius vitio trucidata sint. Quamobrem filij Eli peccauerint, & omnis penè populus extinctus, arcaque sit capta. Dauid peccauit vt enumeraret populum, & cur in toto Israële, tanta hominum cæsa sint millia. Et ad extremum (quod solet nobis obijcere contubernalis vester Porphyrius) qua ratione clemens & misericors Deus ab Adam vsque ad Moysen, & à Moyse vsque ad aduentum Christi, passus sit vniuersas gentes perire ignorantiâ legis & mandatorum Dei. Neque enim Britannia, fertilis prouincia tyrannorum, & Scoticæ gentes, omnesque vsque ad Oceanum per circuitum barbaræ nationes, Moysen prophetasque cognouerant. Quid necesse fuit eum in vltimo venire tempore, & non priusquam innumerabilis periret hominum multitudo? Quam quæstionem beatus Apostolus ad Romanos scribens, prudentissimè ventilat, ignorans hæc & Dei concedens scientiæ. Dignare & tu ista nescire quæ quæris. Concede Deo potentiam sui, nequaquam te indiget defensore. Ego miserabilis qui tuas expecto contumelias, qui illud semper lego: *Gratia salui fieri estis:* Et, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata:* vt de mea fragilitate loquar, noui me multa velle, quæ facienda sunt, & tamen implere non posse. Spiritus enim fortitudo ducit ad vitam, sed carnis fragilitas ducit ad mortem. Et audio dominum commonentem: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus promptus est, caro autem infirma.* Frustrà blasphemas, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare.

Rom. 7. 15.
Rom. 9. 20. & 21.
Ibid. 22. & 23
Mal. 1. 2 & 3.
Ios. 7. 1. & 5.
1. Reg. 2. 22.
1. Reg. 4. 10. & 11.
2. Reg. 24. 1. 2. & 15.
Ephes. 2. 8.
Psal. 31. 1.
Matt. 26 41.

damne-

Damnetur ille qui damnat. Cæterùm nos ex eo differimus à brutis animalibus, quòd liberi arbitrij conditi sumus: sed ipsum liberum (ut diximus) arbitrium, Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget: quod vos non vultis. Sed id vultis, ut qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat. Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, & non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget. Tu ipse qui perfectam & Deo æqualem in hominibus justitiam jactitas, & peccatorem te esse confiteris: responde mihi, velis an nolis carere peccato? Si vis, quare juxta sententiam tuam non imples quod desideras? Sin autem non vis, contemptorem te præceptorum Dei esse demonstras. Si contemptor es, utique & peccator. Si peccator, audi tibi Scripturam loquentem: *Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti verba mea retrorsum.* Verba Dei dum non vis facere, post tergum tuum proijcis. Et novus Apostolus, orbi terrarum facienda, & non facienda decernis. Sed non est ita, ut loqueris: aliud in tua mente versatur. Quando enim *te* dicis *peccatorem, & posse hominem sine peccato esse, si velit*: illud vis intelligi, te quidem sanctum esse, & omni carere peccato: sed per humilitatem, peccati nomen assumere: ut alios potiùs laudas, & tibi detrahas. Illud quoque argumentum vestrum ferre quis possit? Dicitis his verbis: *Aliud est esse, aliud esse posse. Esse non est in nostra positum potestate, esse autem posse generaliter dici. Quòd licet alius non fuerit, tamen potuit esse qui esse voluerit.* Rogo quæ est ista argumentatio, posse esse, quod nunquam fuerit? posse fieri, quod nullum fecisse testeris? id cuilibet tribuere, qui an futurus sit ignores: & dare nescio cui, quod in Patriarchis & Prophetis & Apostolis fuisse nequeas approbare? Audi ecclesiasticam simplicitatem, sive rusticitatem, aut imperitiam, ut vobis videtur. Loquere, quod credis: publicè prædica, quod secretò Discipulis loqueris. Qui dicis te habere arbitrij libertatem, quare non liberè quod sentis, loqueris? Aliud audiunt cubiculorum tuorum secreta, aliud rostrorum populi. Etenim vulgus indoctum, non potest arcanorum tuorum onera sustentare, nec capere solidum cibum, quod infantiæ lacte contentum est. Necdum scripsi, & comminaris mihi rescriptorum tuorum fulmina, ut scilicet hoc timore perter-

Liberum arbitrium per singula Dei ope indiget.

Psal. 49. 16 & 17.

ritus, non audeam ora reserare: & non animadvertis idcirco nos scribere, ut vos respondere cogamini: & apertè aliquando dicere, quod pro tempore personis & locis vel loquimini, vel tacetis. Nolo vobis liberum esse, negare quod semel scripseritis. Ecclesiæ victoria est, vos apertè dicere quod sentitis. Aut enim ideo responsuri estis, quod & nos loquimur: & nequaquam eritis adversarij, sed amici. Aut si contraria nostro dogmati dixeritis, in eo vincemus, quod omnes cognoscent Ecclesiæ, quid sentiatis. Sententias vestras prodidisse, superasse est. Patet primâ fronte blasphemia. Non necesse habet convinci, quod suâ statim professione blasphemum est. Minamini nobis responsionem, quam vitare nullus potest, nisi qui omnino non scribit. Unde nostis quid dicturi simus, ut responsionem paretis? Forsitan vestra dicemus, & idcirco ingenij vestri acuetis stylum. Eunomiani, Ariani, Macedoniani, nominibus separati, impietate concordes, nullum nobis laborem faciunt. Loquuntur enim quod sentiunt. Sola hæc hæresis est, quæ publicè erubescit loqui, quod secretò docere non metuit. Magistrorum silentia profert rabies discipulorum. Quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant: ut si placuerit auditoribus quod dixerint, referatur ad gloriam magistrorum: si displicuerit, culpa sit discipuli, non magistri. Ideò crevit vestra hæresis, & decepistis plurimos: maximeque eos, qui adhærent mulieribus, & sciunt se peccare non posse: quia semper docetis, semper negatis: & audire meremini illud propheticum: *Gloriam in partubus & parturitionibus da illis Domine. Quid dabis illis? Vulvam sterilem & ubera arentia.* Fervet animus, nec possum verba cohibere. Epistolaris angustia non patitur longi operis magnitudinem. Nullius in hoc opusculo nomen propriè tangitur. Adversus magistrum perversi dogmatis locuti sumus. Qui si iratus fuerit atque rescripserit, suo quasi mus prodetur indicio, ampliora in vero certamine vulnera susceperus. Multi anni sunt, quòd ab adolescentia usque ad hanc ætatem diversa scripsi opuscula, semperque habui studio audientibus loqui, quod publicè in Ecclesia didiceram: nec Philosophorum argumenta sectari, sed Apostolorum simplicitati acquiescere, sciens illud scriptum: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et: *Fatuum Dei sapientius est hominibus.* Cùm hæc se ita habeant, provoco adversarios, ut omnes

Luc. 12. 3.

Osee 9. 14.

1. *Cor.* 1. 19

Ibid. 25.

retro

retro chartulas ex integro discutiant: & si quid in meo ingeniolo vitij repererint, proferant in medium. Aut enim bona erunt, & contradicam eorum calumniæ: aut reprehensibilia, & confitebor errorem, malens emendare quàm perseverare in pravitate sententiæ. Et tu ergo Doctor egregie aut defende quod loquutus es: & sententiarum tuarum acumina adstrue eloquio subsequenti: nequando tibi placuerit neges quod locutus es: aut si certè erraſti quasi homo, liberè confitere: & discordantium inter se redde concordiam. In mentem tibi veniat, tunicam Salvatoris nec à militibus fuisse conscissam. Fratrum inter se cernis jurgia, & rides atque lætaris, quod alij tuo nomine, alij Christi appellentur. Imitare Ionam, & dicito: *Si propter me est ista tempestas, tolle me & mitte me in mare.* Ille humilitate dejectus est in profundum, ut in typum Domini glorioſus resurgeret. Tu per superbiam ad astra sustolleris, ut de te loquatur IESVS: *Vidi Sathanam sicut fulgur cadentem de cælo.* Quod autem in Scripturis sanctis multi justi appellentur, ut Zacharias & Helizabet, Iob, Iosaphat, & Iosias, & multi quorum nominibus Sacra Scriptura contexta est, quanquam in promisso opere plenius (si gratiam Dominus dederit) dicturus sum: tamen in præsenti Epistola hoc breviter strinxisse sufficiat, quod justi appellentur, non quod omni vitio careant, sed quod majori parte virtutum commendentur. Denique & Zacharias silentio condemnatur, & Iob suo sermone reprehenditur, Iosaphat & Iosias, qui justi absque dubio dicti sunt, fecisse narrantur quę Domino displicerent. Quorum alter impio auxilium tulit & correptus est à Propheta: alter contra præceptum Domini ore Hieremiæ, occurrit Nechao Regi Ægyptio, & interfectus est: & tamen uterque istius appellatur. De cæteris non est hujus temporis scribere: neque enim à me librum, sed epistolam flagitasti: qui dictandus est ex ocio, & omnes oblatrationes eorum, Christi auxilio destruendæ, quod nobis sanctarum Scripturarum testimonijs asserendum est, in quibus quotidie credentibus loquitur Deus. Illudque te per sanctæ & illustris domus conciliabulum precor, atque commoneo, ne per unum, aut ut multum tres homunculos suscipiant tantarum feces hæreseon, aut (ut parùm dicam) infamiam: ut ubi primùm virtus & sanctitas laudabatur, ibi

Ioan. 19. 14

Ione 1. 12.

Luc. 10. 18.

Luc. 1. 20.

Iob. 42. 6.

2. *Par.* 19. 2

2. *Par.* 35. 22. & 23.

præsumptionis diabolicæ & sordidissimæ societatis turpitudo versetur, sciantque qui hujusce modi hominibus opes suggerunt, hæreticorum multitudinem congregare: & Christi hostes facere & enutrire adversarios ejus, frustraque aliud lingua prætendere, cùm manu sentire aliud comprobentur.

FINIS.

EPISTO-

EPISTOLA SYNODICA EPISCOPORVM AFRICANORVM IN SARDINIA EXVLVM DE GRATIA DEI ET HVMANO ARBITRIO.

In qua librorum meminerunt beati Fulgentij Episcopi, De veritate Prædestinationis & Gratiæ.

DE gratiâ plurimùm amplectendis sanctis fratribus, Ioanni Presbytero & Archimandritæ, & Vinerio Diacono, & fidelibus viris, quorum in vestra Epistola subscriptio continetur, Darianus, Fortunatus, Boëthus, Victor, Scholasticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Ianuarius, Victorianus, Photinus, Quodvultdeus, Famuli Christi in Domino salutem. Cap. 1.

Quantùm membra Ecclesiastici corporis per Christi gratiam in unitate fidei compages retinet charitatis: tantùm necesse est ut per invicem sollicita sint membra; ut repulso cujuslibet pravi dogmatis verbo, non solùm servandæ, verumetiam reparandæ sanitati jugis atque indefessa tam sermonis quàm orationis impendatur instantia. Sic enim fit ut dum
Rom. 5. 5. sollicitudo fraternæ puritatis invigilat, ipse *Spiritus Sanctus,*
Rom. 8. 28. *per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, diligentibus Dominum*, & in Domino proximum, *omnia cooperentur in bonum.* Quia sicut ipsam dilectionem dono gratiæ spiritualis accipimus; ita dum pro fratribus solliciti sumus, non solùm divinam inesse nobis gratiam demonstramus, verumetiam, quantò magis à nobis puritas charitatis impenditur, tantò magis gratia nobis divinæ retributionis augetur.

Accepimus itaque vestræ charitatis Epistolam, quæ nostrum ex parte relevavit, ex parte verò mœstificavit exilium. Cap. 2. Gaudemus enim quia rectam tenetis de gratia Dei sententiam, cujus lumine illuminatur, & juvamine gubernatur

liberum humanæ mentis arbitrium. Sed quadam ſumus nebula mœroris affecti, quia ſignificaſtis quoſdam fratres in quæſtione de Gratia Dei & Humano arbitrio non rectum tenere fidei Catholicæ tramitem: ſed adverſus Dei gratiam elevare velle humani arbitrij libertatem. Vbi primùm dilectiſſimi debetis agnoſcere, imò vos non ambigimus agnoviſſe, ad hoc divinitùs iſta permitti, ut hinc divinæ gratiæ virtus documento poſſit judicij manifeſtioris intelligi. Quandoquidem ipſa gratia nullatenus agnoſcitur niſi detur: quæ quamdiu non eſt in homine, tam diu neceſſe eſt ut ei aut ſermone repugnet aut opere. Nam ſermone repugnat gratiæ Dei, qui ſenſum gerit fidei Chriſtianæ contrarium: repugnat autem opere qui in moribus ſuis Chriſtianæ vitæ non tenet inſtitutum. Hoc quippe agit in homine gratia divinitùs data, ut animus dona fidei charitatiſque præcepto, & ſermonem bonum proferat, & ſtudio bonæ operationis inſiſtat. Quod fidelibus divinitùs dari beatus & oſtendit & poposcit Apoſtolus dicens: *Ipſe autem Dominus noſter* IESVS *Chriſtus & Deus pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere bono & ſermone.* 2. Theſſ. 2. 15. & 16.

Quid homini gratia præſtet.

Cap. 3. A Deo itaque nobis eſt omnis gratia boni ſermonis & operis, & quo nobis etiam ipſius cogitationis bonæ manifeſtum eſt ſufficientiam tribui: ut diſcat homo non in ſe, ſed *in Domino gloriari.* Divinæ quippe gratiæ bonam cogitationem hominis beatus aſſignabat Apoſtolus, quando dicebat: *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. Cor. 3. 5.

Cap. 4. Proinde, ac ſi quidam gratiam necdum habentes, non ſe intelligunt non habere: illi tamen qui gratiam divinitùs acceperunt, eo magis debent in ipſius gratiæ aſſertione firmari, quo eam vident non omnibus tribui. Neceſſe eſt autem, ut ab eis, quibus non tribuitur, ignoretur; & ab eis agnoſcatur, quibus divinâ largitate donatur. Teſtatur enim Apoſtolus, dona Spiritûs Sancti ejuſdem Spiritûs Sancti acceptione cognoſci. Ideo ait: *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritûs, ſpiritualibus ſpiritalia comparantes. Animalis autem* 1. Cor. 2. 12. & ſeq.

Gratia non datur omnibus.

autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia est enim illi: & non potest intelligere, quia spiritaliter dijudicantur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Per Sanctum ergo Spiritum gratiam accipimus, quo accepto fit in nobis, ut quod accepimus noverimus.

Proinde scienda est, dilectissimi, & recto tenore veræ fidei Cap. 5.
profitenda tam humani arbitrij ægena paupertas, quàm di-
1. Cor. 4. 7. vinæ gratiæ indeficiens largitas. *Quid enim habes*, ait Apostolus, *quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ante largitatem quippe gratiæ est in homine quidem liberum arbitrium, sed non bonum, quia non illuminatum. Proinde, nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non habetur. Sic namque est liberum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus sine luce. Nam & oculus ad videndum factus est: sed nisi lumen acceperit, non videbit.
Ioan. 1. 9. Illa autem est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illuminat* autem *hominem*, seipsam dando per gratiam. Sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, ut ipsum possit aspicere; sic & libero arbitrio hominis nulla potest gratiæ suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratiæ spiritalis infusio. Proinde ut de ijs quæ vestris litteris indidistis, quid habeat Catholici dogmatis veritas intimemur, singula breviter definire curavimus, sequentes donum ejusdem gratiæ, quod sanctorum Patrum cordibus & linguis ipsa est dignata infundere.

Quod lux est oculo, hoc gratia est libero arbitrio

Dixistis itaque, quod vobis dicentibus, quod Esau & Ia- Cap. 6.
Rom. 9. 11. cob necdum natis, Iacob per misericordiam gratuitam eli-
Gen. 25. 23. gitur, *Esau autem* originali peccato detentus justo judicio Dei
Mal. 1. 2. & 3. est *odio habitus*. Illi è contrario dicunt, in Esau figuram esse populi Iudæorum, ex futuris malis operibus condemnandi; in Iacob verò figuram esse populi gentium, ex futuris operibus bonis salvandi. Hæc duo, quæ singula proponitur, bonum est ut Catholicâ consensione jungatis. Sic enim & ab illis Dei gratia competenter agnoscitur, & à vobis propheticum mysterium non negatur. In illis namque duobus fratribus dignè accipitur duorum significatio populorum: præsertim cùm ipsi Rebeccæ Dominum consulenti *duo* prænuntien-
Gen. 25. 22 & 23. tur *populi, ab eius utero separandi.* Veruntamen agnoscenda est in illa discretione, & gratuita bonitas & justa severitas. Nam
Iacob. 1. 17. quia *omne datum optimum, & omne bonum perfectum desursum est, descen-*

Electio Iacob gratuita, & reprobatio Esau ex merito peccati.

descendens à patre luminum, & gratia discernuntur, quicunque salvantur; profectò non sunt electa neque dilecta in Iacob humana opera, sed dona divina. Rursus quia *iniquitas nostra iustitiam Dei commendat*, procul dubio in Esau humanæ iniquitatis est damnata nequitia. In eo quippe gratuitum in Iacob Dominus ostendit beneficium misericordiæ suæ, in quo eum non pro meritis futuræ cujusquam bonæ operationis elegit, cui seipsum, & fidem, & bona opera donaturum esse præscivit. Inde est quod *semini Abrahæ*, cujus in Iacob figura præcessit beatus Apostolus dicit: *Gratiâ salvi facti estis per fidem.* Vt ostenderet fidem non aliquibus bonis meritis dari, sed ipsius fidei dono, omne bonum meritum inchoari, ipsamque donum Dei esse, secutus adjunxit, *Et non ex vobis, sed donum Dei est.* Ac né quisquam sibi quorumlibet bonorum operum, audeat meritum vendicare, & pro quibuscunque operibus fidem se æstimet accepisse, subjecit, *Non ex operibus, né quis glorietur.* Vt autem ostenderet non solùm fidem, sed etiam bona opera divinitùs tribui, continuò subdidit: *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo* IESV, *in operibus bonis*, quæ non solùm à Deo donata, sed ab ipso præparata testatur dicens: *Quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Gratiâ itaque Iacob salvus factus est per fidem, gratiâ consecutus est bonorum operum facultatem.

Rom. 3. 5

Ephes. 2. 8.

Ibid.

Ibid. 9.

Ibid. 10.

Cap. 7. Quocirca, quia certum est Esau fuisse *vas iræ*, Iacob autem *vas misericordiæ*; certissimè tenendum est, quod & ille ut damnaretur, *iram* justè meruit; *non enim iniustus Dominus, qui iram infert*: & iste ut salvaretur, gratis donum misericordiæ prævenientis accepit. Iacob itaque *iustificatus gratis* per gratiam Dei, factus est *vas misericordiæ* per indebitam gratiam, & per ipsam misericorditer est præparatus ad gloriam: Esau verò per *iram* justam justè est præparatus ad pœnam. *Iniquitas autem nostra iustitiam Dei commendat.* Deus ergo in Iacob misericordiam gratuitæ bonitatis, in Esau verò judicium justæ severitatis ostendit. Qui Sacramento quidem circumcisionis octavo die secundum tenorem divinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit, sed per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit; illius ibi judicio derelictus, qui gratis salvat justeque damnat. In cujus persona significati sunt, non illi tantùm, qui fidem negant; sed & illi qui in finem vitæ suæ intra Ecclesiam positi, in malis operibus perseve-

Rom. 3. 5.

Ibid.

Gen. 17. 12.

Esau figura reproborum.

Galat. 5. 21 perseverant. De quibus Apostolus ait : *Quoniam qui talia*
Ioan. 3. 19. *agunt, regnum Dei non consequentur.* Nam sicut ille circumcisus
Eph. 4. 22. perijt, quia *dilexit tenebras magis quàm lucem:* sic omnis qui non *deposuit veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris*, condemnabitur in Iudicio, quia non condignè usus est Baptismatis Sacramento. Ad eundem quippe *veterem hominem* pertinent non solùm illi, qui ignorant Dominum, sed etiam
Tit. 1. 16. illi de quibus dicit Apostolus : *Confitentur se nosse Dominum, factis autem negant.*

De parvulis verò indubitanter tenenda Catholicæ regula veritatis : quia parvulus qui baptizatur, gratuitâ Dei bonitate salvatur : qui verò sine Baptismate moritur, propter peccatum originale damnatur. Nec aliquo dicendus est Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui absque justificationis gratia mortuus, est impiorum consortio deputatus: à qua impietate sive parvulus, sive majoris ætatis, solo quisque remedio eripitur, si Christi sanguine redimatur. Cap. 8.

De gratia verò non dignè sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari : cùm non solùm *non omnium sit fides*, sed
2. Thess. 3. 2 adhuc nonnullæ gentes inveniantur, ad quas fidei prædicatio
Rom. 10. 14 non pervenit. Beatus autem Apostolus dicit : *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Non itaque gratia omnibus datur, quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possunt, qui fideles non sunt, nec possunt credere, ad quos invenitur ipse fidei auditus minimè perveniisse. Ipsa
Ephes. 4. 7. verò *gratia* quibuscunque *datur*, non æqualiter *datur*, sed *secun-*
Rom. 12. 3. *dum mensuram donationis Christi*, & *unicuique sicut Dominus divisit*
1. Cor. 12. 11 *mensuram fidei* : qui non hominum personas accipit, *sed omnia operatur, unus atque idem spiritus dividens propria singulis prout vult.* Cap. 9. *Gratia non datur omnibus.*

Quod autem vos dicitis, sola Dei misericordia salvari hominem, illi autem dicunt, nisi quis propriâ voluntate cucurrerit, & elaboraverit, salvus esse non poterit : dignè utrumque tenetur, si rectus ordo servetur divinæ misericordiæ & voluntatis humanæ, ut illa præveniat, hæc sequatur : sola Dei misericordia initium salutis conferat ; cui deinde voluntas hominis cooperatrix suæ salutis existat. Ut misericordia Dei præveniens voluntatis humanæ dirigat cursum ; & hu- Cap. 10. *Gratia prævenit, voluntas sequitur.*

mana voluntas obediens, eâdem misericordiâ subsequente, secundùm intentionem currat ad bravium. Per hoc humana voluntas in eo quod currit utiliter & laborat, ex Dei misericordia sibi esse donum cursûs ac laboris agnoscat: nec sit ingrata misericordiæ per quam salutis accipit initium, ut per ipsam perveniat ad plenum sempiternæ salutis effectum, quia tunc erit bona, si Dei præveniatur dono, & tunc permanebit bona, si ejus non destituatur auxilio. Errat autem, quisquis putat sic à Domino tribui, velut si quis accepto idoneo pignore, pecuniam det: cùm Dominus itaque & *pignus Spiritûs Sancti* ipse quibus vult conferat, & *pecuniam suam nummularijs* expendendam, sicut ipse loquitur in Euangelio, servorum suorum curæ officioque distribuat. 1. Cor. 9. 23. 2. Cor. 5. 5. Matt. 25. 27

Cap. 11. *Illa verò* Apostoli sententia, quâ dicitur, *Ergo cuius vult miseretur; & quem vult obdurat*: melius quidem ex persona confirmantis accipitur. Quam si quis non vult ex persona confirmantis accipere, illud sine contentione attendat: quod subsequenter dicitur: *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Et cùm in utroque vase faciendo figuli cognoverit potestatem, in vase honoris indebitam gratiam Dei miserantis intelligat & in vase contumeliæ debitum judicium Dei obdurantis, id est, deferentis agnoscat. Deus autem obdurare dicitur, non quia ad iniquitatem compellit, sed cùm ab iniquitate non eripit: quod quia justus est justè facit. Deo ergo miserante sine suis meritis homo salvatur; obdurante autem, justè recipit quod meretur. Dominus quippe dono bonitatis salvat: judicio severitatis obdurat. Rom. 9. 18. Ibid. 21.

Quomodo Deus obdurat.

Cap. 12. Illud etiam quod vos dicitis, *Dominus est enim, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*: Illi autem dicunt, *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*: si utrumque, sicut oportet, animus in fide tranquillus acceperit, nulla de gratia & libero arbitrio quæstio remanebit. Iubet enim Deus homini, ut velit, sed *Dominus* in homine *operatur & velle*: jubet ut faciat, sed *operatur & facere*. Ideo utrumque jungit Apostolus dicens: *Cum timore & tremore salutem vestram operamini. Dominus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Ut ergo *cum timore & tremore* suam quisque *operetur salutem*, opus est volentis hominis: sed hoc ipsum Philip. 2. 13 Esa. 1. 19. Philip. 2. 12 & 13.

Deus dat bonum velle.

ipsum Dominus operatur in suis. at per hoc quoniam habet homo liberum arbitrium; audit præcepta, quæ faciat: sed ad implenda præcepta liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur, nisi divinitùs adjuvetur. Ita fit ut se operari debere homo cognoscat, dum præceptum accipit, & Domino se sciat semper omne bonum debere, quod vult ac facit: quem teste Apostolo cognoscat *operari* in homine *& velle & perficere pro bona voluntate.* Qui suis fidelibus hanc dignatus est gratiam promittere per Prophetam dicens: *Spiritum meum*
Ezec.36.27 *dabo in vobis, & faciam ut in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea observetis & faciatis.* Cùm ergo *Dominus* in homine *operari* cœperit *velle*, tunc homo ad Dominum convertitur, & eodem in se operante, unde ipsi placeat, operatur.
Heb.13.21 De Domino enim dicit Apostolus: *Aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem eius, faciens in vobis, quod placeat coram se.* Ad vitam quoque in tantùm potest homo manum porrigere
Psal.120.5. in quantùm habuerit *Dominum protectionem suam super manum dexteram suam.*

Nimis autem absurdum, illos putare *vasa misericordiæ*, qui vel sæcularem habent, vel Ecclesiasticam dignitatem; *vasa* verò *contumeliæ*, Clericos ac Monachos & Laicos æstimare:
Rom.9.23. cùm utique Apostolus *vasa misericordiæ* illa dicat, *quæ præparavit Dominus in gloriam*, non præsentem utique, sed futuram, quibus dicit: *Cùm Christus apparuerit, vita vestra, tunc*
Coloss.3.4. *& vos apparebitis cum ipso in gloria.* Ideo paulò superiùs eis ait:
Ibid.2. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Vasa* quippe *mi-*
Matth.25. *sericordiæ* sunt quibus dicitur: *Venite benedicti Patris mei, percipite*
34. *regnum. Vasa* verò *contumeliæ* sunt, quibus dicitur: *Ite*
Ibid.41. *maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Vasa* itaque *misericordiæ* non Ecclesiastica, vel sæcularis dignitas, sed in Ecclesia spiritalis charitas efficit. Quapro-
Gal.5.6. pter in quacunque professione tenuerit homo *fidem, quæ per*
2.Tim.2.21 *charitatem operatur, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.*

Contra prædestinationem verò Sanctum magnæ pervicaciæ est aliquem vel parare vel habere conflictum; cùm Apostolicæ prædicationi nullus audeat refragari, qua non so-
Rom.8.29. lùm dicitur de Domino: *Quos autem præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij eius*: & alio loco, *Prædestinavit nos in*

Cap. 13. *Per vasa misericordiæ & vasa cõtumeliæ qui intelligantur.*

Cap. 14. *Prædestinatio Sanctorum confitenda.*

nos in adoptionem filiorum per IESVM *Christum in ipsum*: verum etiam ipsum caput nostrum, ipsum *primogenitum in multis fratribus* beatus Paulus prædestinatum confidenter prædicat dicens: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis.* Quisquis ergo prædestinatum Christum & Sanctos ejus negat, Apostolicam fidem perversus oppugnat. Omnes autem prædestinati ipsi sunt, *quos vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Qui propterea *omnes* dicuntur, quia in utroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate & conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur; quia potestas ejus nullatenus vincitur. Ipse est enim qui *omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, & cuius voluntati nemo resistit.* Verùm namque est, quod de se testatus est filius, quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat; sed ipsam voluntatem bona faciendo vivificat. Hoc in majoribus. Parvulos autem in quibus necdum potest bona voluntas fieri, solius gratiæ facit operatione salvari.

Rom.1.3. & 4.

1.Tim.2.4.

Psal.134.6. Rom.9.19. Isai.5.21.

Cap.15. Liberum verò arbitrium, quod fuit in primo homine sanum ante peccatum; nunc in filijs Dei propriâ quidem infirmitate concutitur, sed majore divini muneris gratia sublevatur.

Cap.16. Quæstionem verò animarum aut tacitam debemus relinquere aut sine contentione tractare. quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod Sanctarum Scripturarum authoritas non manifestè pronunciat, cùm cautela debet inquiri: maximè quod sine fidei detrimento potest à fidelibus ignorari. Illud præcipuè observandum est & tenendum, parvulorum animas nexu peccati originalis obstrictas; omnibusque necessarium esse sancti Baptismatis Sacramentum, quo dimittitur peccati originalis vinculum, & amissa in primo homine per secundum hominem recipitur *adoptio filiorum.*

Baptismus omnibus necessarius.

Cap.17. Vos itaque, dilectissimi fratres, per gratiam Dei estote stabiles & immobiles: ac tenentes veram fidem, exhibete fratribus aliter sentientibus charitatem: nec de aliquo desperetis: quia qui hodie veritatem in aliquo non agnoscit, potest

potest cras Deo revelante cognoscere. Deo enim subest, cùm volet, posse. Oremus ergo pro eis, ut Dominus operetur in eis. Exhibeamus eis bonam voluntatem, de qua nos possimus habere mercedem: scientes quoniam in conspectu Dei quisquis de numero prædestinatorum fuerit, non peribit; & in omnibus voluntas omnipotentis implebitur, ut *per gratiam salvi fiant, & agnitionem veritatis* Deo illuminante, percipiant. Præ omnibus studium gerite, quos *ad Prosperum & Hilarium* scripsit, memoratis Fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormisdas sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in Epistola, quam consulenti se sancto Fratri Consacerdotique nostro Possessori rescripsit cum magno præconio Catholicæ laudis inseruit. Cujus hæc verba sunt: *De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica sequatur & servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini & maximè ad Prosperum & Hilarium abundè possit agnosci, tamen & in sermonibus Ecclesiasticis expressa capitula continentur.* Hæc itaque, dilectissimi Fratres, interrogantibus vobis breviter communi voluimus respondere rescripto. *Commendat libros Augustini ad Prosperum & Hilarium.*

Cæterùm unus ex nobis, in quantum Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos Fratres adversùs Gratiam & Prædestinationem intimastis vel sentire vel dicere tribus libris vestro nomine dedicatis, sufficienti disputatione respondit, quique adversùs duos libros Fausti Galli septem libros edidit: quos cùm recensueritis, agnoscetis protinus quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta convicit, authoritas divina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsus attestatio confutavit. Speramus autem in Domino, quoniam gratiæ suæ ita subsidium largietur, ut & benè sentientibus tribuat augmentum, & aliter quàm oportet credentibus donet agnoscendæ veritatis intuitum. Ipsa enim facit gratiæ suæ participes, *quos prædestinavit* ad vitam: ut in omnibus bonis suis humanæ arbitrium voluntatis gratiæ Dei subijciant, & ab ipso sibi cognoscant *descendere omne datum optimum, & omne donum perfectum*: sciant etiam ab ipso

Cap. 18. *Fulgentius.*

Jacob 1. 17.

ipso expectandum semper auxilium, qui prædestinatis suis
Joan.1.16. & gratiam & perseverantiam donat: ut *gratiam pro gratia* donum vitæ perennis accipiant.

FINIS.

BEATI

BEATI FVLGENTII

EPISCOPI RVSPENSIS,

De veritate Prædedestinationis & Gratiæ Dei,

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

DEo gratias ago, sancti Fratres, Ioannes Presbyter, & Veneri Diacone, cujus ope tales estis, ut pro gratia quâ salvamur, magno spiritu ac fervore cæteris. Contristatus autem sum, quod quidam Fratres nostri sub Christiano nomine nituntur Catholicæ fidei repugnare: scilicet munera gratiæ Dei ad humani virtutem, vel meritum transferentes arbitrij: tanquam sine Dei auxilio noster conatus divino valeat obedire præcepto: illudque tantùm sit Dei, ut nobis facienda præcipiat: nec *in nobis operetur ipse*, quod præcipit: & si quid boni Dominus tribuit homini, non videatur donare, sed reddere. Qui usque adeo divinæ bonitatis dona putant ex humanorum actuum qualitate pendere, ut etiam parvulos asserant sic præsciri & prædestinari divinitùs, ut nihil in ijs qui eliguntur inveniatur supernæ collationis gratuitum: nec *misericordia quemquam* gratuitâ dignatione *præveniat*, sed supplicij atque præmij retributio in sola cujusque propriæ voluntatis actione consistat. Illam quoque absurditatem quibusdam irrepsisse multùm miror & deleo, quia gratiæ Dei in tantùm inimici esse non dubitant, asserentes futurorum operum meritò parvulos baptizari: ut è contrario dicant illis quoque parvulis, qui sine Baptismate moriuntur, divinâ benignitate consuli, ut absque

Philip. 2. 13

Psal. 58. 11

ut absque sacræ ablutionis gratia rapiantur ad pœnam: in quibus scilicet Dominum futura eorum mala, si aliquantò diutiùs hîc viverent præsciſſe contendunt, & bonitate suâ præripuiſſe præsentis vitæ curricula: quasi possit aliquis beneficio sanctæ redemptionis, aut supplicijs perennibus subtrahi, aut muneribus æternæ vitæ potiri. Dum itaque pertinaciter contradicunt, seipsos mortifera pravitate confodiunt. Quibus videtur *Esau & Iacob*, geminorum scilicet fratrum *ex uno semine concubituque nascentium*, ita velle discernere merita, ut asserentes Esau ex futurorum operum præcognitione damnatum, Iacob quoque non gratuitò divinæ bonitatis munere, sed futurorum tantùm operum præscientia salvari non potuiſſe contendant: ut sic agnoscatur Dominus in utroque justus, nec credatur cuilibet eorum gratuita quicquam miseratione largitus. Cùm in hac præcipuè quæstione, quæ de parvulis vertitur, in qua non actualium propria cujusquam malitia peccatorum, sed ipsius peccatricis reatus originis intimatur, omnis qui non vult ab Apostolicæ fidei veritate desciscere, qui rectitudinem Catholici dogmatis, Deo illuminante, cupit inviolatâ credulitate, confessioneque servare, omni remoto hæsitationis ambiguo, veraciter credere debeat & fateri, Dominum vivum, & verum, & bonum, id est summam & ineffabilem unius naturæ atque essentiæ Trinitatem, primi hominis naturam totam bonam atque integram, sine naturali malo, ac sine ullo vitio condidiſſe; neque carni creasse necessitatem moriendi, neque animæ maculam cujusquam inseruiſſe peccati: & ideo humanam naturam ex Deo habere creationis bonum; ex hominis autem primi voluntaria prævaricatione, peccatum originale in nascentibus trahere, atque ex unius transgressione iniqua, & damnatione justissimâ, in cunctos simul, & iniquitatis nævum, & mortis manasse supplicium. *Homo* enim *ad imaginem Dei factus*, rectitudinem accepit voluntatis & operis.

Gen.25. 24 Rom.9.1.

Natura humanæ prima institutio.

Gen.1.17. Eccle.7.30.

CAPVT

CAPVT II.

ITaque talis est homo creatus, vt & peccare, & non peccare posset propriâ voluntate. ac propterea in eo dignè punitus est voluntariæ prævaricationis lapsus, quia nulla fuit ad peccandum naturali carnis, aut animæ necessitate constrictus.

1. Tim. 2. 14 Qui licet, sicut Apostolus docet, *seductus ipse non fuerit, mulieri* tamen, quæ *seducta in prævaricationem fuit* pravâ voluntate consentiens, sic improvidus sibi mortiferum vulnus inflixit, vt in illo *vno homine*, cuius est anima mortua per peccatum, corpusque mortuum propter peccatum, omnes originaliter peccato subderentur, & morti, quotquot essent ex illo primo homine peccatore per concubitum maris, & fœminæ nascituri. Postquàm autem omnium hominum genitor propriâ voluntate peccavit, veritatem divini præcepti, quod audierat, *in quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini*, & iustitiam Dei vlciscentis expertus, vno vetitæ arboris gustu, quia reliquit iustitiam, devenit in pœnam, & sponte in anima spiritaliter mortuus, supplicium quoque corporalis mortis excepit invitus. Voluntaria ergò animæ mors pœnalem corpori peperit mortem: & hominem primum quia possedit mors criminis, etiam mors illicò subsequuta est vltionis. Vnde factum est, vt eius vniversam progeniem non solùm in iis, qui proprio possent arbitrio delinquere, sed etiam in parvulis necdum propia vtentibus voluntate, reatus obstringeret, & prævalente peccato, pœnalem sibi *per omnes homines mors*, & transitum vendicaret, & regnum. Propter quod & Apostolus, dicit, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita per omnes homines mors pertranfit, in quo omnes peccaverunt.* Item dicit, *Regnavit mors ab Adam, vsque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Ada.* Peccans igitur homo totam in se peccato subdidit progeniem, quandò delinquendo veram perdidit libertatem: *à quo enim quis devictus est, & servus addictus est: & omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Ab hac servitute, quâ nascens parvulus tenetur obstrictus, solus *mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus* liber est genitus, qui licet verus homo natus fuerit, non tamen interveniente *concupiscentia carnis* nec ex concubitu maris, & fœminæ, sed de Spiritu sancto natus, ita veram carnem de

Propago peccati originalis in omnes Ada posteros.

Rom. 5. 12.

Ibidem 14.

2. Pet. 2. 19. Ioan. 8. 34.

Cur Christus immunis à debito contrahendi peccatum originale.

carne matris accepit, vt Dominus verus non culpam humanæ sumeret originis, sed naturam : & peccata in corpore suo non facienda reciperet, sed delenda portaret. Apostolicæ namq; prædicationis veraciter auctoritas docet, quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*, &c. *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt à peccatis separati cum iustitia viuamus.* 1. Pet. 2. 22 & 24.
Solius eius mater sicut virgo fuit ante conceptum, sic *virgo permansit inviolata post partum:* quia nec libidinem sensit, cùm Dominum conciperet in vtero factum mirabiliter hominem, nec aliquam corruptionem, dùm in verâ nostri generis carne pareret humani generis redemptorem. Dominus namque verus veram ex virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademit. Neque enim decebat, vt integritatem virginitatis creator humanæ carni Dominus in conditione tribueret, & idem carnis humanæ susceptor Dominus, quod fecerat redempturus, virginitatem carni, de qua nascebatur, auferret. Ipse est *secundus homo de cœlo*, qui non ideò *de cœlo dicitur*, quia indè secum voluit deponere substantiam sui corporis : sed quia nihil in se terrenæ cupiditatis *forma serui* habere potuit, quam in vnitate personæ Dominus *creator cœli terræque* suscepit. 1. Cor. 15. 47.

Dipara semper virgo.

CAPVT III.

NOn ergò cœleste corpus ad terrã deposuit sed ad cœlũ Dominus in se naturam veram terreni corporis elevavit. Hanc terreni corporis veritatem de terreno corpore matris accipiens, in carne sua *nostra peccata portavit*, cùm non haberet vllam vel originis, vel operis culpam. Dicit enim Isaias, quia *peccata nostra ipse portavit.* Vt ergò in hominibus quoque, *vbi abundavit peccatum, superabundaret gratia*, non solum illud peccatum diluit, quo *terrenus homo* vniversitatem suæ propaginis inquinavit : sed etiam huius gratia credenti dimittitur, quicquid illi originali peccato additum voluntariis hominum motibus vel operibus invenitur. Hoc vtique docet Beatus Apostolus dicens: *Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Hæc est *gratia Dei*, Esa. 53. 4. Rom. 5. 20. Ibidem 16.

quæ

Rom. 7.25. quæ *nos liberat per Iesum Christum Dominum nostrum*, cuius gratiæ opus liberator ipse nobis insinuans, ita loquitur: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis*: & alio loco, *Venit enim filius hominis* Ioan. 8.36. *quærere & salvum facere quod perierat.* Hæc *Dei gratia* quâ salva- Luc. 19.10. mur, non alicui præcedenti bono merito datur: nec tamen, nisi præcedenti malo merito denegatur. *Primus* enim *homo* peccati sui merita transmisit in omnes, quorum caro est de peccati lege concepta. Propter hoc in parvulis cùm nullum sit ex propria voluntate peccatum, inest tamen *filijs iræ* carnaliter genitis macula parentalis: quæ quidem benè dispositum divinæ creationis non perturbat ordinem: sed nævo paternæ transgressionis infligit tetram nascẽtibus fœditatem. *Prædestinatio gratuita.*

A billa igitur massa damnata nemo futurorum præscientia o- Rom. 9.21. perum discernitur: sed miserantis figuli ope, atque opere segregatur. Propterea *vasa misericordiæ*, quæ *de eadem massa* gratis *in honorem fiunt*, à *vasis iræ in contumeliã factis* gratuitæ iustificationis munere secernuntur.

CAPVT IV.

AD ostendendam autem gratiam, quæ gratis iustificat peccatores, Apostolica prædicatio non vasa iustitiæ, sed Ibid. 22. & *vasa misericordiæ* nuncupat, Beato Paulo dicente: *Quod si volens* 23. *Dominus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum: vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Ista mi- *Electio Iacob non fuit ex eius meritis.* sericordia neminem reperit dignum, sed omnes indignos invenit, & ex ipsis, quos voluerit, dignos facit. Hâc misericordia præventus Iacob, non secundùm meritum præteriti, seu futu- Ibid. 11. 12. ri cuiusquam humani operis, sed *secundum propositum* Dei præ- & 13. destinantis, priusquàm nasceretur, electus est. Dicit enim Apostolus, *Quia dùm nondum nati essent, aut aliquid egissent boni aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex* Gen. 25.23 *operibus, sed ex vocante dictum est Rebeccæ, quia maior serviet minori.* Vt ergò minor frater maiori præferretur, à Domino, neque præteriti fuit cuiusquam meritum, neque futuri operis: quandoquidem *ex vno* legitimo, iustoque *concubitu* reatus conceptorũ manebat æqualis. Gratia igitur hoc fecit bonitatis divinæ,

quæ nunquam sic data est, vt aliqua in homine bona merita reperiret, sed vt non habentibus ipsa conferret. Si enim cessante gratiâ per solâ operũ præscientiâ humanorum in parvulis vnius eligendi & alterius reprobandi fuisset facta discretio, nunquàm dixisset Apostolus. *Quia non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Ex operibus enim sine dubio Apostolus dixisset, si futurorum saltem ibi humanorum operum bona merita cognouisset. Sed quoniam in vtroque sola damnationis inesse merita scivit, electionis causam soli proposito diuinæ bonitatis attribuit. Quocirca ex duobus istis fratribus, quos *ex vno concubitu Isaac patris nostri* vnus in semine conceptus accepit, vnus in lucem partus effudit, sola quem voluit à massa damnationis misericordia diuina discrevit: cui patrocinata est gratuitorum prædestinatio munerum, non futurorum præscientia meritorum. Sic enim *secundum electionem propositum manſit*, vt ex *proposito Dei* gratuita foret electio. Voluntas enim causa est electionis, non electio causa est voluntatis. Sic autem fuit in electo gratis misericors Dominus, vt in reiecto non esset iniustus. Vnum enim gratis assumpsit, alterum iustè deseruit. *Vniuersæ* quippè *viæ Domini misericordia & veritas.* Bonitas ergò gratis miserantis Dei, & seueritas iustè iudicantis fecit, vt nec ambo acciperent gratuitum misericordiæ donum, neque vnũ simul sortirentur interitum, cùm originaliter causa vna fuit amborum. Propter hoc etiam per Prophetam, priusquam diceretur, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, non operis alicuius præteriti, vel futuri, sed solus propheticus sermo premisit generis mentionem: ita Malachia loquente, *Nonne frater erat Iacob Esau: & Iacob dilexi, Esau autem odio habui, dicit Dominus,* Cur igitur hîc non aliqua operum diversitas, sed sola nascentium fraternitas intimatur, cùm magis & illius qui dilectus est, bona opera & illius mala, qui odio habitus est, commemorari debuerint: vt nec in illo, qui dilectus est, personalis acceptio, nec in eo qui reprobatus est, iniusta condemnatio putaretur? Fraternitas enim nullam in se operum diversitatem significat, quâ vnum ab altero meritorum comparatione discernat. Non ob aliud ergò, absque commemoratione operum, ex duobus geminis fratribus vnum se *dilexisse*, alterum *odio habuisse Deus* ostendit, nisi vt agnosceremus, per conceptionis, nativitatisque consortium, quo constabat amborum

Rom. 9. 12.

Ibidem 11.

Psal. 23. 10.

Reprobatio Esau iusta

Mal. 1. 2. & 3.

borum fraternitas pari merito vtrumque in illa massa damnationis obstrictum: à qua misericors bonitas sic vnum gratis discerneret, vt alterum ibi non iniustè severitas iusta relinqueret. Iniusta verò parvuli cuiusquam causa damnationis existeret, si propago mortalis nullam peccati contagionem ex paterna radice sumpsisset. Scriptura verò divinitùs inspirata testatur, quod *à sorde* non solùm *nemo mundus* esse possit homi-
Iob. 14. 4. num, *si vnius diei sit vita eius super terram*: sed ipse quoque gene-
iuxtà 77. *Psal.* 50. 7. ris humani legitimus, nuptialisque conceptus non sit à culpa iniquitatis extraneus. Sanè hîc nullus calumniam veritati putet aliquatenus opponendam. Nos enim sanctorum patrum sequentes, Domino adiuvante, doctrinam, originalis peccati maculã in conceptu esse dicimus parvulorum, non in concubitu legitimo nuptiarũ, quarũ bonũ ab initio generis humani
Gen. 1. 28. divinitùs novimus institutum. Propter hoc & Apostolica do-
Heb. 13. 4. ctrina *honorabile connubiũ in omnibus, & thorum immaculatum* sine dubitatione commendat. Cùm igitur nuptiæ laudabiliter à Domino sibi tributam possideant in fide & charitate prolem mundam, tamen edunt peccato primi hominis inquinatam. De nuptiis ergò bonis vsque adeò bonum est, quod homo nascitur, vt malum non sit etiamsi de adulterio vel de fornicatione nascatur. Deus enim humanæ naturæ fœcunditatis donum contulit: libidinis verò malum non est creatura Dei, sed pœna peccati. Proinde de immunditia nuptiarum mundus homo non nascitur, quia interveniente libidine seminatur. Quam libidinem nuptialis honestas vtique non amat, sed in nuptiis mortalis propagationis necessitas tolerat. Ipsa conceptos polluit, etiamsi generantes fideles ad illicitæ commixtionis effectum trahere, ac præcipitare non possit. Ob hoc
Psal. 50. 7. sanctus David, legitimo fideliq; cõnubio natus, nõ sine gravi dolore maculã carnalis generationis deplorat. *Eccè enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit.*

Libido causa propagationis peccati.

CAPVT V.

QVæ cùm ita se habeant, fieri non potest vt quisquis, *in iniquitatibus concipitur*, sine iniquitatis obligatione nascatur. Ab hac vt absolveretur Iacob, Esau reprobato, nulla fuerunt merita hominis, sed divinæ gratia bonitatis. Circumci-
Rom. 4. 11. si sunt quidem ambo in corpore circumcisione visibili, quæ
Rom. 2. 29. in *figuraculum* iustitiæ fidei priore tempore patribus nostris est divinitus attributa. *Circumcisionem* verò *cordis*, quæ est *in spiri-*

spiritu, non littera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est, solus Iacob à Deo gratis iustificatus accepit: Esau verò quanquam fuerit & ipse *in carne circumcisus*, nõ est tamẽ divinæ dilectionis & electionis dono à massa perditionis exceptus. In quo quidem circumcisio carnalis fuit: sed idcircò non profuit, quia eum à *prudentia carnis, quæ inimica est Deo*, nullatenus circumcisio spiritalis exemit. In Esau igitur ante sæcula odio Dominus habuit mansuram hominis terreni nequitiam, & eum iustè deputavit ad pœnam. In eius verò fratre non aliqua bona opera, quæ essent futura ex homine præscivit, vt eum eligeret atque diligeret: sed ei ante sæcula iustificationis gratiam præparavit, per quam illi non solùm bonæ voluntatis initium, sed etiam bonæ operationis largiretur effectum. Nec in eo bona merita reperit, sed eum misericordiæ gratuito beneficio liberavit. *Moysi enim dicit, Miserebor cui miserebor, & misericordiam præstabo, cui miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Quid Deus oderit in Esau & quid in Iacob dilexerit

Rom. 8. 7.

Rom. 9. 15. & 16. Exod. 33. 19.

CAPVT VI.

GRatis igitur gratiam suam tribuit Dominus nato, quia gratis eam præparaverat nascituro. Bonis enim, quicquid boni habent, in voluntate, vel opere, Dominus tribuit, qui etiam tributa custodit. Iniquis verò & impiis, nec pręparare Dominus potuit aliquando, nec dare mala opera, quibus damnabiliter servirent: neque malas eis voluntates inseruit, quibus iniusta quæque culpabiliter vellent: sed præparavit eis ignis æterni pœnam, vt vltricem sentiant *in æterna combustione* iustitiam. Mala ergò voluntas non est ex Deo: & ideò eam iustus iudex in hominibus punit: quia non in ea creator bonus ordinem suæ creationis agnoscit: & perseverantia iniquitatis, atque contumacia superbæ cervicis, quia non ex largitate Dei habetur, idcircò Domino vltore damnatur. Eis autem, quos Dominus regni sui facit hæredes, gratis bonam voluntatem præparat, gratis donat: quibus etiam perseverantiam subministrat. Gratis quippè præparavit misericorditer tribuenda merita munerum, quibus iustè retribuat munera meritorum. Figuram porrò duorum populorum dubium non est in illis duobus præcessisse germanis: vnius scilicet salvandi alteriusq; damnandi.

Bona voluntates sunt à Deo, non autem mala.

Neque

Neq; tamen isti populo sic salus est pro operibus reddita, sicut est alteri pro operibus condemnatio retributa. Sed vnus quod non merebatur, accepit gratiæ salutaris donum: alter secundùm meritum recepit iustæ condemnationis interitum. In vno merita sunt damnationis inventa, alteri verò merita glorificationis gratuita sunt iustificatione collatâ. Ille vnde Domino placeret, ab ipso, cui esset placiturus, accepit. In omnibus igitur, qui gehennali traduntur incendio, invenit iusta severitas, quod puniat eorum malum, in quibusdam originaliter tractatum, in quibusdam etiam vitio propriæ voluntatis adiectum. Exceptis enim parvulis, quibus ad eligendam iustitiam, fugiendumque peccatum, necdum potest esse liberum voluntatis arbitrium, quia in ætate tenera torpet ratio consopita: cæteri, qui ratione vti possunt, adiecto reatu propriæ voluntatis, aut ad fidem non accedunt, aut à fide discedunt. Vt autem fiat quis iustus ex impio, amicus Dei ex inimico, absolutus ex reo, quamcumque agat corporis ætatem, ab ipso nativitatis exortu vsque ad decrepitam senectutem, nemo iustificatione invenitur dignus, sed gratuitâ bonitate iustificatur indignus: nec *de potestate tenebrarum eripitur, & in regnum filij dilectionis* Dei *transfertur*, nisi quem Dominus gratuito gloriæ dignatus fuerit munere prævenire, qui gratis salvat, & iustè condemnat. Misericors Dominus & iustus voluntatem pravam, quam non misericorditer corrigit, iustè punit, quia pravitatem in ea invenit, quam ipse non fecit. Bonam verò voluntatem ipse gratis præparat, gratis donat, ipse adiuvat, ipse consummat.

Prædestinationis & reprobationis discrimen.

Coloss. 1. 13.

CAPVT VII.

CErtissimè itaque teneamus, omnes homines per semetipsos non solùm perfectionem, sed nec initium iustitiæ posse contingere: sed vniversos qui fiunt boni, divinâ iustificatione præveniri: & vt acceptâ bonâ voluntate non deficiant, opitulatione Dei profectum eis & perseverantiam tribui, nec aliquibus hominum meritis, præteritis aut futuris, gratiam dari: sed ipsius gratiæ dono atq; auxilio vniversa hominum bona merita, & inchoari & perfici. Iniquos verò, qui in sua iniquitate iusto Dei iudicio relinquuntur, etiâsi perceptione sacramenti carere dicantur peccati originalis reatu, subsc-

Gratia omnia merita bona prævenit & perficit.

ſequentium tamen, id eſt, propriorum merito peccatorum ad ignis æterni devolvi ſupplicium. Deus enim miſericors & iuſtus humanæ originis voluntatiſque peccata, ſive in parvulis, ſive in grandibus hominibus, quæ miſericorditer non diluit, iuſtè punit: quia ipſe eſt Dominus bonus & verus, qui hominem fecit, ſed peccatum in homine non creavit: quique merita & opera in omnibus hominibus nunquam invenit bona pro quibus, eos ſalvet, ſed ipſe in eis & voluntates & opera mutat, quandò eos gratuitâ miſeratione iuſtificat. Qui præſcientiæ ſuæ certâ & incommutabili firmitate in *vaſis miſericordiæ* non niſi gratiæ ſuæ præſcivit donum, quod à ſe noverat tàm in meritis munerum quàm in meritorum muneribus largiendum. Ipſe enim & gratuitam voluntati humanæ bonitatem donat, & bonam voluntatem in operibus adiuvat. Ipſe etiam in *vaſis iræ* illa præſcivit malitiæ humanæ opera, quæ eſſent in effectu proculdubio ſequutura. Secundùm rectam itaque fidem, ac perſpicuam veritatem, quod attinet ad parvulum, qui ſine beneficio ſecundæ nativitatis huic vitæ ſubtrahitur, ſicut præſciſſe fatendum eſt Dominum parvuli futurâ mortẽ, quæ vere futura erat ſic abſurdè dicitur Dominum præſciſſe parvuli futura peccata quæ futura non erant. Neq; enim Dñs rerum omnium conditor facienda præſciſſet, quæ faciẽda non eſſent. Scimus namq; præſcientiã Dei ſic eſſe veram atque incommutabilem, vt quæ futura præſcit, veræ futura ſint, nec aliquid faciendum præſciat, quod non ſecundùm præſcientiam eius fiat. Futura verò ſola in ſe creaturæ mutabilitas recipit, quæ in creatoris incommutabilitatem nullatenus cadit. Propterea Deo nihil eſt præteritum vel futurum, cui ſic omnia præſentia ſunt, quæ facienda præſcit, vt poſtquàm facta fuerint, præterita eì eſſe non poſſint: quoniã ſicut novit præterita, ſic novit & futura. Quæcumque enim cum tempore mutantur & tranſeunt, in eius cognitione ſine temporis tranſitu ac mutabilitate conſiſtunt. Rerum autem non earum quæ futuræ non ſunt, ſed quæ faciendæ ſunt, præſcientiam Deo ineſſe, liber Danielis Prophetæ teſtatur his verbis. *Dominus qui occultorum es cognitor, qui ſcis omnia, antequam fiant*, Dominus ergò ſcit in æterna præcognitione quod futurum eſt, vt fiat in opere.

Præſcientia eſt tantùm verè futurorum.

Daniel. 13. 42.

CAP.

CAPVT VIII.

ABſurdè itaque dicitur, quod præſcierit parvulum, ſi viveret, impium futurum: quem profectò non plus quàm vixit, præſcivit eſſe futurum, quem vtique præſcivit ad ætatem, quâ impiè viveret, non eſſe venturum, quia eum in ætate infantili de ſæculo veraciter noverat auferendum. Et in quo nulla peccatrix prænognita eſt ætas, vnde fieri potuit, vt ætatis, quæ futura non erat, præſciretur iniquitas: cùm ætas renati parvuli ſine actu omninò peccati eſſe poſſit: actus autem humani peccati ſine qualibet ætate non poſſit? Futuræ enim ætatis non abſurdè præſcita dicuntur opera vel bona vel mala, abſurdè autem præſcientia cuiuſquam humani operis in ætate aſſeritur, in qua futurus homo ipſe non niſi concipiendorum exordia, ita non niſi victurorum hominum actualia rectè dicimus Dominum præſciſſe peccata. Illius igitur præſcius operum rectè dicitur Deus, quorum in conſummatione non negatur ſubſequuturus effectus. Cæterùm quiſquis Dominum præſcium putat futurorum operum, quæ tamen futura non fuerant, reſtat vt præſcientiæ Dei, quam vtique non negat veracem, aliquam ineſſe, quod abſit, æſtimet falſitatem. Falſum eſt enim futurum eſſe aliquid, quod præſens non erit. Dei autem ſcientia nihil in ſe poteſt habere falſi, quia falſitas ineſſe veritati non poteſt. Præſcientia igitur veritatis, quæ in ſe non recipit falſitatem, ſicut faciendum præſcit quod faciẽdum eſt, ita non faciendum, quod faciendum non eſt. Non ergò Deus in parvulo peccata vlla præſcivit, quæ priuſquam moreretur, parvulus non admiſit. Si enim facienda præſciſſet, vtique fierent. Neque enim futura ſciret, quæ non facienda præſciret. Proinde fatendum eſt, quia ſicut parvulus mortuus eſt, ita eum Deus moriturum eſſe præſcivit, Dei enim præſcientia nullatenus fallitur: quia ſicut faciendum præſcivit mundum, & ſic eum fecit, quemadmodum faciendum eſſe præſcivit, ſicut in ipſo quoque mundo ſingula, quæ facta ſunt, vel fiunt, vel facienda ſunt, ita ſemper facienda fuerunt in Dei præſcientia, quemadmodùm ſunt in opere conſequuta, vel etiã ſequutura. Non ergò Deus præſcivit faciendum à quolibet homine, quod facturus homo non fuit: ſicut nec eius præſciẽtiam aliquid latuit eorum, quæ homines vel fecerunt, vel faciunt,

Præſcientia Dei ineffabilis.

ciunt, vel aliquando facturi sunt: Deus enim verus ea in operibus hominum præscire rectè dicitur, quæ & rebus & personis & temporibus inchoantur. Vbi autem vel res, vel persona, vel tempus non ostenditur, nullum vtique opus est, quod præscitum divinitus asseratur. Non autem congruit veritati, vt in præscientia Dei dicatur esse futurum aliquid, quod in tantum nihil esse convincitur, vt ex futuro præsens nullatenus fore vel fuisse monstretur: cùm vtique ipsum futuri nullatenus possit habere vocabulum, quod præsentis appellatione non sit quandoque censendum.

CAPVT IX.

A Parvulo ergò qui nihil fecit, nihil faciendum Dominus esse præscivit. Cur autem nō ab eo abstulerit originale peccatū, nos quidem scire non possumus: hoc tamen eum iustè fecisse, nullatenus dubitare debemus. Licet enim nō solùm ex nihilo creatis: sed etiam peccati gerentibus maculam, quàm mortaliter viventibus Dei filiis sicut gratia subinde diluit, ita frequenter infirmitas parit, incomprehensibilis consilij Dei clausa sit altitudo: illud tamèn nobis manifestum est, quia in Deo nulla iniquitas non est. De ipso enim scriptum est, *Deus fidelis, in quo non est iniquitas, iustus & sanctus Dominus Deus*: Et alio loco, *Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsa*. Ad quorum iudiciorum occultam profunditatem, (quia *iudicia Dei abyssus multa*) credimus etiam parentum, sive quorumlibet hominum negligentiam pertinere. Sicut etiam pro populo, qui ad baptismum pervenit, parentum curam non dubitamus ad divinæ gratiæ munera referendam. Et si quidem parentes non fuerint pietate ac bonâ conversatione præditi, Dominus qui malis quoque benè vtitur voluntatibus hominum, per malorum parentum sollicitudinē beneficium gratiæ suæ operatur in parvulo. Si verò parentes boni sint, non solùm parvulo bona voluntas parentum proficit, sed ipsis quoque parentibus in se credentibus gratiam bonæ voluntatis ipse largitur, vt pro parvulo piam sollicitudinem gerant, donec ad sanctæ regenerationis remedium vitale perveniat. Quorum tamen nec cursus potest, nec ipsa bonæ voluntatis sollicitudo pia sufficere: nisi eum dignetur Dominus suæ miserationis gratuito munere prævenire. Equidem bona voluntas, quæ à Domino pro parvuli regeneratione parentibus inspiratur, eos instigat vt

Deut. 32. 4.

Psal. 18. 10.

Psal. 35. 7.

Quod parvuli ad baptismum perveniant Dei munere tribuendum.

Vt currant, quatenus parvulus ad ablutionem ſalutaris aquæ
Rom.9.16. perveniat. Veruntamen illius regenerationis effectus *non* cuiuſquam hominis *volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, qui & voluntatem parentum excitat, & volentibus adiutorium donat. Qui opportunitatem quoque prædicandi Philippo dedit, quandò ſpadonis animum ad legendum Iſaiam miſericorditer excitavit. Ipſe etiam locum tribuit, qui eos ad
Ibidem 36. ſtagnum gratuitâ bonitate perduxit. Ipſe in ſpadone opus gratiæ ſalutaris perfecit. quo illuminante idem ſpado *Chriſtum eſſe filium* Dei *credidit*, & ad ſtagnum veniens ſacræ tinctionis
Ibidem 38. effectum popoſcit: nec baptizatus tantùm, ſed & Spiritu ſancto repletus abſceſſit. Quis etiam Cornelium centurionem miſſo Angelo, vt Apoſtolum Petrum accerſiret, admonuit,
Act.10.3.4 & 5. niſi qui eidem centurioni gratis donum ſui timoris, ac bonæ operationis infudit? Vt enim Dominus orationum eius & eleemoſynarum memoriam haberet, ipſius Cornelij prius meminit, non in eius quolibet opere bono, ſed in beneplacito ſuo vt ei donum ſui timoris infunderet, quo ei & eleemoſynarum ſtudium & ſanctæ orationis inſpiraret affectum. Ipſe
Hab.13.20 & 21. igitur ei placendi gratiam contulit, qui in eo, quod coram ſe placeret, in venit. Ipſe eſt enim de quo Apoſtolus dicit, *Deus autem qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ovium in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, faciens in vobis, quod placeat coram ſe.* In tantum autem divinæ gratiæ fuit, quod Cornelius admonitus eſt, vt ad ſe petrum accerſiret, vt etiam ipſi Petro Spiritus ſanctus venientibus ad eum, quos Cornelius miſerat, non ſolùm, vt cum eis iret præciperet, quin etiam formidinem totius dubitationis auferens, à ſe illos miſſos fuiſſe firmaret. Denique ſic eidem Petro à Spiritu ſancto dictum eſt;
Act.10.19. & 20. *Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, deſcende, & vade cum eis, nihil dubitans: quia ego miſi illos.* Apoſtolos quoque volentes ire
Act.16.6. & 7. in Bithyniam atque Aſiam vetitos à ſpiritu ſancto legimus. Et
Act.9.4.10 & 11. poſtquàm Saulum Dominus ſuâ voce proſtravit, ipſe ad eundem baptizandum Ananiam viſitavit, & miſit. Paulus etiam Corinthiis ſcribens evidenter affirmat, ſollicitudinem ſanctã Tito diſcipulo ſuo, quâ pro illis ſatageret, divinitùs inſpira-
2.Cor.8.16 tam. Sic enim dicit: *Gratias autem Domino, qui dedit ſollicitudinem pro vobis in corde Titi.*

CAPVT X.

CVm ergò scripturarum attestatione sanctarum manifestum sit, quod Dominus, *cuius voluntati nemo resistit*, cuius dispositionem nemo mutat, cuius iudicia nemo comprehendit, secundùm abundantes divitias gratiæ suæ, quas habet in bonitate super omnes, quos de massa damnata faciens *vasa misericordiæ in honorem*, gloriamque discernit, hominibus quoque ratione vtentibus congruas ad salutem personas aut procuret aut deneget, in aliis scilicet iustitiam tenens, aliis misericordiam tribuens: cur non etiam in baptizandis infantibus certissimè credamus, ac liberè proclamemus diligentiam parentum ad gratiam redimentis, negligentiam verò ad iudicantis Dei iustitiam pervenire? Non quia ex Domino est boni operis negligentia, à quo nulla vnquàm potuit esse mali operis causa: sed quia bona voluntas, quæ à Domino tribuitur, quantum in charitate profuit, tanto maiorè pro salute cuiuslibet animæ sollicitudinem gerit. Mala verò voluntas, quæ suo merito gratiam charitatis aut non accipit, aut amittit, torporem negligentiæ non deponit, & dùm in suis tenebris derelinquitur, magis ac magis cæcatur. Deo igitur in hominibus misericorditer operante, providente etiam adiutoria personarum atque opportunitatum, & ipsa facultas operis tunc invenitur ad baptizandum parvulum, quando in eo Dominus statuit opus sanctæ ablutionis implendum. Deus enim, qui parvulum *non volentem, neque currentem*, fidei nescium, suæque salutis atque vtilitatis ignarum, in quo nulla regenerationis petitio, nulla fidei potest inesse confessio, gratuitâ sacramenti virtute mundat, ipse pro redemptione parvuli animos parentum sive quorumlibet fidelium voluntates excitat, vt etiam illis, *cum timore & tremore salutem suam operantibus* proficiat ad bonæ retributionis mercedem, per quorum piam curam infans perducitur ad salutem. Si enim *mercedem suam non perdet, qui calicem aquæ frigidæ vni ex minimis Christi in nomine discipuli dederit*, quo sola caro pascitur, quomodo mercedem non habebit, qui piâ sollicitudine currit ac satagit, vt caro infantis, animaque salvetur?

Rom. 9. 19.

Ephes. 2. 12.

Mat. 10. 42.

CAP.

CAPVT XI.

QVocirca etiam hæc bona voluntas divinitùs dari credenda est parentibus piis, quâ fructum suæ carnis, quem carnaliter editum, noverant originalis peccati contagione pollutum, non negligant spiritali regeneratione mundandum: neque tantùm cupiant habere temporaliter hæredem, quantùm desiderent & vigilanter satagant *Christi* secum fieri *coha-*
Rom. 8. 17. *redem*: & quem habent ex semine filium mortaliter transiturum, *ex aqua & Spiritu sancto renatum* fratrem habeant sub Deo
Ioan. 3. 5. Patre perpetuum. Veruntamen hanc laudabilem voluntatem illis proculdubiò parentibus Deus tribuit, quibus per Spiritum sanctum gratiam sanctæ charitatis infudit. Ipsi quoque ad vitam æternam perveniunt, non quia in *corpore mortis huius* morituros filios gignunt, Sed quia in Dei timore viventes, cum eis ad secundæ nativitatis beneficium festinare non negligunt, & donec in eis opere compleatur, Christianâ dilectione parturiunt, quos humanâ fœcunditate pepererunt.

Curâ parentum pro filiorum salute Dei donum est.

Quos etiam baptizatos diffluere per flagitia, facinoraque
Ephes. 6. 4. non sinunt: sed eos secundùm Apostoli præceptum *in disciplina & correptione Domini* nutrire atque *educare* contendunt: magis eos volentes esse placitos Domino, quàm divites aut claros esse in sæculo. Vsque adeò verò manifestum est gratiam baptismi debere filiis à parentibus celeriter afferri, vt hoc non solùm boni fideles solliciti facere soleant, sed etiam illi, qui ad filiorum Dei non pertinent numerum: qui scilicet cùm fidelium censeantur nomine, negare convincuntur operibus fidē, dùm ea gerunt quæ fidei convenire non possunt. Nam vt de aliis taceam, nonnè videmus mulierculas quasdam filios suos non de connubio, sed de fornicatione susceptos, sollicitè ad baptismatis gratiam portare, multumque tueri, ne qui de illis carnaliter nati sunt, spiritali nativitate priventur? Ita cum iis quos invitæ plerumque concipiunt atque pariunt, volentes ad Ecclesiam trementesque concurrunt: & cùm peccatorum fornicationis suæ negligant, ita in iniquitatibus suis remanēt, vt tamē filios suos absolvi vinculis peccati originalis exoptēt. Sic Dñs bonus parentū bonorū piam voluntatem non solùm parvulis, verùmetiā ipsis parētibus facit ad effectū gratiæ proficere: iniquorum verò parentū sollicitudinē facit commodis

filiorum quibus confert: gratiam, militare, quia etiam illi, qui in se beneficium baptismatis operibus malis evacuant, quid conferat baptismatis gratia, non ignorant: & cùm in carne sua mortiferæ cedant libidini, in fructu tamen carnis suæ magis cedunt agnitæ veritati. Si verò aliqui parvulorum parentes Christiani (quod interim, quia multum à religione abhorret, durum est credere) Christianæ charitatis, & suæ non minùs quàm filiorum salutis obliti, curam regenerandorum non habent parvulorum: non nostram, sed Apostoli super hoc scelere sententiam audiant, & vtinam contremiscant, dicentis, *Si quis autem suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. Tim. 5. 8. Sicut autem nullus habet ex Deo, vt neget fidem: sic etiam negligentiam cuiuslibet operis boni nemo divinæ imputare permittitur voluntati. Sicut autem ad opus divinæ gratiæ pertinet, quod parentes pro regeneratione filiorum piam sollicitudinem gerunt: ita illud quoque divini iudicij est, quod Deus malas deserit voluntates, cùm parentes filiorum corporalem ita salutem diligunt, vt animarum in eis negligant sospitatem: curamque gerunt, vt morituri vivant, nec metuunt, si filij eorum cum reatu sempiternæ damnationis intereant: vbi maximam culpam contrahunt, & crudelissimi parricidæ spiritaliter fiunt. Diabolicis enim lucris ipso neglectus sui torpore militant, & placentes hosti nequissimo, regem bonum malis operibus exacerbant. Deum igitur, cuius *vniversæ viæ misericordia & veritas*, sicut humiliter laudare debemus, cùm gratiam donat; sic nemo iustè potest accusare, cùm denegat. Ea quippè est bonitas eius atque iustitia, vt gratuitâ miseratione redimi possit, quemcumque voluerit: *Voluntati enim eius quis resistit?* Iniustè verò damnare quempiam nec velit aliquandò, nec possit: quia *rectus est Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo, & iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, nec est iniquus Dominus, qui infert iram.* Psal. 23. 10. Rom. 9. 19. Deut. 32. 4 Rom. 3. 5.

CAPVT XII.

QVisquis igitur gratiæ divinæ mirabilem vult atque incomprehensibilem considerare virtutem, illud potiùs humili, pioque corde consideret, quomodò plerumque parentes pij, fideles & impigri, atque solliciti, cum parvulis suis ad baptismum velociter currant: & inter manus festinantium

tium parvuli sine baptismo moriantur. Consideremus ergò duos parvulos sine baptismate mortuos, vnum quem noxia parentũ neglexit incuria, alterũ cui parẽtũ quidẽ pia sollicitudo non defuit, sed mortis velocitate prærepto prodesse nequivit, qui scilicet inter manus portantium, quibus ad baptismũ gestabatur, priusquam perveniret ad futuræ vitæ beneficium, præsentem incurrit occasum, & antè caruit vita, quàm macula; priusque raptus est ad pœnam, quam perduceretur ad gratiam. Si de his duobus vni dicitur parentum negligentia nocuisse, dicatur cur alteri negatus est salutis effectus, cui nec voluntas potuerit parentum prodesse, nec cursus. An etiam huic à Deo dicitur fuisse consultum, vt qui prævidebatur futurus impius, beneficio putetur lamentandæ mortis adiutus? Quis hoc dicat, quisve non videat, quod talis obitus, non damnationi morientem parvulum præripuit, sed saluti? cui non est vtique levigata damnatio, sed redemptio denegata: nec consultum est, vt minùs torqueretur: sed raptus est, ne liberaretur. Nonnè hic & pia parentum voluntas, atque cursus ex Domino fuit? sed ideò non profuit, quia vt parvulus baptizaretur ex Deo non fuit, qui profundo iustoque iudicio illis quidem pro filio religiosum infudit affectum, sed parvulo vitale noluit largiri remedium. Nam & sancto David ipse donum charitatis infudit, vt Absalon filio parcendum præciperet; ne in sua impietate moreretur: sed ex Deo non fuit vt Absalon impius futuræ pœnitentiæ servaretur. Exhibuit ergò, quod debuit hominis sancti voluntas pia; sed operata est, quod oportere noverat divina iustitia. Illud etiam si quis piâ mente consideret, nonnè sicut divinæ misericordiæ suavitate mulcetur, ita divini iudicij profunditate terrebitur? Nonnunquàm enim, & parvulus fidelibus nascitur, & illis, sicut iam diximus pro redemptione filij pia fide, charitateque sollicitis ante moritur quàm sacro baptismate diluatur. Alter verò de infidelibus natus, cuius salutem parentes non saltem tepidè volunt, sed omninò non volunt, idem tamen parvulus supernæ dispensationis ordine parentibus, aut violenter auferetur, aut furto subripitur, & ad sanctum baptisma quorumlibet fidelium pia charitate perducitur, & mox, vt baptizatus fuerit, de hac vita discedit. Si parvulorum istorum originalis attendatur causa, ambo æqualiter *sunt iræ filij*, quia vno simul originalis peccati nexu tenentur obstricti. Vbi autem

Profunditas iudiciorum Dei in parvulorum diversione

2. Reg. 18. 5

duo-

rum prorsus æqualis est causa non vtique possunt merita pronuntiari disparia. Nulla igitur est causæ diversitas in infantibus, quæ faciat vnum eligi, alterum reprobari. Si verò parentum consideretur voluntas, illi qui Christiani sunt, vt eorum filius baptizaretur sollicitè voluerunt, instantissimè curaverunt, quorum tamen filius antequàm baptizaretur, morte præventus æternis est ignibus deputatus: ille verò, qui de infidelibus natus est, contra voluntatem parentum perductus ad gratiam baptismi, factus est *hæres Dei, & cohæres Christi*. Quid in his prævidit Dominus futurum, vt vni nihil conferre posset charitas parentalis, & alteri multùm crudelitas prodesset hostilis? Quis istam profunditatem iudiciorum Dei penetrare valeat? Quis non tamen hic & misericordiam gratuitæ bonitatis & iustitiam divinæ severitatis agnoscat? Vbi enim duorum parvulorum, nec in actibus aliqua sunt merita, nec in origine dissimilis causa, manifestum quidem nobis est, quod ambo fuerint originalis peccati vinculis obligati, occultum verò, cur non ambo fuerint absoluti. Rom. 8. 17.

CAPVT XIII.

SCiamus igitur imperscrutabile nobis esse, cur vno derelicto, alterum Deus ab illa perditionis massa gratis eripiat. Certissimè tamen scire debemus, quia *& miserator, & misericors Dominus, patiens, & multum misericors, & verax*, sic ei quem liberat, misericordiam donat, vt apud eum quem damnat, iustitiam, & veritatem nullâ ratione prætereat. Absolutus igitur accepit gratiam, quam semper laudet: damnatus verò invenit iustitiam, in qua non habet quod accuset, *vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus* Deo, quandò vnus in bonis suis præcedentem Dei agnoscit gratiam, alter in damnatione sua non falsam futurorum, quæ non erat facturus, operum præscientiam, sed veram primi parentis invenit culpam. Dicet aliquis, cur non ambobus largitus est Dominus gratuitam misericordiam, cùm vnus ambos reatus obstrinxerit? Cui, salva *incomprehensibili altitudine iudiciorum Dei*, respondemus, ideò non vtrumque, liberatum, vel vtrumque damnatum, quia Dominus, qui malum nec velle potest aliquandò, nec facere, ab vno iustâ severitate debitum præcepit exigi, alteri verò gratuitâ iussit bonitate dimitti. In duobus enim pariter Psal. 85. 15. Rom. 3. 19.

Cur in pari causa damnata originis nomidè decernat Deus de duobus parvulis.

riter impiis, quorum vnus absolvitur, alter damnatur, in absoluto cognoscitur gratuita benignitas Dei, quę potest absq; meritis vllis operum, gratis omne relaxare peccatum: in eo verò qui damnatus est, apparet iustitia Dei, cui nullum potest aliquandò placere peccatum. Nec misericors ergò absolutio culpabilis potest esse, nec iniusta punitio. Absolvit reum bonitas, quæ nullâ malignitate vincitur: punit reum æquitas, quæ nullis iniquitatibus delectatur. Deus ergò, cùm salvat homines, gratiam tribuit suis operibus bonis: & cum punit pro iniquitatibus peccatores, iustitiam retribuit humanis operibus malis: in illis vtique reparans quod facti sunt; sed in istis iudicans, quod fecerint. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Quia & ij qui non peccaverunt proprietate operum, originale trahunt ex primi hominis transgressione peccatum. Voluntatis autem divinæ secretum, quo vnum *impium iustificat*, alterumque condemnat, non ideò æstimemus iniustum, quia nobis videmus absconditum: sed ideò divinum iustũq; nemo esse dubitet, quia hoc hominum quisquam investigare non valet. Proindè cordis humilitatem simpliciter exhibentes, *misericordiam & iudicium Domino* cum Propheta *cantemus*: intentionem nostræ scrutationis eatenùs temperantes, vt discutere non velimus, quod comprehendere non valemus. Admonet enim nos sancta Scriptura dicens, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper, & in plurimis operibus eius ne sis curiosus.* Reverà enim frustrà labor superfluæ scrutationis impenditur, vbi nulla inventionis copia suffragatur: & noxia curiositas in reatum protinùs labitur, quandò modum suum humana infirmitas non metitur. Quin potiùs in hoc profundissimo divinę voluntatis arcano nihil aliud nostræ saluti congruere noverimus, nisi vt cùm David vnusquisque nostrum humiliter dicat: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, nec potero ad eam.* Cum Beato quoque Paulo religiosi clamoris iungamus effectum, qui ait, *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* In quo loco convenienter B. Paulus, priusquàm *incomprehensibilia Dei iudicia* diceret, *altitudinem sapientiæ eius, scientiæq;* præmisit. Quibus vtique verbis, omnem querelam, iustoque Dei iudicio aliquatenùs obtinentem humanæ vocis temeritatem

Rom. 3. 23.

Psal. 100. 1

Eccl. 3. 22.

Psal. 138. 6.

Rom. 11. 33 & 34.

obstrinxit. Certum enim est, ad personam atque officium iudicis pertinere, vt & in cognoscenda causa scientiam non negligat, & in iudicando rectum sapientiæ tramitem non relinquat; ne quandò vel aduersus incognitam veritatem conuincatur ignarus temerè iudicium ferre, vel agnitam deprehendatur insipienti peruersitate comprimere. Deus igitur nec inscius est, vt temerè iudicet: nec insipiens, vt aliquem iniustè condemnet; de quo prophetica clamat auctoritas. *Iustus Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* *Psal. 10. 8.*

CAPVT XIV.

PRoindè *in omnibus operibus suis* æterna laude dignus est Deus, quia cunctis, *quos secundùm propositum vocat atque iustificat*, gratis remittit iniquitatem: in omnibus autem, quos punit, irreprehensibilem retinet *æquitatem*. Causa verò maiorum atque minorum, qui sine baptismate cursum vitæ præsentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, vna est: ex hac vtrique *ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*, quia in eis *chirographum*, quo sibi eos deceptoris nequitia subdidit, Saluatoris gratia non *delevit*. Sed in eo est maiorum causa deterior, quia rationis vtendæ facultate percepta, reipuunt aut negligunt regenerationis salutare remedium, sine quo non solùm regno potiri nequibunt, quinetiam grauioribus supplitiis subiacebunt. Tales enim contemnentes *benignitatem Dei secundùm duritiem suam, & inuentens cor thesaurizant sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera sua*: vt non solùm pro originali peccato æternis ignibus ardeant, quibus arsuri sunt sine baptismate morientes etiam paruuli, qui *nihil boni aut mali egerunt*: sed etiam pro sua voluntate mala tanto deteriùs torqueantur, quantò ampliùs propriæ iniquitatis adiiciunt. In illo quippè originali peccato mors æterna vtrosque complectitur: hic autem pro voluntatum, actuumque malitia, pœna cumulatur. Deterius est enim redemptionis beneficium impia voluntate non quærere, quam ad illud impedimento teneræ prorsus ætatis venire non posse: graviusque præmitur qui oneri ex primis parentibus sumpto superaddit proprium, quàm qui solùm baiulat alienum. Eos verò qui sive originalium, sive etiam propriorum

Peccatum originale punitur pœna sensus in inferno.

Rom. 8. 28. & 30.

Matt. 25. 41

Coloss. 2. 14

Rom. 2. 5. & 6.

exuuntur

exuuntur oneribus peccatorum, gratia Dei præueniri nullus debet ambigere Christianus. In cuius gratiæ largitate quidã minore rerũ consideratione percepta, non leviter errant, existimantes eam omnibus hominibus æqualiter dari: ita vt etiã eis, qui beneficia ipsius gratiæ tanquàm ipsi multum minorant, dùm non credunt ipsius gratiæ opus esse in homine, vt gratia suscipiatur ab homine, quæ non ob aliud divinitùs datur, nisi vt bonam voluntatem in homine primitùs operetur, tantaque sit in vnoquoque, qui accipit, quantam Deus gratuitâ miseratione cordi accipientis infundit.

Gratia non omnibus datur æqualiter.

CAPVT XV.

DIgnum itaque est charissimi fratres, vt in singulis quibusque sententiis, in quibus nubilo cuiusquam obscuritatis ambigimus, sanctorum patrum definitionibus hæreamus: *quos præueniens misericordia Dei* gratis illuminavit, vt crederent, & *sequens* instruxit spiritaliter, vt docerent. Hi enim Apostolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certissimè cognoverunt, cognoscendumque libris, & epistolis reliquerunt, *gratiam Dei* non omnibus hominibus generaliter dari. Gratuitum quippè donum Dei est gratia: Propter quod dicit Apostolus, *vnusquisque proprium habet donum à Deo: alius quidem sic, alius verò sic.* Ista gratia, quam Deus *vasis misericordiæ* gratis donat, ab illuminatione cordis incipit: & hominis voluntatem non bonam invenit ipsa, sed facit: atque vt eligatur, ipsa priùs eligit: neque suscipitur aut eligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur. Ergò & susceptio, & desiderium gratiæ opus ipsius est gratiæ. Istam gratiam nullus hominum desiderare vel poscere, sed nec cognoscere poterit, nisi eam priùs ab illo accipiat, qui eam nullis præcedentibus operibus, aut voluntatibus bonis ad hoc largitur, vt voluntatem in quâ semper maneat, ipsa præparet, ipsa donet, ipsa illuminet, ipsa excitet, ipsa conservet.

Psal. 58. 11.
Psal. 22. 6.
1. Cor. 7. 7.

Susceptio & bonus vsus gratiæ est à gratia.

CAPVT XVI.

VT ergò *gratia Dei* cognoscatur, & diligatur, desideretur, ac postuletur, priùs donatur homini non cognoscenti, non diligenti, non desideranti, neque postulanti. Ipsa itaque se facit cognosci, diligi, desiderari, postulari. Cùm enim Dominus, sicut per Ezechielem Prophetam loquitur, *cor lapideum aufert ab hominibus, & dat eis cor carneum*, vtique per gratiæ suæ illuminationem mutat homini voluntatem, *hæc est mutatio* non humani arbitrii, sed *dextera excelsi*: per quam *filij hominum graves corde, qui diligunt vanitatem, & quærunt mendacium*, ad diligendam, & quærendam veritatem non ipsi bonam voluntatem afferunt, sed à Domino donum bonæ voluntatis recipiunt. Scriptum est enim, quia *præparatur voluntas à Domino*. A *verò* enim *lumine, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, bona voluntas datur, vt homo in Deum credat, Deumque fideliter diligat, à quo ipsa voluntas iugiter gubernatur, & regitur, vt nec *fides* hominis *deficiat*, nec *charitas refrigescat*. Vnde Salvator Petro dicit, *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua*. *Fides* autem ipsa est sanctorum, *quæ per charitatem operatur*. Sicut ergò bonæ voluntatis initium nemo potest habere, nisi fuerit *misericordiâ Dei præveniente* illuminatus, *quia præparatur voluntas à Dño*, & rursum scriptũ est, *Deus meus misericordia eius præveniet me*: Ita eandem voluntatem bonam nemo vsque in finem poterit obtinere, nisi fuerit iugiter eâdem *misericordiâ subsequente* servatus. Dicit enim Deo Beatus David, *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*. *Misericordia* igitur quæ gratis malum hominem *prævenit*, vt muter in melius, & ipsa quem bonum facit, *subsequendo* regit, ne mutetur in peius. Omne igitur bonum voluntatis, & operis tunc inesse potest homini, si prævenientis gratiæ largitate detur, eiusdemque gratiæ subsequentis opitulatione serveturt quæ malum prævenit, vt bonam Deo largiente voluntatem habere incipiat, quàm ante, quia per se habere non poterat, non habebat.

Gratia præ-venit & subsequitur bonas voluntates.

Exech. 11. 19.

Psal. 76. 11

Psal. 4. 3.

Prov. 8. 36. iuxtà 70.

Ioan. 1. 9.

Luc. 22. 33

Gal. 5. 6.

Psal. 58. 11

Psal. 22. 6.

CAP.

CAPVT XVII.

SVbsequitur autem bonum, vt perseveret & proficiat in bona voluntate, quam ex se habere non potuit, sed gratis accepit. Prævenit ergò dirigendo cor hominis pravum: quia
Psal. 7. 10. scriptum est. *Dirigit autem corda eorum.* Subsequitur autem, cu-
Ibidem 11. stodiendo correctum: quia similiter scriptum est. *Iustum adiutorium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde.* Gratia igitur in vtroque operatur: scilicet, & in errante, vt correctus vivat, & in correcto, ne depravatus abscedat. Non omnibus autem istam gratiam dari, & quibus datur, non omnibus æqualiter dari, quisquis piè quærit, eloquiorum sanctorum attestatione cognoscit. Quid enim priùs in homine bonum potest esse, quod ad æternam vitam tendat, quàm bona voluntas, de qua tamen in proverbiis dicitur. *Præparatur voluntas à*
Prov. 8. 35. *iuxtà* 70. *Domino.* Dominus ergò, qui in nobis bonam *voluntatem præparat*, ipse nobis bonæ voluntatis initium donat. Deum quoque in nobis operari non solùm vt velimus, verùm etiam, vt quod
Phil. 2. 12. & 13. benè volumus faciamus, Apostolus docet, dicens: *Cum timore & tremore salutem vestram operamini. Deus est enim qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate.* Huius bonæ voluntatis initium in fide consistere, liber Cantici Canticorum
Cant. 4. 8. *iuxtà* 70. ostendit, vbi Christus dicit Ecclesiæ, *Venies & pertransies ab initio fidei.* Quam tamen fidem non omnibus dari B. Paulus
2. *Thess.* 3. 2. *Rom.* 10. 16 asserit, dicens: *Non enim omnium est fides*: & rursus, *Non omnes obediunt Evangelio.* Quibus autem datur, non æqualiter dari,
Rom. 12. 3. eodem docente cognoscimus, qui ait; *Dico enim per gratiam quæ data est mihi omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Ob hoc ipse Apostolorum chorus, qui
1. *Cor.* 2. 12 *non spiritum huius mundi acceperat, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciret quæ à Deo donata fuerant ei*, sciens à Domino collatum sibi initium fidei ab ipso sibi eandem poscebat augeri: Lucas enim Evan-
Luc. 17. 5. gelista commemorat Domino dixisse discipulos: *O Domine, auge nobis fidem.* Cuius si ex se voluntas hominis habere posset initium, ex se profectò sumpsisset augmentum. Sed beati Apostoli vndè sciebant initium fidei accepisse, quod non habebant, inde sibi eiusdem augmentum poscebant: quia gratia, quæ illis initium fidei contulerat, ipsa in eis augendæ desiderium suscitabat. In quo tamen desiderio licet iam fidelis esset

Gratia non est communis omnibus

Fidei initium & incrementum est à Deo.

voluntas, nullatenùs tamen sibi sufficeret, nisi qui initium fidei non poscentibus dederat, augmentum quoque poscentibus benignâ miseratione conferret. Vt ergò Apostoli crederent, voluntas non defuit, sed in eis ipsam *Voluntatem* DOMINUS *præparavit*: Nam vt homo nõ credat, ex se habet infidelitatem: vt autem in Deum credat, à Deo accepit fidem, & vt in eo fides augmento subsequente perficiatur, non hoc virtus, humanæ voluntatis, sed divina gratia facit: quia DEUS sicut *voluntatem* ad credendum per gratiam *præparat*, sic ipsam voluntatem gratiâ operante consummat: & sicut fidem non habentibus ipse donat, sic in illis etiam, qui habent, ipse multiplicat. Propter quod in Epistola quæ ad Hebræos est scripta, sic dicitur: *Deponentes igitur omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum.* Proinde si ex se homo fidem habet, non est *auctor fidei Iesus*: & viribus suis homo fidem perficit, non est *consummator fidei Iesus*. Apostolica auctoritas *auctorem consummatoremque fidei* nostræ Dominum *Iesum* confitetur. Certum est igitur fidem in nobis nec esse posse, nec crescere, nisi ille nobis eam tribuat, tributam augeat, auctam perficiat, quem *auctorem, consummatoremque fidei* Apostolica professitur auctoritas. Propter quod Apostolus Paulus in Epistola, quam ad Ephesios scripsit, sicut à Deo dari gratiam prædicat, ita testatur non omnibus æqualiter dari, sed prout ille misericorditer donat, qui non pro meritis retribuere, sed gratis tribuere consuevit. Dicit enim: *Vnicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi* His itaque huiusmodi testimoniis ostenditur, nec omnibus dari gratiam, nec quibus datur, æqualiter dari, sed *secundùm mensuram donationis Christi*. Hinc est, quod eandem B. Apostolus concludens Epistolam, *pacem, charitatem*, atque *fidem* divinitùs optat tribui, dicens: *Pax fratribus & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Iesu Christo.*

Heb. 12.1. & 2.

Ephes. 4.7.

Ephes. 6.23

CAPVT XVIII.

VT ergò in Deum credere vellemus, ille nobis bonam voluntatem contulit: vt in eum crederemus, ipse fidem nobis donavit: vt illum etiam diligeremus, idem *nostris cordibus per Spiritum sanctum* gratiam *suæ charitatis infundit*. Non vtique, quia volumus gratiam accepimus, sed necdùm volentibus

Rom. 5. 5.

tibus nobis gratia data est. Quam ipsam gratis habere potuimus, vt gratiam acciperemus: sed infidelibus nobis est donata fides ex gratia. Quod *vas electionis* manifesto testatur eloquio, dicens, *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est.* Sola igitur gratia in nobis bonam volũtatem facit, sola fidem ipsi voluntati tribuit. Sed cùm bona voluntas habuerit fidem, sine qua bona esse non potest, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, incipit operari bonum, si tamen operanti gratia, nunquàm desit auxilium. Ideò enim in nobis gratia Dei bonã efficit voluntatẽ, vt habeat quã in nobis adiuvet, non solùm volentem, sed etiam operantem, & ideò voluntati nostræ donum credulitatis infundit, vt eidem voluntati credenti, operantique non desit. Vt ergò habeat fidem, non ex se sed ex Dei gratia sibi inesse noverit ipsam fidei largitatem. Parùm est autem nobis fidem scire vnicuique divinitùs dari, nisi certissimè noverimus tantam vnicuique tribui, quantam Deus donare dignatur, non quantam humana voluntas meretur. Quæ priusquàm accipiat fidem punitionẽ per se ipsam potest mereri, non fidem. *Omne enim quod non est ex fide, peccatum est, & sine fide impossibile est placere Deo.* Qui autem *Deo non placet*, sine dubio displicet, & qui Deo displicet, non eum mitigat, sed potiùs exacerbat. Nullum igitur accipiendæ fidei meritum potest habere voluntas, quæ non habet fidem: quia fidem non habere, hoc est displicere Deo. Infidelitatis autem malum non iustificationis, sed damnationis est meritum. Gratuita est igitur divisio fidei, quæ non secundùm infidelium, quæ nulla est, fidem, sed secundùm iustificantis Dei voluntariam vnicuique tribuitur largitatem. Hoc vtique *doctor gentium* docens, admonet nos, *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Beatus quoque Petrus *multiformem gratiam Dei* esse testatur.

Ephes 11.8

Heb. 11.6.

Rom. 14.23.

Mensura fidei cuiusque non ex homine, sed ex Deo est.

Rom. 12.3.

1.*Pet.* 4.10.

CAPVT XIX.

PRopter quod vnumquemque fidelium pro qualitate acceptæ gratiæ præcipit operari, dicens: *Hospitales estote inter vos, sine murmuratione vnusquisque qualem accepit gratiam, inter vos eam administrantes, vt boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Beatus etiam Paulus dicit, *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: habentes autem donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes.* Porrò ne quis diffe-

Ibid 9. & 10.

Rom. 12. 5. & 6.

differentiam donationum quibuslibet humanis operibus; aut meritis niteretur adscribere, ostendit idem Apostolus voluntariam gratiæ spiritalis tribui largitatem: quæ nullum invenit meritum, cui conferat donum, sed ipsa donat bonorum exordia meritorum. Ait ergò: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* 1. Cor. 12. 4. 5. & 6. Et post enumerationem charismatum dicit, *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Ibidem 11. Proinde nosse debet unusquisque Christianus; neque in viribus naturæ, neque in legalibus præceptis, sed in illuminatione cordis, & voluntario divinæ bonitatis munere constare gratiæ salutaris exordium, quâ fit, vt quod divinitùs præcipitur, non solùm à nobis agnosci, sed etiam diligi possit ac fieri. Neque enim ipsa natura humana per semetipsam potest aliquandò bonam resumere voluntatem, quâ placeat Deo, ex quo eam in primo homine perdidit, cum diabolo depravata, quam rectam divinitùs acceperat, voluntate consensit. Quam tunc sic perdidit, vt eam nullus hominum deinceps ex se habere possit, nisi eam ab illo gratis acceperit, à quo eam primus homo, cùm conderetur, accepit, quam si primus non perderet, omnis homo deinceps eam naturaliter possideret. Præcepta quoq; legis sonare possunt extrinsecùs auribus carnis: intrinsecùs autem nullus ea cordis auditu aliquatenùs salubriter percipit, nisi donum gratiæ spiritalis acceperit. Auget enim littera prohibendo peccatum, si desit audienti gratiæ spiritalis auxilium: & agnitâ lege homo prævaricator efficitur, nisi ad implendam legem *voluntas à Domino præparetur. Lex enim iram operatur, & vbi non est lex, nec prævaricatio: & concluſit Scriptura omnia sub peccato, vt iustificatio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Prov. 8. 35. iuxta 70. Rom. 4. 15. Gal. 3. 22.

Illuminatio cordis est gratiæ salutaris exordium.

CAPVT XX.

LEx itaq; sine gratia ostendere potest ægritudinem non sanare: vulnera monstrat, medicamina non ministrat: vt autem legis impleatur præceptum, gratia ministrat auxilium. Ac sic lex revelat culpam, gratia confert indulgentiam. Legis est igitur, quod peccata cognoscimus: gratiæ, quod vitamus. Dicit enim Apostolus, *Peccatum non cognovi nisi per legem.* Rom. 7. 7.

Discrimen legis & gratiæ.

Nam

Exod 20.17 *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* De
Rom 7.24. & 25. gratia quoque ait, *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Naturæ itaq; depravatæ vitium est, vt homo peccet; legis officium, vt hominem peccatum, quod ignorat, demonstret: gratiæ autem donú est, vt hominis vitium sanet, quod sibi culpa intulit, & legis agnitio cumulavit. Operatur ergò gratia & illuminationem in hominibus, & salutem: vt mandata *legis* quæ donec homo implere non poterat, non tantùm inutiliter sed etiam damna-
Ibidem 12. biliter audiebat adiutorio gratiæ præventus, nõ solùm *sancta, & iusta, & bona* esse noverit, verùm etiam charitatem accipiat qua possit & diligere, & implere quod discit. Non ergò
2. Thes. 2.3. putemus *gratiam Dei* omnibus hominibus dari. *Non enim omnium est fides*: & quidã charitatem Dei non recipiunt, vt salvi fiant. In quibus tamen, vt non credant, neq; diligant Dominum, humanæ voluntatis est vitium, quæ quãdiù gratia divini muneris non mutatur, aut præcepta non intelligit, aut intellecta contemnit, id est, aut nesciens peccat, aut peccatum suum vitio prævaricationis accumulat. De iis igitur, quos ignorantiæ cir-
Psal. 81.5. cumvallat obscuritas, dicitur, *Non sciverunt, neq; intellexerunt, in tenebris ambulant.* Hi, sicut Apostolus dicit: *Ambulant* † *de*
Ephes. 4.17. & 18. *vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum.* De scientibus verò dicit, quia *cum cognovissent Deum, non*
Rom. 1.22. *sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in co-*
Prov. 19.10 *gitationibus suis.* Et de contemptore servo dicitur: *Verbis non emendabitur servus durus sed etsi intellexerit, non obediet.* Quid est
Psal. 84.7. & 8. autem *verbis non emendabitur*, nisi solo mandato legis, si gratia desit, non convertetur? *Deus* enim *convertens vivificat nos*, vt *plebs eius lætetur in eo.* Ipse *nobis ostendit misericordiam suam & salutare suum* ipse *dat nobis.* Vt ergò non credat in Deum homo, ex se ipso habet infidelitatis vitium: vt autem credat, & dili-
Tit. 3. 3. gat eum, divinæ largitatis est donum. Si enim quæratur, quales homines invenit gratia: tales vtique quales designat Apostolus, id est, *insipientes, & incredulos, errantes, servientes desideriis, & voluptatibus variis, in malitia, & invidia*
Tit. 2.12. *agentes, odibiles, odientes invicem.* Ex quibus vitiis omnibus non possibilitate naturæ, & agnitione legis, sed *benignitate Salvatoris nostri Dei* nos prædicat esse salvatos. Cuius ope fit, *vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè vivamus in hoc sæculo.*

† Fortè in

CAPVT XXI.

Effectus gratiæ.

HOc igitur agit *gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum*, vt ex *insipientibus* sapientes faciat, *infidelibus* fidem tribuat, *errantes* ad vitam, non solùm vocet, sed etiam à pravis desideriis revocet pravis desideriis expulsis desiderium regni cœlestis inspiret: ablata voluptatum carnalium cupiditate, donum spiritalis delectationis, ac voluntatis infundat: extirpet inserta bonitate *malitiam*: benignitatis dono pellat *invidiam*: *odibilibus* quoque, & *odientibus invicem* donum sanctæ dilectionis attribuat. Vt ergò ex malis boni simus, & vt igne sanctæ charitatis flagremus, gratiæ spiritalis opere in nobis inchoatur, eiusque in nobis operatione perficitur. *Fructus* enim *Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas,* & cætera, quæ Apostolica doctrina commendat. Hoc in nobis Spiritu operante salubriter facienda cognoscimus, quia ipse *in nobis operatur*, vt cognita faciamus. *Non* enim *Spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Eodem quoque *spiritu agimur*, vt benè agentes, *filij Dei simus. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* Cœlestibus igitur obedientes eloquiis, firmissimè teneamus, omnium nobis bonorum initium divina largitate conferri. Nos autem, vt contineamus, ne mala faciamus, & vt bonum incipiamus velle, vel facere: nec initium à nobis habere possumus, nec profectum. Quemadmodum enim de continentia scriptum est, *quia nemo potest esse continens, nisi Deus det*, & Apostolus eam inter fructus Spiritus enumerat. Sic *charitas* quæ *non agit perperam*, quod ad continentiam pertinet, & quæ per bona opera *cooperit multitudinem peccatorum*, per quam in nobis Deus cooperatur, non solùm vt *declinemus à malo*, sed etiam vt *faciamus bonum*: quâ *diligamus* non solùm *proximos*, sed etiam *inimicos nostros, & benefaciamus eis, qui oderunt nos, & oremus pro persequentibus, & calumniantibus nobis.*

Gal. 5. 22.

1. Cor. 2. 12.

Rom. 8. 14.

Sap. 8. 21.

Galat. 5. 23. 1. Cor. 13. 4. 1. Pet. 4. 8. Psal. 36. 27. Matt. 5. 44.

CAP.

CAPVT XXII.

HÆc ergò *charitas* non ex noſtra voluntate aut eſſe incipit, aut creſcit in nobis: ſed gratia Dei faciente *diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quiſquis igitur in nomine gratiæ non vult falli vel fallere, audiat Apoſtolum, tumoris humani ſuperbiam, quæ ſibi nititur aſſignare bonæ voluntatis initium, ſollicitè comprimentem qui ait: *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Iacobi quoque ſententiam ſyncera cordis humilitate ſectetur, qua nos ab errore revocat, & in viam veritatis inducit, dicens: *Nolite errare fratres mei: omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt deſcendens à patre luminum.* Ipſe quoque noſter Conditor ac Redemptor, cùm *turbis in parabolis loqueretur*, vt oſtenderet intelligentioris agnitionis facultatem illis tantùm ineſſe: quibus eam ipſe largiri voluerit, quia ipſe eſt, *qui docet hominem ſcientiam*, dicentibus ſibi diſcipulis. *Quare in parabolis loqueris eis?* manifeſta reſponſione donum gratiæ cœleſtis aperuit, dicens: *Quia vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Ipſius quoque ad patrem directa confeſſio evidenter oſtendit omnem ſapientiam humanæ mentis ad intelligentiam divinæ prædicationis invalidam, niſi Deus qui docet exteriùs per hominem loquentem per ſeipſum interiùs docens, illuminet atque adiuvet audientem. Ait enim, *confiteor tibi pater, domine cœli & terræ, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Quo modo gratia omnibus aſſeritur data, quæ *à ſapientibus & prudentibus*, teſte ipſo donãte, monſtratur *abſcondita*? Nam & in ſubſequentibus verbis, agnitionem Dei non in humana poteſtate, ſed in divina oſtendit revelatione conſiſtere, cùm ait: *Nemo novit filium niſi pater, neque patrem quis novit niſi filius, & cui voluerit filius revelare.* Quis hìc non videat hominem ab homine inutiliter ſermonem doctrinæ cœleſtis audire: niſi ei magiſter Deus revelando miſericorditer loquatur in corde? Hæc autem revelatio ſpecialis eſt *filiorum Dei*, quâ non ſolùm cognitionis donum, ſed etiam divinæ dilectionis accipiunt. Non enim talis eſt iſta revelatio, ſive cognitio, qualis illorum, de quibus dicit Apoſtolus, quia *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit:*

Rom. 5. 5.

1. Cor. 4. 7.

Iacob. 1. 16 & 17.

Pſal. 93. 10
Mat. 13. 10. & 11.
Luc. 8. 10.

Inutilis eſt prædicatio verbi divini niſi Deus interiùs doceat.

Mat. 11. 25.

Ibidem 27.

Rom. 1. 19. 20 & 21.

nifestavit: scilicet *vt sint inexcusabiles: quia cum cognovissent* Deum, *non sicut* Deum *glorificaverunt, aut gratias egerunt*. Illa itaq; manifestatio, qua *cognoverunt* Deum, qui cognitum non dilexerũt, gratiam non habuit, quâ Deus sic cognoscitur, vt ametur.

CAPVT XXIII.

QVia ergò gratiam non acceperunt, propterea *cognoscentes* Deum, *gratias non egerunt*: & quia vasa iræ fuerunt *aptata in interitum*, hoc in eis operata est illa manifestatio, qua *Deum cognoverunt*, vt cognoscendo superbirent, non vt se humiliando diligerent. Tali ergò cognitione ablatâ excusatio est, non collata salvatio. In hâc autem revelatione, quam gratia Dei in *vasis misericordiæ* operatur, simul homini divinitùs agnitio Dei, dilectioque confertur. Illi enim qui non sunt electi, *inexcusabiles sunt*, electi autem inaccusabiles fiunt. Dixit enim Apostolus, *Quis accusabit electos* Dei? Deus *qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram* Dei, *qui etiam interpellat pro nobis*. In *vasis* ergò *misericordiæ* reatus naturalis humili, quàm gratia spiritalis donat, fide & charitate solvitur: in *vasis* autem *iræ* superbâ cognitione nutritur. per illam cognitionem cæcum cor à semetipso inflatur ad mortem: per hanc autem divinitùs illuminatur & humiliatur ad vitam. Illâ cognitione *cor obscuratur insipiens*, dùm quod *Dei est*, homo sibi superbus assignat: hac autem accipit lumen, vt hoc ipsum, quod Deum cognoscit ac diligit, non ex possibilitate naturæ, neque ex auditu legis, neque ex sua voluntate: sed ex Dei dono sibi inesse non ambigat, semperq; humilis esse meminerit, ne superbus amittat, quod indignus accepit. Cognitio ergò illa peccato adiicit prævaricationis reatum, ista removet a peccatore supplicium. Illa iustè damnat, ista gratis iustificat. Illic *scientia inflans* nutrit, augetque peccatum: hîc *charitas ædificans cooperit multitudinem peccatorum*.

Quare inexcusabiles qui gratiam nõ accipiunt

Rom. 9. 22

Rom. 8. 33. & 34.

Rom. 1. 21.

1. Cor. 8. 1. 1. Pet. 4. 8.

BEATI

BEATI FVLGENTII EPISCOPI RVSPENSIS

De veritate prædestinationis & gratiæ.

LIBER SECVNDVS

CAPVT PRIMVM

SVperiore libro, adiuvante gratiâ Dei quæ sola potest & humano cordi donum sanctæ cognitionis infundere, & ori rectam loquendi tribuere facultatem, quia *in manu Dei sunt*, & nos & sermones nostri, primitùs de Iacob & Esau satis superque ostendimus Apostolicæ documento sententiæ, nullis præcedentium aut subsequentium exigentibus operum meritis, sanctum Iacob, priusquàm nasceretur, electum, sed sola divini propositi benignitate discretum. Quod evidenter B. Paulus illo cognoscitur asseruisse sermone, quo ait: *dùm enim nondùm nati fuissent, aut aliquod egissent bonum aut malum, vt secundùm electionem propositum Dei maneret.* Quod Apostolus ideò dixit, *vt* non secundùm hominis, sed *secundùm electionem* vocantis *propositum manssisse* monstraret: neq; ex nascituri quolibet merito, sed ex voluntate Dei cognosceretur electio. Revera enim vocatio Dei ex hominis merito, & non ex gratia Dei fuisset electio, si quid bonæ vel malæ actionis inveniretur in parvulis. Sed quia nulla fuerunt in nondùm nascentibus *ex vno concubitu* conceptis operum merita propriorum, quæ diversitate sui vnum facerent eligi, alterum reprobari: quia si essent, non vtique *secundùm Dei electionem*, sed secundùm humana opera propositum Dei *maneret*. Quia ergò nulla fuit in illis fratribus diversitas proprii operis boni vel mali, quæ vni electionis conferret meri-

Rom. 9. 11.

tum, alteri damnationis inferret supplicium: propterea *secundum electionem* fuit *propositum Dei*, quia non ex merito eligendi voluntas eligentis mansit, sed ex eligentis proposito, gratuita fuit electi discretio. Propter quod apostolus sequutus adiunxit: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Hac igitur in quantùm Dominus donavit, geminorum fratrum quæstione tractata, generalem de parvulis sine baptismate morientibus inquisitionem operis series subrogavit. Qua diligentiùs discussa, & quantum arbitror, evidentiùs absoluta, ipsius demùm gratiæ, qua gratis præveniuntur quicunque salvantur, tractatus est à nobis sollicita inquisitione susceptus: quo patuit gratiam non omnibus hominibus vniversaliter dari, & quibus datur non æqualiter dari. Illius est enim, vel quibus eam, vel quantam dare, qui non eam humanis voluntatibus, aut operibus debitam retribuit, sed gratuitam illuminandis cordibus misericors ac benignus infundit. Et ideò cui voluerit, & quantam voluerit, profectò largitur, quia neque vllo bonæ voluntatis exortu, neque effectu cuiusquam boni operis priusquàm gratiam tribuat, invitatur.

Ibidem 12. & 13.

Gen. 25. 23

CAPVT II.

Gratia & liberum arbitrium sic confitenda vt neutrum tollatur.

VErumtamen quia plerosque novimus in quæstione *gratia Dei* & humani arbitrij non tenere discretionem: sed ita vnum asserere, vt alterum nitantur auferre, cùm gratia pietatis neutrum negari sinat, sed ordinem custodiri in vtriusque confessione præcipiat: nos gratiæ divinæ fulti præsidio, quo humanum & illuminatur & gubernatur arbitrium, in hoc fœcundo libello curavimus & *gratiam Dei* & arbitrium hominis asserere, vt neutrum tollamus, dùm vtrumque defendimus: sed ostendamus, quid horum sit, quod altero egeat, & quid se alteri gratuito munere bonitatis impendat: quid sit quod medelam semper expectet: & vnde beneficium medicinę indesinenter exuberet: Dicit enim creator salvatorque mortalium *non esse necessarium sanis medicum, sed malè habentibus, neque se venisse, vt vocaret iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Hinc itaque cognoscitur, quid idem *medicus* in infirmis inveniat, & quid ipse sanandis impendat. Invenit liberum hominis arbitrium

Mat. 9. 12. & 13.

bitrium, in ea duntaxat ætate, quæ vsui iam potest servire rationis, aut suæ infirmitatis nescium, aut morbo noxiæ cogitationis inflatum: dùm scilicet aut quid faciendum sit, nescit: aut quod faciendum scierit, suis se viribus implere confidit. Ac sic, aut homo nescius morbum amplectitur, aut plus ægrotat, dùm non à medico poscit, sed ipse nititur adhibere remedium. Vnde consequens est, vt lethali morbo vel ignorantiæ, vel superbiæ prægravatus, nec medicum requirat, nec in se effectum veræ sanitatis inveniat. Neque tamen libera voluntas ideò non est in homine, priusquàm sanetur opere divinæ conversionis, quia morbo magis vult obtemperare quàm medico: cùm eo ipso quò obtemperat homo, vel non obtemperat, liberum sibi inesse arbitrium evidenter ostendat.

CAPVT III.

Liberũ arbitrium in iustis & in impijs est, sed cum differentia.

EST ergò non solùm in hominibus iustis, verùm etiam in impiis liberum arbitrium, sed in istis bonitate Dei Redemptoris erigitur atque dirigitur: in illis autem Dei vlciscentis æquitate deseritur, & punitur. Ac sic in his non solùm cognoscendo, sed etiam diligendo inhæret veritati. In illis verò aut ignorat mandatum, & in peccato suo non est ei *peccati cognitio:* aut ad hoc potest peccatum absque adiutorio gratiæ Dei cognoscere, vt dùm se prætumit per semetipsum divinæ voluntatis implere posse mandata, non obtemperet humiliter voluntati Dei, sed bonum malè faciens suo potiùs famuletur errori: dùm scilicet *ignorans Dei iustitiam & suam volens constituere, iustitiæ Dei non est subiectum* quandò *finis legis* non nisi *Christus sit ad iustitiam omni credenti.* Medicus itaque noster peritus & bonus gratis ad vitam reducturus mortuos, ac sanitati redditurus ægrotos, ipse languentium salus & resurrectio mortuorum, in eo vivificandis ac sanandis hominibus insuperabili bonitate consuluit, in quo medicinam se nobis idem medicus fecit. Sed vt ordinem suæ curationis sapientia Dei sapienter expleret, priùs præceptum dedit per legem iustitiæ, quo suam infirmitatem ægrotus agnosceret, daturus effectum per gratiam, quo infirmus suæ infirmitatis salubriter conscius, non iam *confidens in virtute sua* tumesceret, sed ipsum fontem vitæ salutisque cognoscens, ab ipso sibi sanitatis beneficium postularet: nec suam iactans superbo corde

Rom. 10. 3. & 4.

Psal. 48. 7.

de iuſtitiam, ſic ſe putaret alienum à morbo, tanquàm non egeret curationis auxilio: vnde illa vox Phariſæi eſt: *Deus, gratias tibi ago quia non ſum ſicut cæteri homines, raptores, iniuſti, adulteri, ſicut & publicanus iſte.* Sed vulnera ſua contriti cordis humilitate reſpiciens, veraciter exclamaret, *Ego dixi Domine, miſerere mei: ſana animam meam, quia peccavi tibi.* Nec tamen medicus ille cœleſtis noſtram infirmitatem ſanaret cognitione dilectioneve mandati, niſi homini liberum dediſſet arbitrium. Sed *multiplicata eſt infirmitas* ſolâ cogitatione mandati, vt per gratiam inciperet ſanitas fidei ac dilectionis conſtitui. Cognitione itaque mandati ad benè operandum hominis liberum arbitrium convenitur: non quia voluntate tantùm vel virtute ſuâ poteſt homo implere quod ei lex iubet: ſed vt per mandati notitiam infirmitatis ſuæ ſibi conſcius fiat, & adiutorium gratiæ medicinalis expoſcat. Qua percepta, poteſt & diligere quod iubetur, & facere, & agnoſcere, vel quid poſſit, & vt poſſit expoſcere, & ſibi ſuæ infirmitatis imputare miſeriam, & ſanitatis aſſignare beneficiis medicinalibus gratiam.

Luc. 18. 11.

Pſal. 4. 5.

Pſal. 15. 4.

Vtilitas legis.

CAPVT IV.

HÆc omnia quæ ſuperiùs poſuimus, dignum eſt, vt cœleſtibus eloquiis aſſeramus. Per Iſaiam ſic loquitur Deus, *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: ſi autem nolueritis, nec obaudieritis me, gladius devorabit vos.* His verbis, quibus dicitur, *ſi volueritis, & ſi nolueritis*, proculdubio libertas humani declaratur arbitrii. Velle enim & nolle, voluntatis eſſe nullus ignorat. Quod ergò per Prophetam dicitur, *ſi volueritis & audieritis me*, noſtra convenitur voluntas, qua debemus & ſemper bonum velle, ac bonis operibus indeſinenter ac libenter inſiſtere. Cùm verò Apoſtolus dicit: quia *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate*, oſtendit vtiq; ipſam hominis voluntatem, & ad bene volendum non niſi diuino munere dirigi, & ad benè operandum diuinitùs adiuvari. Dùm ergò præcipitur nobis vt velimus, oſtenditur quid habere debeamus. Sed quia id ex nobis habere non poſſumus, admonemur vt à quo nobis datur præceptum, ab ipſo petamus auxilium. Quod tamen non poſſumus poſcere, niſi *Deus in nobis operetur & velle.* Voluntas

Eſa. 19. & 20.

Phil. 2. 13.

Deus dat petere & facere quod iubet.

tas enim quæ in nobis dono Dei miſerantis efficitur, ipſa in nobis, vt benè operari valeat, adiuuatur. Quæ de malis, in quibus ante iuſtificationem iacet, & in eis cum delectatione deficit, non ſuâ virtute, ſed Dei prævenientis operatione conſurgit: & poſt quam ſurrexerit, vt non cadat, ſola ſibi non poteſt ſufficere: ſed ſicut ad ſurgendum beneficio *miſericordiæ prævenientis* erigitur, ſic ad perſeverandum *miſericordiæ ſubſequentis* iuuamine cuſtoditur. Beatus itaq; David, & humani arbitrij voluntatem & virtutem divinæ gratiæ recognoſcens, convenit quidem nos, vt faciamus bonum, ſed quod à nobis imperat fieri, indè nobis poſcit, vndè nos habere poſſe non ambigit.

CAPVT V.

HVmanum igitur arbitrium ad converſionem provocãs, ſalubri prædicatione terret, dicens: *Niſi convertamini, gladium ſuum † vibravit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum.* Sed vt oſtenderet, quod operari præcipimus, converſionem quam nobis prædicat, dono ſupernæ operationis aſſignat, dicens: *Deus tu convertens vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.* Vt etiã ſuæ animæ vnuſquiſq; miſereatur, & Deo placeat, humanum divino ſermone ſic admonetur arbitrium: *Miſerere animæ tuæ, placens Deo.* Quia verò nemo poteſt *animæ ſuæ miſereri*, niſi qui *Dei miſericordia præventus* acceperit vt miſericors ſit, ipſe miſericordiæ largitor edocens dicit: *Miſerebor cui miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor.* Ideò & beatus David dicit: *Deus meus, miſericordia eius præveniet me.* Et quia Deo nemo poteſt placere, niſi in eo Deus operetur *quod placeat coram ſe* in epiſtola quæ ad Hebræos eſt ſcripta, manifeſtè poſitum eſt. Ibi quippe dicitur, *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ovium in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, faciens in vobis quod placeat coram ſe.* Deo igitur non placemus niſi velimus, ſed ab ipſo nobis tribuitur, vt velimus, à quo niſi voluntas hominis mutetur, vt bona ſit, aut ſemper appetit malum, aut nunquam benè appetit bonum. Ac ſic dum in rebus bonis rectum ordinem non tenet, Deo vero & bono nullatenus placet. Deo ergò non placemus, niſi in voluntate bona: ſed *vt id* faciamus, ipſe *facit in nobis, quod placeat coram ſe:*

Pſal 7.13. Pſal 84.7. Eccl. 30. 4 Rom 9.15. Exod. 33.19 Pſal. 58.11. Heb. 13.20 & 21.

† Fortè vibrabit.

Voluntas hominis ſine gratia aut malum appetit, aut bonum non bene.

David enim dicit, *Vt faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Sed ad ipsam voluntatem faciendam gratiæ spiritalis poscit auxilium, quâ doceatur vt sciat, & dirigatur vt faciat. Vndè & in alio loco sic orat: DOCE *me, vt faciam voluntatem tuam, quia tu es* DEUS *meus:* statimq; subiecit, *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.* Item Isaias præcipit, dicens: *Derelinquat impius viam suam: & vir iniquus cogitationes suas, & convertatur ad* DOMINUM. Paulus quoque Apostolus hortatur, vt *renovemur spiritu mentis nostræ, & induamus novum hominem, qui secundum* DEUM *creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.*

Pſal. 39. 9.
Pſal. 142. 10.
Ibid.
Eſa. 55. 7.
Epheſ 4. 23 & 24.

CAPVT VI.

VEruntamen ne conversio vel renovatio nostra humano assignetur arbitrio, vtramque nobis à Domino sanctus Hieremias deposcit his verbis: *Converte nos ad te, & convertemur, renova dies nostros, sicut antea.* Rursus Psalmista dicit, *Aperi os tuum, & adimplebo illud.* Vbi intelligimus os cordis significari, non corporis. De quo ore alio loco dicit, *In convertendo* DOMINUS *captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum.* Et tamen ne quis sibi oris apertionem superbus assignet, ostendit liber actuum Apostolorum, ad recipiendum Christianæ prædicationis verbum os humani cordis largitate divini muneris aperiri. Ibi enim scriptum est de *quadam muliere nomine Lydia purpuraria: cuius Dominus aperuit cor, intendere iis, quæ dicebantur à Paulo.* Iterùm scriptum est, quia *sapientia aperuit os mutum, & linguas infantium fecit disertas. Aperuit* enim *os mutum*, vt increduli crederent: *disertasque fecit infantium linguas*, vt quod crediderant, prædicarent. Vndè non immeritò credulitatem, locutionemq; suam S. Spiritus dono Paulus adscribit, dicens, *Habentes autem eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum, & nos credidimus, propter quod & loquimur.* Voluntariè homo *credit*, & voluntarie *loquitur*: sed hoc ex se voluntas hominis habere non potest, nisi Deus det; quia vt fidelis *credat*, *sapientia os mutum aperit*: & vt credens *loquatur*, *linguas infantium disertas facit.*

Thre. 5. 21
Pſal. 80. 11.
Pſal. 125. 1. et 2.
Act. 16. 14
Sap. 10. 21.
2. Cor. 4. 13.
Pſal. 115. 1

Præcepta conveniunt voluntatem.

Præcepta igitur, quibus per Prophetas atq; Apostolos admonemur, quid debeamus appetere, quid vitare, conveniunt nostrum arbitrium, vt dominicis iussis voluntariè serviamus. Sed cùm ipsi Prophetæ & Apostoli, qui Spiritu sancto repleti sanctè

ſanctè vixerunt, ſanctèq; docuerunt, nunquam deſtiterint à poſtulatione diuini iuuaminis, quippè ad implenda, quæ Deus iubebat; ab ipſo auxilium requirebant, procul dubiò ſicut non negabant ineſſe homini liberum voluntatis arbitrium, ſic illud ſine iuuamine *gratiæ Dei*, ad ea, quæ ſancta ſunt, non ſolùm agenda, ſed etiam cogitanda inſufficiens atq; invalidum teſtabantur. Vndè S. Apoſtolus oſtendens in homine liberum voluntatis arbitrium, Philippenſes ad ea, quæ ſancta & iuſta ſunt, cogitanda atq; agenda præceptis ſalutaribus hortatur, dicens:

Philip. 4. 8 & 9. *Quæcunq; ſunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; ſancta, quæcunq; iuſta, quæcunq; bona fama, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate quæ didiciſtis, & acceptiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. Hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.* Nonne & vt *cogitent*, & vt *agant quæ ſancta ſunt*, præcepit, & tamen tam cogitandi quam agendi facultas vnde nobis donetur, evidenter oſtendit? De cogitatione quidem dicit,

2. Cor. 3. 5. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis.* Quid eſt, quod dicit, *ex nobis*, niſi ex libero voluntatis

Ibid. arbitrio? Vndè ergò eſt, ſi *ex nobis* non eſt? *Sed ſufficientia*, inquit, *noſtra ex Deo eſt.* Ad agendum quoq; *Spiritu Dei* nos *agi*, ſic

Rom. 8. 14 prædicat: *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei.*

CAPVT VII.

HÆc igitur inter literam iubentem & ſpiritum viuificantem, id eſt, inter legem, gratiamq; diſtantia eſt, quia lex convenit, gratia convertit hominis voluntatem, vt bonum velimus. Illa clamat, hæc donat: illic voluntati hominis incutit iuſtitia divina terrorem; hic infundit miſericordia charitatem. Per illam accepit voluntas *Spiritum ſervitutis in timore*: per iſtam accepit *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Hæc ergò in nobis libera voluntas eam in ſe habet naturaliter qualitatem, vt appetere ſponte poſsit bona vel mala: ſed bona proficiendo appetit, mala verò deficiendo. Vt autem deficiat, poteſt ipſa ſola ſibi ſufficere; vt proficiat verò, indiget ſemper divinæ miſerationis auxilio. Niſi enim gratiâ

Pſal. 144. 8 præveniente levetur, nullatenus ſurgit; quia *Dominus erigit eos*

Pſal. 22. 3. *ſos.* Niſi eâ deducente iuuetur, nullatenus currit, quia de Deo

Pſal. 5. 9. ſcriptum eſt, *Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum.* Et ipſi dicitur, *Domine deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos.* Niſi gratiâ cuſtodiente perducatur nullatenus pervenit.

Diſcrimen inter legem & gratiam.

Voluntas noſtra ſibi ſufficit ad malum, non ad bonum.

Dicit enim sanctus David, *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & perduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Neque spretis malis voluntas humana vel eligere bona, quæ ducunt ad vitam, vel diligere poterit, nisi gratiam discretionis à Deo & charitatis acceperit. Spiritalibus enim donis discretionem beatus Paulus inseruit, dicens: *Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetatio, alij discretio spirituum.* Quorum autem *discretio spirituum* spiritali largitate donatur, nisi bonorum ac malorum? vt scilicet illuminati atque adiuti gratia Spiritus sancti, noverimus atque possimus dona sancti Spiritus *cum timore & tremore* servare, & suggestiones diabolicæ malignitatis salubri discretione repellere. Quod nos B. Ioannes Apostolus observare præcipit, dicens: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, qui ex Deo sunt.* Psal. 42.3. 1. Cor. 12. 8 9. & 10. 1. Ioan. 4. 1

CAPVT VIII.

VT autem sciamus *quæ nobis à Deo donantur*, non in nobis operatur *spiritus mundi*, sed *Dei*, id est, non spiritus, quem homo habet, vt nasceretur in mundo, sed quem accepit, vt renascatur Deo. Quod Apostolus evidenter edocet, dicens, *Nos autè non spiritũ mundi accepimus sed spiritũ, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Neque solùm vt sciamus: sed etiam vt intelligamus, divini muneris Apostolus esse testatur, sic Timotheo scribens, *Intellige quæ dico.* Quo sermone humanum vtiq; ad intelligendum convenit arbitrium. Quod nisi homo haberet, intelligere quæ dicuntur, nullatenus posset. Sed vt ostenderet, vnde intellectus humano detur arbitrio, cùm dixisset *intellige quæ dico*, subsequenter adiecit: *Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* David quoq; sanctissimus vt mandata Dei discat, à Deo sibi postulat intellectum dicens: *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me: da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Proverbia quoq; testantur, *quia Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus procedit.* Et Apostolus Iacobus præcipit, vt *si indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Vt autem ipsam quoq; voluntatem postulandi divinitus ostenderet dari, adiecit: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Sine fide autem Deum invocari non 1. Cor. 2. 12 Ibid. Psal. 118. 73 Prov. 2. 6. Iacob. 1. 5 Ibid. 6.

posse

posse, Paulus ostendens ait, *Quomodo ergò invocabunt, in quem*
Rom. 10. 14 *non crediderunt?* Quia igitur nullus invocat priusquam credat, nec aliquis in Deum credit, nisi fidem acceperit; certum est, quoniam ille nos excitat, vt sapientiam postulemus, qui nos illuminat vt credamus.

CAPVT IX.

HOmo igitur bonum vult voluntate, bonum facit voluntate, sed sine dono atque adiutorio Dei, nunquam potest bonum velle, vel facere. Equidem conuenitur, vt sciat, admonetur vt faciat, quia liberum habet semper arbitrium voluntatis. Sed neque scientiam sanctam potest habere, nisi dono
Iacob. 1. 17 gratiæ desuper accepit *à patre luminum*, à quo *est omne datum optimum & omne donum perfectum:* & si sciens aut non faciat quod faciendum esse iam novit, aut dum ea sibi nititur assignare quæ facit, proprii tumoris pondere prægravatur. Ideò verò sanctam scientiam superiùs dixi, quia est *scientia* non
1. Cor 8. 1. sancta, illa scilicet, quæ *inflat* hominem, quæ *ædificantem* non
Rom. 1. 21. habet *charitatem.* Illâ scientiâ quidam *cognoscentes* Deum, *non sicut* Deum *glorificaverunt aut gratias egerunt.* Hâc scientiâ si quis se putat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodũ oporteat eum scire. Igitur ad benè vivendum nunquam sufficit cuiquam scientia præcepti, nisi dilectio fuerit custos mandati, & vt diligat non nisi sua voluntate diligit. Et ideò Dei & proximi dilectio vnicuiq; nostrum ità legali sermone man-
Mat. 22. 37 & 39. datur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & proximum tuum sicut teipsum.* In quibus *duobus præceptis* Salvator noster *totam legem* dicit, *Prophetasq; pendere.* Vt autem *diligamus* Deum *ex toto corde*
Ibid. 40. *nostro*, ipsam dilectionem habemus ex Deo. *Charitas* enim
Rom. 5. 5. Dei *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et vt *diligamus invicem* Deus nobis tribuit charitatem.
1 Ioan. 4. 7. & 8. Ait enim B. Ioannes, *Charissimi, diligamus invicem, quoniam charitas ex Deo est: & omnis qui diligit fratrem, ex Deo natus est, & novit Deum, qui autem non diligit, ignorat Deum, quia Deus charitas est.* Quoniam igitur *Deum charitatem* esse diuinis claret eloquiis, profectò manifestum est, quod nemo Deum habere possit, si se homini Deus ipse non dederit. In eo ergò liberum arbitrium nostrum ad diligendum Deum & proximum idoneum

Ad benè vivendum scientia sine charitate nõ sufficit.

efficitur, in quo ei charitas diuinitus datur. Sine charitate enim, nec Deus diligi potest, nec proximus. Vt autem Deus diligi possit, ipse se tribuit, *quia Deus charitas est*, & Deum non nisi charitate diligimus. Nisi ergò Deum accipiamus, Deum diligere non valemus *Posita sunt* quoq; *ante hominem ignis & aqua*, *vita & mors*, vt *quòd vult*, *manum suam* libero *porrigat* voluntatis arbitrio. Si enim desit voluntas libera, manus quòquam non porrigitur: sed eandem *manum ad vitam* nunquam *porrigit homo*, nisi eam Deus gratuitâ bonitate *tenuerit*. Propter quod dicitur & à Prophetâ, *Tenuisti manum dextera mea, & in voluntate tua deduxisti me*. Alio quoq; loco ipsam *manum dextera nostra* diuinâ dicit protectione saluari. Ait enim: *Dominus custodit te, Dominus protectio tua*. Ipse denuò orat, vt *opera manuum nostrarũ* concessá super nos illuminatione Dominus *dirigat*. Ideò ait, *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos*.

Eccl. 15. 17. & 18.

Psal. 72. 24.

Psal. 120. 5.

Psal. 89. 17.

CAPVT X.

HIs atq; huiusmodi testimoniis, quibus tam novum quã vetus refertum est testamentum, tale esse hominis demonstratur arbitrium, vt sive ad inchoanda quæ bona sunt nihil possit, nisi ipsum gratia divina prævenerit; sive ad perficienda nullatenus sibi sufficere valeat, nisi gratiâ quâ prævenitur, eâdem iugiter adiuuetur. Nec tamen, quia indiget iuuamine, ideò dicendum est non esse; nec quia est, ideò credi debet ad initium, vel profectum boni sibi posse sufficere. Proindè si ad eloquia divina humilis ac mitis accesserit animus, quod tunc potest, si ei humilitatis & mansuetudinis donum divinitus conferatur, ablato velamine, quo intelligentior, atq; excelsior intellectus obtegitur, *cordi contrito, & humiliato* sapientia conceditur. Scriptum est enim, quia *Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia, & intellectus procedit*. Quoniam igitur nõ est aliquod præceptũ, quod nõ ideò Deus dederit homini, vt prosit voluntariè, atque humiliter operanti: voluntas autem bona non nisi fide inchoatur, & charitate perficitur: fides verò, & charitas diuinæ sunt munera voluntatis, quæ nisi voluntariè homo sibi donata susciperet, nec inessent homini, nec prodessent: ad hoc enim *Deus voluntatem* hominis *præparat*, vt sit, cui donum fidei, & charitatis infundat, propterea fatendũ est verum esse, quod sanctis docemur eloquiis, sola Dei misericor-

Prou. 2. 6.

Psal.30.17 ricordia salvari hominem,quia scriptum est, *Salva me in tua misericordia*,& hominem ratione vtentem tunc ad salutem perpetuam pervenire,si suâ cucurrerit, atq; laboraverit voluntate. Non enim frustrà dicit Apostolus, *Sic currite, vt comprehendatis*: &, *Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundum suam laborem*: &, *Labora vt bonus miles Christi Iesu*: Et alio loco, *Itaque fratres, stabiles estote, & immobiles, abundantes q; in opere Domini, semper scientes quod labor vester non est inanis in Domino*. Ad quem tamen laborem in Sapientiæ libro sibi poscit quidam auxilium, dicens ex totis præcordiis suis. *Deus parentum nostrorum, & Domine misericordiæ tuæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, vt dominetur creaturæ, quæ à te facta est, & disponat orbem terræ in æquitate, & iustitiâ, & directione animi iudicium iudicet: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*. Et paulo post, *Mitte illam de cælis sanctis tuis, & de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia, & erunt accepta opera mea*.

1.Cor.9.24
1.Cor.3.8.
2 Tim. 2.3
1.Cor.15.58.
Sap.9.1.2.3. & 4.
Ibid. 10.11 & 12.
† Portè addi, opera.

CAPVT XI.

VEruntamen ne quisquam huic operi saltem orandi affectum,quo sibi sapientiam poscceret, non divinitus arbitraretur infusum, paulò superiùs ait, *se scisse quoniam aliter non potest esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum tamen sapientiam esse* dicit *scire, cuius hoc donum esset*. Vndè igitur est instructus vt sciret, indè est excitatus vt oraret. Nec iterùm nisi voluntariè scivit,nec nisi voluntariè oravit; quia & ad sciendum, & ad deprecandum Christi gratia ignarum & torpidum hominis præveniens instruxit arbitrium. Misericordiæ igitur divinæ est,vt hominis liberum illuminet arbitrium,quo fit,vt homo, & ea quæ placita sunt Deo,cognoscat; & adiuuanti gratiæ officium sui laboris voluntariâ devotione subiungat. Ad illuminandum hominis arbitrium dicitur, *Deus meus, misericordia eius præveniet me*. Ad adiuuandum refertur, *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*. Non autē præveniendo illuminaretur, si non esset: nec subsequendo adiuuaret, si illuminatum ad aliquid sibi bonæ cogitationis,aut operis esse posset idoneum. Hanc impossibilitatem sermo divinus ostendit, vbi ait; *Quis hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogi-*

Sap.8. 21.
Psal.58.11.
Psal. 22.6.
Sap.9.13. & 14.

Affectus orandi est donum Dei.

tavo

tare quid velit Dominus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. Timidæ enim sunt *cogitationes mortalium,* non laudabili timore, sed vituperabili, non bono, sed malo. A quo nos timore liberavit ille, qui *per mortem destruxit eum, qui mortis habebat imperium, id est, diabolum, & liberavit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Hebr. 2. 14. & 15

CAPVT XII.

HAnc servitutem, de quâ nos eruit, atq; libertatem, quam nobis gratis contulit redemptor noster, evidenter ostendit, dicens: *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Respondentibusq; Iudæis, quod *semen Abrahæ essent,* nec cuiquam *unquam servissent* responsione suâ simul, & servitutis eorum mortiferam conditionem, & libertatis, quam ipse suis fuerat collaturus, ostendit protinùs veritatem, dicens: *Amen amen dico vobis, qui facit peccatum servus est peccati. Servus non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum. Si ergo filius vos liberaverit, verè liberi eritis:* cogitationes ergò *mortalium timidæ* illæ vtiq; designantur, per quas peccato serviunt, *qui per totam vitam obnoxii sunt servituti.* De quâ servitutè nos Dei gratiâ liberatos Paulus edocet dicens. *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergò fructum habuistis tunc, in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato, servi autem Deo facti, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternã.* Ecce quid nobis gratia Dei contulit; timidos liberavit, de quibus scriptura dicit, *Cogitationes mortalium timidæ:* illi proculdubio timori subiectæ, cui subditos quosdam sermo divinus sic arguit, dicens: *Illic timuerunt timore, ybi non erat timor.* Hic est timor, quem sæculi cupiditas ad reatum iniicit, ad supplicium nutrit. Iste timor illos captivos possidet, quorum cogitationes rebus implicitas incertis, atq; instabilibus tenet, propter quòd, & ille, qui dixit: *Cogitationes mortalium timidæ,* statim subiecit, *Et incertæ providentiæ nostræ.* Incerta est enim providentia, quæ incertis rebus impenditur, & incertæ res, quarum certa possessio non tenetur. Quotidiè possumus inviti amittere, quod in æternum non possumus possidere. Tunc ergò sunt *incertæ providentiæ mortalium,* quando earum rerum amore animus tenetur innexus, quarum aut possessio possessori invito Ibid. 14. 35 et 36. Hebr. 2. 15. Rom. 6. 20. 21. & 22. Sap. 9. 14. Psal. 13. 5. Sap. 9. 14.

potest

potest adimi, aut possessioni nolens possessor auferri. Vndè autem *incerta providentiæ* insint homini, subsequenter ostensum est, dicente scripturâ, *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, & difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cùm labore.* Ibid. 15. & 16.

CAPVT XIII.

POstquam ergò nostræ mortalitatis scriptura nobis demonstravit ærumnam, subsequenter nobis divinæ gratiam bonitatis insinuat, vt agnoscamus, vndè nobis, & scientiæ donum, & correptionis atque sanitatis beneficium cõferatur. Sequitur autem ille qui ea, *quæ in terra sunt, difficile æstimari, & quæ in prospectu sunt, cum labore* asserit *inveniri*, & dicit Deo, *Quæ autem in cælo sunt, quis investigabit? Sensum enim tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum tuum de altissimis? Et sic correcta sunt semita eorum, qui in terris sunt, & quæ tibi placent, didicerunt homines, & per sapientiam sanati sunt* Quid est *didicerunt, & sanati sunt?* Quid per *sanctum Spiritum*, & per *sapientiam Dei*, quæ vtique Christus est, hominibus dicit esse collatum, nisi quia tunc salubriter discimus quid facere debeamus, quandò nos misericordia pręveniens illuminat, & sanamur, vt quod illâ præveniente discimus, eâdem subsequente faciamus? Sap. 9. 16. & seq. *Gratia prævenions & subsequens.*

Psal. 102. 3 Prævenit enim nos dum *propitius fit Dominus omnibus iniquitatibus nostris*: subsequitur nos, dum *sanat omnes languores nostros. Prævenit misericordia* liberum hominis arbitrium, dum in nondùm benè volente, sola operatur exordium bonæ voluntatis; *subsequitur*, dum benè volenti subministrat auxilium, vt benè operando perveniat ad bonæ voluntatis effectum. Misericordia igitur pręveniens cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat: subsequens autem cooperantem sibi voluntatem iuuat. Ita que præveniens in tenebris hominem constitutum gratis educit ad lucem, non solùm admonendo extrinsecùs, sed & intrinsecùs illuminationis gratiam largiendo, *Dominus* enim *illuminat cæcos*, faciens scilicet ex infideli fidelem, ex superbo humilem, ex aspero mitem, ex fornicatore castum, ex malevolo benignum, ex truculento placidum, ex amatore mundi, amatorem Dei & proximi, ex raptore rerum alienarum, suarum postmodò largitorem. Sic misericordia Dei prævenit

Psal. 106. 14.

Psal. 145. 8.

veniente, & in corde hominis mirabiliter operante, qui divitiis temporalibus carnaliter superbus extollebatur, humilis in timore Dei, *pauper spiritu* libenter efficitur: & qui asper erat, & inobediens divinis anteà sermonibus repugnavit, ad audiendum verbum mitis, & quietus accedit: & qui dudùm iniustitiæ crudelitatem indigesta crapulatus perversitate ructavit, *esuriens, & sitiens* satietatem iustitiæ concupiscit. Ita fit, vt pro peccatis etiam *lugeat*, in quibus anteà mortiferâ delectatione gaudebat: operibus deindè misericordiæ indesinenter insistens, ipse quoque *consequatur misericordiam*, per Gal.5.6. quam perveniat ad coronam: *fide* quoque *per charitatem*, quæ sancta sunt laudabiliter *operante*, ad videndum Deum *munditiam* acquirat *cordis*, qui cogitationibus pridem sordebat obscœnis. *Hæc est mutatio dextera Excelsi*, per quam humanum illuminatur arbitrium: hæc *magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius*. Sic in nobis Deus præparat *adinventiones suas*; quia ipse in nobis præparat, quod in nobis inveniat, dum *arcum potentium infirmum facit, & infirmos præcingit virtute*: id est, dum in hominibus, quos gratis salvat, præsumptionem humanæ virtutis infirmat, vt se infirmos agnoscant, & adiutorium divinæ virtutis accipiant. Ista Deus in nobis misericorditer facit, dùm pro malis bona retribuit, dùm misericordia præveniente malis bona donat, vt ea in nobis misericordia subsequente custodiat. Cùm enim iustificatis, ac benè volentibus præbet auxilium, suis vtique donis subministrat augmentum: & ita *confirmat*, *quod operatus est in nobis*, dùm Psal.67.29 bonam, quam ipse tribuit, voluntatem torpere, ac deficere non permittit in nobis.

Psal.76.11. Psal.110.2. 1.Reg.2.4.

CAPVT XIV.

PRoindè secundum Apostoli præceptum *cum timore, & tremore nostram salutem operamur*, scientes quia *Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*. Neque sic putemus abutendum beneficiis gratiæ, vt absque bonis operibus torpeamus. Ab eis enim gratia profectò discedit, quorum *charitas refrigescit*. Audiamus itaque Apostolum gratiæ participem, gratiæ nobis opera demonstrantem. Ait quodam loco, *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, vt gra-*

Philip. 2.12 & 13.

Fortè operemur.

Mat.24.12

Rom.6.1

Ibid.11. *gratia abundet?* Statimque respondet, *Absit, qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Hoc igitur in nobis operatur gratia, vt *peccato mortui* iustitiæ vivamus. Ideò rursus idem Apostolus ait, vt *æstimemus nos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro.* Gratia itaque divina in humano arbitrio, & mortem salubriter operatur, & vitam: mortem scilicet criminum, vitamque virtu-
Deut.32.39 tum. Ideò Deus dicit, *Ego occidam, & vivere faciam.* Sicut ergò cùm viveremus peccato, pravam voluntatem nostram prava opera sequebantur: ita nunc accepto beneficio gratiæ, & per hoc mutatâ in melius voluntate, non vivamus peccato, sed Deo. Ad hoc enim nobis cùm mortis præiudicio frigidi essemus, datus est vitalis fervor sancti Spiritus, quem gratis accepimus, vt per gratiam Dei, bonum velle, & bonum
Rom.12.11 facere valeamus. Ideò nos Apostolus esse præcipit *Spiritu ferventes, Domino servientes.* Non ergò nobis est à sancto labore cessandum, quibus divinæ gratiæ non solùm merces pro-
1.Cor 3.8. mittitur, sed & auxilium suffragatur. Et quia *vnusquisque*
Gal.6.9. *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, dignum est, vt *bene facientes non deficiamus* tam ab opere quam ab oratione. Nec aliquid horum quæ bene facimus, aut voluntatis, aut possibilitatis nostræ viribus assignemus; ne inter eos meritò superbiæ deputemur, qui *ignorantes Dei iustitiam, & suam*
Rom.10.3 *volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti*, quod profectò
Rom.8.7.8 *sapientia carnis* est, quæ *inimica est Deo, legi autem Dei non subiicitur: nec enim potest.*

CAPVT XV.

SVbsequatur igitur humilis voluntas hominis præcedentem, & comitetur subsequentem misericordiam redemptoris: quæ dum nos præcedit, ea, *quæ retro sunt obliviscimur*; dum subsequitur, *in ea, quæ ante sunt, extendimur.* Ac sic ipsa gratia nos & anteriorum appetitum tribuens dirigit, & posteriorum recordationem subtrahens, ab arrepto cursu
Ibid.14. retardare non sinit. Facit præcedens, vt sequamur *ad bravium*
Rom. 5.3.4 & 5. *supernæ vocationis Dei:* facit subsequens, vt *gloriemur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit,*

quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ipsa facit, vt nec cupiditatibus capiamur illecti, nec aduersitatibus succumbamus inuiti. Ità misericordiæ subsequentis opere in quantum mundo mortui efficimur, in tantum *Spiritu mentis nostræ*, magis magisque *renouamur*. Cœlestibus itaque mandatis obediens, quantùm adiuuatur homo diuinitus, voluntariis nisibus elaboret. Quòd verò in labore non deficit, quod rectis gressibus currit, quòd *bene certat*, quòd *fidem seruat*, non suæ virtuti deputet, sed dono gratiæ in se ac secum operantis, assignet: labori sancto studium bonæ voluntatis impendat, quæ voluntas tunc bona est, si studium suum diuinæ largitatis munus esse non ambigat. Apostolus quippè Timotheum ad virtutem huius laboris hortatur, dicens: *Labora, vt bonus miles Christi Iesu.* Se quoque amplius cæteris omnibus laborasse testatur dicens: *Abundantius illis omnibus laboraui.* Sed vt ostenderet se; & fidei donum, & laborandi virtutem diuinæ gratiæ munere, ac iuuamine consequutum, item dicit: *Qui prius fui blasphemus, ac persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consequutus sum.* Opus autem eiusdem misericordiæ sic ostendit, dicens: *Consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus à Domino, vt fidelis esſem.* Ideò cùm dixisset, *dignum se non esse vocari Apostolum, quia persecutus esset Ecclesiam Dei*; opus in se prævenientis ostendens, ait: *Gratiâ autem Dei sum, id quod sum.* Et vt ostenderet laborandi quidem donum gratiæ sibi largitate collatum, sequitur, & dicit: *Et gratia eius in me vacua non fuit.* Quid est *vacua*, nisi otiosa: Ideò adiungit, *Sed abundantius illis omnibus laboraui. Non autem ego sed gratia Dei mecum.*

Perseverātia in bono gratia triuenda.

2. Tim. 4. 7

2. Tim. 2. 3

1. Cor. 15. 10.

1 Tim. 1. 13

1. Cor. 7. 25

1 Cor. 15. 9

Ibid. 10.

Ibid.

Ibid.

CAPVT XVI.

VT esset igitur Paulus ex infideli fidelis, sola gratia operata est, quæ aversum convertit, & infideli fidem, cùm infidelitatis suæ merito fidem accipere non mereretur, attribuit. Atque ità voluntariè quidem Paulus credidit, voluntariè *abundantius illis omnibus laboravit*, sed & credere, & laborare non posset, nisi desuper donum gratiæ in se ac secum operantis acciperet. Vt ergò gratia Paulum nolentem, incredulùmque prævenit, vt bonam voluntatem haberet; ita cooperante ipso Paulo bonam contulit, collatamque à se iuuit per omnia volun-

Gratia prævenienti voluntas cooperatur.

voluntatem? Labor ergò Pauli propterea fructuosus fuit, quia laborem suum non suis viribus, sed gratiæ Dei, cuius confortabatur iuuamine, tribuebat; sciens quia laboris illius nec conatum haberet nec consequeretur effectum, si defuisset, & misericordia prævenientis, & subsequentis auxilium. Laboranti ergò voluntas non deerat, quam gratia non cessabat adiuuare, quæ dederat: & vt Paulus non deficeret in labore, virtutem volenti gratia subrogabat. Talis itaque voluntas dignè merebatur, & per se, & pro suo labore mercedem, quia & in se, & in suo labore non virtutem suam, sed divinæ cognoscebat gratiæ largitatem. Idcò denique omnia, quæ in bono poterat cogitare, vel facere; quod scilicet temperanter vtebatur prosperis, quod etiam fortiter reluctabatur adversis, non sibi, sed Deo, à quo confortabatur, humiliter, atque veraciter assignabat. Dicit enim quodam loco: *Scio & humiliari, &* Philip. 4. 12 & 13. *abundare. Vbique & in omnibus institutus sum, & esurire, & satiari, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat. Omnia* ergò Paulus libero arbitrio *poterat*, sed *in eo*, qui Coloss. 1. 29 1. Cor. 7. 25 eum ex alto virtute induerat. De hoc dicit in quodam loco, *In quo laboro certando secundum operationem eius, quam operatur in me in virtute.* Beatus itaque Paulus nec se misericordiâ præventum tacuit, *vt fidelis esset*: neque suo merito in se Christi gratiam habuit operantem, vt non ipse à sancto labore cessaret, hoc enim gratia in eo operabatur, vt neque deficiendo fieret torpidus, nec superbiendo ipsi gratiæ esset ingratus. Psal. 2. 11. Philip. 2. 13 Proindè sicut in Psalmo salubriter admonemur, *seruiamus Domino in timore, & exultemus ei cum tremore*, scientes *quia Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Maximum est quippè divinæ gratiæ adiutorium, atque beneficium, vt illuminata mens hominis semper cogitet, & præventam se gratuitâ gratiâ, & indesinenter adiuuandam virtute divinâ. Atque ita fiet, vt Deo largitori bonorum omnium atque custodi seipsum homo competenter humilians, & gratias incessanter agat, & orare non desinat. Gratias agat, Luc. 11. 9. quia præventus est, vt converteretur aversus, vt *illuminaretur cæcus*, vt acciperet fidem incredulus. Oret autem, vt sanetur languidus, & adiutorio gratiæ confortetur infirmus. Ex totâ igitur voluntate petat, vt accipiat; quærat, vt inveniat: pulset, vt aperiatur ei. Quod nullatenus faciet, si voluntatem

Nemo vellè erat nisi voluntatē bonam à Deo prius acceperit.

accipiendi, & inveniendi, & intrandi non habet. Nec tamen in eo quod petens accipit, quærens invenit, pulsans ingreditur, suis viribus assignet petendi, quærendi, & pulsandi officium, quia licet homo voluntariè petat, pulset, & quærat, nunquam petens accipere, quærens invenire, pulsans intrare poterit, nisi sanctam priùs voluntatem acceperit. Nam quidam, sicut sanctus Iacobus dicit, *petunt, & non accipiunt, eo quod malè petant, vt in concupiscentus suis insumant.* Et de quibusdam quærentibus se dicit Sapientia. *Quærent me & non invenient.* Ideò igitur, neq; illi petentes accipiunt, neq; isti quærentes inveniunt, quia voluntatem terrenis deditam delectationibus gerunt, nec est in illis *sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Vt autem bonum illud summum, atq; incommutabile homo petat, & quærat, *præparatur à Domino voluntas* ac datur, quia initium petendi, quærendi, pulsandi non ex corde hominis, sed à Deo consurgit. Scriptum est enim: *Omni custodia serva cor tuum, ex hoc enim exitus vita S. ervamus* autem *cor nostrum*, si nos ille servaverit, cui dicitur: *Conserva me Domine, quoniam in te speravi.* Hinc est, quod ipse vnigenitus Deus carnis humilitate suscepta *compatiens infirmitatibus nostris*, patrem pro nobis orare dignatus est, dicens: *Pater serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi:* & iterùm, *Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serves eos ex malo.*

Iacob. 4.3.
Sap. 13.6.
Iacob. 3.15
Prov. 8.35. iuxta 70.
Prov. 4.23.
Psal. 15. 1.
Heb. 4.15.
Ioan. 17.11
Ibid. 15.

CAPVT XVII.

Gratia conservat bona quæ donat.

NVnquam igitur homo congrua *custodia servat cor suum*, nisi fuerit Deo custodiente servatum. *Nisi* enim *Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam.* Propter hoc Apostolus Paulus divinam pacem cordibus nostris optat adesse, dicens: *Pax Domini, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro.* Et cùm nobis per Hieremiam dicat: *Custodite animas vestras:* hoc se B. David adimplere non posse cognoscens, divinā poscit animæ suæ custodiam dicens: *Custodi animam meam, & libera me.* Qui rursus ait: *Tu Domine servabis nos, & custodies nos à generatione istâ in æternum.* Et vnicuiq; fidelium divinam optans impendi custodiam, dicit: *Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.* Et vt iugiter gratię divinæ necessariam nobis sciremus esse custodiam, sequitur & dicit: *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc & vsque in sæculum.* Ad hanc indesinenter nos custodientem Dei gratiam re-

Psal. 126.1.
Phil. 4.7.
Hier. 17.21
Psal. 24.20
Psal. 11.8.
Psal. 120.7
Ibid. 8.

Ibid.4. refertur, quod in eodem Psalmo dicitur: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Sicut igitur omnia bona, inter quæ etiam voluntatem habemus, non nisi Deo largiente accipimus: sic omnia, quæ accipimus, non nisi Deo custodiente servamus. Quæcunq; sint enim bonæ vitæ munera in homine, tunc ab illo custodiuntur si bona in eo perseveret voluntas. Sed voluntas ipsa, cuius bonitate cætera bona benè habentur, ritèq; servantur, tunc in homine bona, iustaq; perseverat, si eam custodiens gratia divina non deserat. Sicut enim nihil potest in se habere bonæ cogitationis, nisi subveniente gratiâ fiat bona: sic ad custodienda, quæ accipit, nullatenùs potest suâ virtute sufficere, nisi ille, qui eam gratis bonam facit, gratiæ suæ opitulatione servaverit. Ille verò certus est bonæ voluntatis profectus, si ea, quæ accipit à Deo, ità vigilanter sollicitèq; custodiat, vt custodiæ divinæ adiutorium frequentia orationis, & studio bonæ operationis expoſcat. Ità fiet, vt dùm oranti auxilium tribuitur, laborans retributione boni operis non privetur. Veruntamen, & orandi, & operandi, quod bonũ est, illis Deus tribuet perseverantiam, quos prædestinavit ad
Iacob.1.17 vitam. *Omne* quippe *datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum:* qui operum suorum ęternã habens præscientiam, non solùm quę daret, sed etiam quæ tribueret incommutabili dispositionis suę consilio prępara-vit. Ideò non aliter implet dispositа, quam disposuit implenda, quia sicut dispositionis divinæ ordinatio semper habuit, sic
Psal.24.10 ordo rerum in divinis operibus currit: in quibus sunt *vniversæ viæ eius, misericordia & veritas*, quarum vna malis bona tribuit, altera bonis malisq; digna retribuit: vna iustè coronat, iustèq; condemnat, altera gratuitâ bonitate iustificat: quia quisquis gratiâ præveniente accipit iustitiam, non nisi eâdem subsequente pervenit ad coronam. Ita si fratres nostri secundùm doctrinam suam, Deo adiuuante percipiant, nunquam conabuntur disputationibus suis, sic humani arbitrii virtutem infirmam defendere, vt gratiæ Dei convincantur adversantia sapere: cùm potiùs omnes, qui vitæ desiderant fieri æternæ participes, oporteat sanctorũ Patrũ divinitus inspiratis informari & adhęrere sẽtẽtiis, qui gratię divinę sic illuminati sunt dono, vt indubitanter assererent in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi quod beneficio gratiæ prævenientis infunditur, nihil in melius augeri, nisi quod subsequen-

quétis iuuamine roboratur, nihil benè consummari, nisi quod eâdem operante, atque opitulante perficitur.

CAPVT XVIII.

Hæresis Pelagiana debellata per Augustinum cuius doctrina de gratia & libero arbitrio cõmendatur

HÆc itaque catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesiis sine aliquâ dubitatione doctrina, quam Græci, Latinique Pontifices, sancti Spiritus infusione firmati, vno atque indistonabili semper tenuére consensu. In quâ B. Augustinus *indutus virtute ex alto, abundantius illis omnibus laboravit: non autem ipse, sed gratia Dei cum illo*, ipsius ministerio Dominus vberiorem huius rei fidelibus suis institutionem præbuit. Quippè adhuc ipso in corpore constituto Pelagiana hæresis adversus gratiam Dei mortiferis ausibus rebellavit. Nec defuit in vitâ benignitas miserantis Dei, quæ militem suum spiritalis gratiæ armis tanto fortiùs præcingeret, quanto acriùs adversus eandem *vasa ira* diabolus instigaret. Proinde memoratus Dei Pontifex *turrim fortitudinis* ipsam gratiam tenens, & exindè cuncta hostilium machinamenta telorum cœlestis iuuaminis virtute confringens, non solùm ipse de hoste victoriam referens triumphavit: quin etiam posteris certandi & vincendi ordinem, si quando victa pravitas reciduo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit. Sensum quippè Christi habens, tam gratiæ Dei, quàm humani arbitrij & officia discrevit, & merita: semper divinis humana subiiciens, & veraciter docens, divinitùs homini, & gratuitò iu lificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum. Hunc legat omnis, qui salutem æternam adipisci desiderat humiliter orans misericordiæ Dominum, vt eundem spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit, vt scriberet: & eandem illuminationis gratiam adipiscatur, vt discat, quam ille adeptus est, vt doceret. Miramur autem non absque magnâ tristitiâ istos fratres nostros, qui gratiâ Dei, quantum intelligi datur, ignorantes evacuare cõnẽtur, hanc sibi similitudinẽ ineptâ reperisse, quâ dicunt ita esse gratiæ Dei donum, tanquâ si quis det mutuas pecunias, accepto ideò pignore, quod nisi custodierit, debitum accipere non possit. Sed hãc similitudinẽ quisquis ad Deum refert, procul dubio, aut fallere conatur, aut fallitur. Deus enim noster, parabolâ propositâ, simile dixit esse regnum cœlorum homini patrifamilias, qui proficiscens

Luc. 24. 49
1. Cor. 15. 10.

ciſcens famulis ſuis pecunias congruâ multiplicandas negotiatione commiſit. Vbi tamen ſic ſe oſtendit dediſſe pecunias, vt nullum ſe pignus diceret accepiſſe. Quinimò B. Paulus in ſe loquentem gerens, à quo nobis ſciebat pecuniam datam, ab ipſo pignoris quoque gratiam teſtatur indultam. Ait enim:

2. Cor. 5. 4. & 5. *Qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus gravati, eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipſum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.*

Eph. 1. 13. & 14. Epheſiis quoque ſcribens, idem *pignus* his verbis inſinuat: *Signati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Vt ergò in cuſtodienda multiplicandaque Domini noſtri pecunia non eſſemus pigri, ſed providi, ſpiritali ſumus pignore præmuniti. Hoc *pignus* ſine dubio ſervus ille non habuit,

Mat. 25. 18 qui acceptam *Domini pecuniam* multiplicare neglexit.

CAPVT XIX.

DEus ergò gratuito munere cui voluerit *pecuniam* ſuam, *pignuſque* largitur. Cæterùm nos nec ei aliquid dedimus,

Rom. 11. 35 pro quo *pignus* acciperemus. *Quis* enim *prior dedit illi, & retribuetur ei:* neque pignus illi pro pecunia dedimus. Sed & *pignus*, & *pecuniam* ipſo nobis tribuente habemus; quo pignore nos cuſtodiente, non perdimus quod habemus: à quo etiam iugiter adiuvamur, vt pecunias quas accepimus commodâ negotiatione multiplicare poſſimus. Illum verò B. Apoſtoli

Rom. 9. 18. locum, vbi de Deo dicit, *Ergò cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*, meliùs accipimus, ſi hoc non ad interrogationis ſenſum, ſed ad concluſionem ſententiæ referamus. Agebat enim B. Paulus Apoſtolus de gratuita miſericordia, qua Deus, quos vult ſine meritis ſalvat, & de iuſto iudicio, quo cæteros irreprehenſibili æquitate condemnat. Vbi primùm de parvulis loquens Eſau & Iacob, ipſe ſibi propoſuit quæſtionem, ex

Ibidem 11. quibus ſine aliquo propriorum duntaxat operum merito, quia *nondum nati fuiſſent, nihil egerant boni, vel mali*, cùm ambos reatus originalis peccati teneret obſtrictos, vni per indebitam miſericordiam gratis eſt impenſa dilectio, alteri per debitum iudicium iuſtè retributa damnatio. In hac igitur quæſtione ipſe ſibi quod adverſitas inferre poſſet obiiciens. *Quid ergò,*

Ibidem 14. inquit, *dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum?* Statimque reſpondet, *Abſit.* Reſponſionemque ſuam legalis teſtimonij

probatione confirmans ait', *Moysi enim dicit, miserebor, cui misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor.* Ad explicandam quoque promissionis suæ sententiam, sic concluſit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Soluta verò quam de parvulis proposuerat quæstione hominum quoque iam ratione vtentium voluntates solà Dei miseratione converti, subiuncto Pharaonis ostendit exemplo. Ait namque. *Dicit enim scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitavite, vt ostendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniversa terra.* Geminamque sententiam, quam de parvulorum, atque maiorum gratuita salvatione protulerat, vna concluſione firmavit, dicens: *Ergò cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Vt autem hoc diceret, legalibus se fultum non nesciebat eloquiis, quibus Deum, & Moysi dixisse, *miserebor, cui misereor,* & de Pharaone dixisse, quod *eius cor obduraturus esset*, noverat contineri.

Ibidem 13. Exod. 33. 19 Rom. 9. 16. Ibidem 17. Exod. 9. 16. Rom. 9. 18. Exod. 4. 21.

CAPVT XX.

DEnique vt agnoscatur hæc sententia non ex obiectione proposita, sed ad concluſionem superioris propositionis illata, post eandem concluſionem ipse sibi Beatus Apostolus hunc sermonem contradicentis obiecit: *Dicis itaque mihi: quid adhuc queritur? voluntati eius quis resistit?* Solent enim homines in tenebris propriæ cæcitatis extantes, cùm audiunt gratia Dei præveniri atque immutari hominum voluntates, videntque se pro tenebrosi cordis perversitate culpari excusationi suæ de iusta Dei voluntate iniustum captare suffragium, vt exinde maius recipiant punitionis augmentum. Accusant enim Deum à quo gratiam non accipiunt: & seipsos excusant, qui Deum iustum vitio suæ iniquitatis offendunt. Ipsi suis manibus inferunt plagas, ac medico non dubitant irrogare calumniã, tanquàm causa occisionis propriæ non in illo sit, qui seipsum interfecit, sed in eo, qui minùs ei salubri curatione subvenerit. Medicina quippè non mortis, sed curationis est causa: cui vtique non rectè mors adscribitur, si pessimo vulneri, quod sibi homo intulit, minimè præbeatur. Iustitiæ quippè est, si vulneratus ille relinquatur, vt mortem, quàm sibi spontaneis operibus adscivit, inveniat: misericordiæ autem, si ab eo medicus mortis perniciem beneficio gratuitæ orationis excludat. Tantò ergò iniquiùs medici benignitatis infamatur, quantò minùs spontanea pernicies hominis seipsum

Rom. 9. 19.

Nemo iustè excusat se per hoc quod non acceperit gratiam.

For. curationis.

sum vulnerantis attenditur: quam si in se querulus peccator intuens disceret, non divinam voluntatem ad excusationem suæ iniquitatis opponeret, sed humiliter misericordiam postularet. Apostolus ait, *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* V-
Ibidem 20. bi non sicut aliqui putant, B. Paulus in responsione deficit: sed cordis obdurati superbiam vtili satis increpatione compescuit. Dicens enim, *ô homo tu quis es?* admonuit, vt seipsum peccator superbus attendens, nec aliquid in suis operibus, quod Deo placeret, inveniens, à quo sibi videbat benè vivendi manare præceptum, ab ipso in humilitate *contriti cordis* exoraret auxilium: sciretque sibi tantummodò succensendum, quicquid cogitatione vel operatione peccaret: voluntatemque ac facultatem in fide, & charitate iustè sanctèque vivendi nunquàm homini nasci ex homine, sed divinitùs tribui gratuitâ largitate. Quæ voluntates hominum malas præveniendo mutat in bonas, vt impiis & iniquis peccata dimittat: eisdemque bonas voluntates adiuvando subsequitur, vt iustitiæ coronam benè viventibus reddat, quam non in hoc sæculo, sed in futuro fidelibus suis largiturus est Dominus, dùm *vasis misericordiæ* gratiam largietur, & *vasa contumeliæ* æterno semper artura deputabit incendio. In quibus *vasis misericordiæ* atque *contumeliæ*, multum sensus istorum fratrum à veritate discordat, quibus videtur ipsos esse *vasa misericordiæ*, qui Ecclesiasticæ sive sæcularis militiæ habent in hoc sæculo dignitatem: clericos verò & monachos, vel quoslibet laicos *vasa* esse *contumeliæ*. Minùs enim attendunt Dei bonitatem, quæ *va-*
Ibidem 23. *sa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, à vasis iræ* atque *contumeliæ* gratuitâ dilectione discernit, in illuminatione cordis, hoc est, in fide, spe & charitate consistere: in quibus *qui perseveraverit vsque in finem, hic salvus erit*.
Mat. 10. 22

Quinam sint vasa misericordiæ & contumeliæ.

CAPVT XXI.

OB hoc Beatus Paulus nôn cuiquam sæculari, sive Ecclesiastica prædito dignitate, sed *omni operanti bonum, gloriam, & honorem, & pacem* testatur donari posse: & de *vasis* quæ *in domo magna sunt* loquens, non ait, quia potior quemquam
Rom. 2. 10. dignitas vas honoris efficiet, sed honorem verum mundatis
2. *Tim.* 2. asserit largiendum. Sic enim dicit: *In magna autem domo non*
20. & 21. *solum vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam*

quidem sunt in honorem, quædam verò in contumeliam. Si quis autem emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Beatus quoque Petrus ostendit per misericordiam Dei secundùm quam *vasa misericordiæ* appellantur, quicumque salvantur, non dignitatem temporis in hac vita, sed donum regenerationis in fide, spe, & charitate conferri. Ait enim: *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui per magnam misericordiam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi à mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem conservatam in cœlis, in vobis qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo, in quo exultabitis, modicum nunc, si fieri potest per tristitiam in varijs tentationibus, vt probatio vestræ fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur, & inveniatur in laudem & gloriam & honorem, in revelatione Domini nostri Iesu Christi: quem cùm non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & honorificata, recipientes finem fidei vestræ salutem animarum.* Videtis pastorem sanctum ovibus, quas ab ipso principe dominoque pastorum alendas accepit, salubria spiritalis doctrinæ pabula providentem. Nempè ostendit, quia Deus hîc *per magnam misericordiam* suam in suis fidelibus operetur, scilicet regenerationem, non in spem sæcularis aut Ecclesiasticæ cuiuspiam transitoriæ dignitatis: sed *in spem vitæ æternæ:* nec in hæreditatem Imperialis, Pontificalisve militiæ, sed *in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarcessibilem:* neque affectandam in terris, sed *conservatam in cœlis:* nec in eos, qui sæcularis aut Ecclesiasticæ dignitatis adipiscuntur temporaliter culmen, sed in eos, *qui in virtute Dei custodiuntur per fidem in salutem,* non vtique iam perfectè concessam in hoc sæculo, sed *paratam revelari in tempore novissimo. In quo,* inquit, *exultabitis:* statimque vitæ præsentis insinuans qualitatem, intulit: *Modicum nunc, si fieri potest, per tristitiam in varijs tentationibus.* Cuius verò vtilitatis causa hæc fidelibus accidant, subsequenter insinuans, *vt probatio,* inquit, *vestra fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur, & inveniatur in laudem & gloriam, & honorem.* Quandò verò sit huius honoris & gloriæ speranda collatio: mox aperit, *in revelatione,* inquiens, *Iesu Christi.* Quod etiam *vas electionis* insinuans dicit, *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, Cùm enim Christus* ap-

1. Pet 1. 3. & seq.

Ioa. 21. 17.

Coloss. 3. 3. & 4.

apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.

CAPVT XXII.

QVantum ergò pertinet ad huius temporis vitam, constat, quia in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in sæculo nemo Christiano Imperatore celsior invenitur. Sed non ideò quilibet Episcopus *vas misericordiæ* putetur, *in gloriam præparatum*, quia pontificali militia fungitur: sed si pro grege sibi credito sollicitus: semper invigilet, *prædicet verbum, instet opportunè, importunè arguat, obsecret, increpet, in omni patientia & doctrina*, nec sibi dominatum superbus vsurpare contendat: sed Apostolicis informatus eloquiis *exemplum se* cunctis *exhibeat*: nec si vllius altitudinis collatum sibi gaudeat temporale fastigium, sed si humili corde fidelibus præbeat bonæ conversationis exemplum. Clementissimus quoque Imperator non ideò est *vas misericordiæ præparatum in gloriam*, quia apicem terreni principatus accepit: sed si in imperiali culmine recta fide vivat, & cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subiiciat: si magis *in timore serviat* Deo, quàm in tumore dominari populo delectetur: si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum quàm metuendum cunctis exhibeat: si subiectis salubriter consulat: si iustitiam sic teneat, vt misericordiam non relinquat: si præ omnibus se sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, vt eius paci atque tranquillitati per vniversum mundum prodesse faciat suum principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur imperium, dùm Ecclesiastico statui per vniversam terram consulitur, quàm cùm in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur. Non ergò per quamlibet sæculi aut Ecclesiæ dignitatem, sed per *fidem, qua per dilectionem operatur*, vnusquisque *vas in honorem* dono Dei miserâtis efficitur. Non enim salvator noster *beatos* voluit nuncupari habentes, sæcularem aut Ecclesiasticam dignitatem, sed *pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes, sitientesq; iustitiam, misericordes, mundos corde, pacificos, & qui persecutionem propter iustitiam patiuntur*. Nec *Abraham patrem nostrum* temporales honores vel divitiæ ad Dei amicitiam perduxerunt: sed quia *credidit Deo, reputatum est illi ad iustitiam*, & amicus Dei appellatus est. Nec pauperem Lazarum

Synod. Parisiens. 819. lib. 1. c. 23.

Quales esse debeant Episcopus & Imperator, vt sint vasa in honorem.

Addit. 2. Capitul. ap. 2 5.

2. Tim. 4. 2.

Tit. 2. 7.

Gal. 5. 6.

Mat. 5. 3. & sq.

Rom. 4. 3.

Iacob. 2. 23

zarum, ærumna paupertatis & famis afflictum, ab æterna requie inopia atque ignobilitas temporalis excluſit: ſed virtutem, quam divinitùs Abraham dives accepit, vt in divitiis *pauper ſpiritu* ſanctè viveret: eandem accepit Lazarus, vt afferens fructum cum tolerantia *tranſlatus ab Angelis in ſinum Abrahæ* perveniret Hoc autem ideò factum eſt, quia ſecundùm ſæculum alia copia Abrahæ divitis, alia Lazari pauperis videbatur inopia: cæterùm ſecundùm Deum, & paupertatem ſanctam cum Lazaro communem Abraham dives habuit, & divitias ſanctus cum Abraham Lazarus pauper indiviſa communione poſſedit. *Deus* enim *pauperes elegit in hoc mundo divites in fide, & hæredes regni, quod promiſit diligentibus ſe.* Ipſa fide divites fiunt omnes, qui ſcientes, *quia præterit figura huius mundi, mortui peccato, viventes autem* Deo, non in dignitate temporali, ſed *in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti* cum Apoſtolo *gloriantur.* Sæcularem quippè, ſive Eccleſiaſticam dignitatem, poſſunt & *vaſa miſericordiæ, & vaſa contumeliæ* temporaliter adipiſci, quia iſta bonis ſunt maliſque communia: *in cruce* autem *Domini Ieſu Chriſti* veraciter *gloriari*, proprium eſt *vaſorum miſericordiæ, quæ præparavit Deus in gloriam, quæ & vocavit non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus.* Iſta vaſa veraciter Chriſti eſſe Beatus Paulus intimat, dicens: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Quiſque hoc divina illuminatus miſeratione conſiderat, nullatenus audebit quoſlibet laicos, quantacumque ſæculari præditos dignitate, mundi contemptoribus clericis ac monachis ſanctè viventibus præponere: vt illos *vaſa contumeliæ* appellet, à quibus divinæ gratiæ dono mundum ipſum contemptum videt atque calcatum: & illos pro temporali poteſtate putet eſſe *vaſa miſericordiæ*, quos manifeſtum eſt in culmine ſæculi conſtitutos, id eſt mundi huius religioſos principes, mundi contemtoribus non ſolùm Epiſcopis, ſed etiam monachis, Chriſtianæ religionis obtentu, ſeipſos veraciter atque laudabiliter ſubdidiſſe. Ergonè quiſquam Chriſtianus poteſt ita *vas miſericordiæ* dicere Imperatorem Conſtantinum, vt *vaſa contumeliæ* Antonium appellet, & Paulum? Nonnè ſi ipſe beatæ memoriæ Auguſtus Conſtantinus humanis rebus hactenùs intereſſet, tàm noxiam ſui nominis laudem inter maximas contumelias deputaret? Aut beatum Imperatorem Theodoſium ſic poteſt quiſquam *vas miſericordiæ* dicere *præparatum in gloriã*,

Luc. 16. 22.

Iacob. 2. 5.

1. Cor. 7. 31. Rom. 6. 11. Gal. 6. 14.

Rom. 9. 23. & 24.

Gal. 5. 24.

vt

vt Ioannem Thebæum monachum à *vasis misericordiæ* segreget, & *vas in contumeliam factum* perversus affirmet: cùm ipse glorioſiſſimus Imperator, cui Deus fidei merito, quam ipse donaverat, etiam indomitas ſubdidit gentes tantam dicatur memorato viro Dei honorificentiam detuliſſe, vt nullatenùs illarum præſumeret ſubire conflictus, priuſquàm fuiſſet prophetica illius reſponſione firmatus? Ergonè tantum virum religioſiſſimus Imperator *vas contumeliæ* fuiſſe credebat, in quo ſic Deum humiliterque conſuleret, & per quem ſibi Deum vera reſpondentem ipſo rerum effectu teſtante protinùs agnoviſſet? Quis verò neget beatos Epiſcopos Innocentium Romanum, Athanaſium Alexandrinum, Euſtachium Antiochenum, Gregorium Nazianzenum, Baſilium Cæſarienſem, Ambroſium Mediolanenſem, Hilarium Pictavienſem, Conſtantinopolitanum Ioannem, Aurelium Carthaginenſem, Auguſtinum Hipponenſem, cæteroſque Pontifices, qui Eccleſias Dei vigilantiſſimè gubernantes, aut naſcentibus, aut iam natis hæreticis habitante in ſe ſancto Spiritu reſtiterunt, nec veteres lupos Eccleſiaſtico gregi permittentes irrepere, nec novos peraiciosè intra ovile dominicum latitare: quis inquam iſtos neget *vaſa miſericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam*? Sed quis vſque adeò divinæ fidei & charitatis inimicus, vt Paulum, Antonium, Ioannem, Hilarionem, Macarium, alioſque ſimilis vitæ ac ſanctitatis monachos, in quibus & rectæ fidei veritas, & ſanctæ converſationis refulſit integritas, *vaſa contumeliæ* non metuat appellare? Abſit ab omnibus Chriſtianis, vt talia de bonis ſervis Dei credant.

CAPVT XXIII.

Mat. 19. 12. Q*Voquot Spiritu Dei aguntur*, hæc indignè non ſolũ de monachis, *qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum*, ſed & de laicis coniugatis rectè credentibus, rectèque viventibus ſuſpicatur. Diverſus eſt quidem ſeminis fructus, quod hominis filio ſeminante, terra bona fœcundo ſinu ſuſcipit nutriẽdum: nec tamen centenus ſolus, ſed & ſexagenus, & tricenus, vt in horreum congregetur, Deo nunc interiùs incrementum largiente nutritur. Dicit enim Deus per Prophetam, *daturum ſe ſpadonibus*, id eſt, virginibus, *in civitate ſua, & in muro ſuo honorem & locum meliorem quàm filijs & filiabus*. Sed & ipſe in ſuo

Mat. 13. 8.

1. *Cor.* 3. 7.

Eſai. 56. 5.

Apoſto-

Apostolo loquens, honorem congruum continentiæ viduali & coniugali pudicitiæ bonitatis suæ largitate concessit, dicente Paulo. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* Et rursus, *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Itanè Apostolus, qui *in magna domo alia* dicit *esse vasa in honorem, alia in contumeliam*, honorari viduas coniugatosque præciperet, si eos inter *vasa contumeliæ* deputaret? *Vasa* quidem esse *in honorem* omnes, qui spretis facultatibus in fide & charitate deserviũt, nullus audet negare fidelium. Sed quis *vasa contumeliæ* dicere audebit illos, quibus ad dexteram constitutis ob hoc dicturus est Dominus, quia eum in suis minimis esurientem, sitientemque paverunt, vestierunt nudum, susceperunt hospitio peregrinum, visitaverunt infirmum, & in carcere constitutum? Quis istos omnes audeat dicere *vasa facta in contumeliam*, quos ipse *figulus* ituros in vitam testatur æternam? An fortè isti monachos & laicos devotè Domino in suis gradibus ac professionibus servientes, in hoc tantùm sæculo *vasa* esse *contumeliæ* dicunt, quia eos affici contumeliis, tribulationibusque perspiciunt? Sed talia sentientes illa statim sequetur absurditas, vt ipsos primitus beatos Apostolos, gregis scilicet, Dominici gloriosissimos arietes, vigilantissimosque pastores, *vasa contumeliæ* appellare coguntur. Quos enim certiùs in Christi domo fratres isti *vasa contumeliæ* secundùm suam sententiam nuncupabant, nisi quos pro nomine Christi scriptura testante contumelias cognoverit pertulisse? Audiant igitur Beatum Paulum Thessalonicensibus hæc loquentem. *Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi & contumelys affecti, sicut scitis in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei, in multa sollicitudine.* Corinthius quoque scribens, ait: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelys, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.* Et vt contumelias in hoc sæculo perpeti omnibus sanctis noverint esse commune, audiant quid etiam de cæteris Apostolis liber ipse testatur, quem de actibus eorum Lucas Evangelista conscripsit. Ibi quippè memoratur, quod Iudæi Apostolos in custodiam publicam missos & Angelo ianuas carceris aperiente dimissos, rursus adducentes cæde maceraverunt, *cæsique denunciaverunt ne loquerentur In nomine Iesu, & dimiserunt eos.* Vbi sanctus Lucas cum

1. Tim. 5. 3.
Heb. 13. 4.
2. Tim. 2. 20.
Mat. 25. 34. & seq.
1. Thes. 2. 1 & 2.
2. Cor 12. 9. & 10.
Act. 5 18. & 19. Ibidem 26. Ibidem 40.

Ibidem 41. cum gaudio eos contumeliam passos his verbis insinuat. *Illi quidem gaudentes ibant à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati.*

CAPVT XXIV.

SEd forsitan dicent ideò beatos Apostolos *vasa contumeliæ* non fuisse, quia illæ contumeliæ, quas pro Christi nomine pertulerunt, semina fuerunt futuri honoris gloriæ, quia per illas contumelias nec veritate fidei, nec sanctæ conversationis virtute privati sunt. Agnoscant ergò illos esse *vasa contumeliæ*, non qui in sæculo contumelias perferunt, sed qui intra Ecclesiam corporaliter positi, quam, *magnam domum* ap-
2. Tim. 2. 2. pellat Apostolus, aut rectæ fidei contraria pertinaciter vsque in finem sentiunt, aut sanctæ conversationis abiiciunt instituta: simulque cognoscant secundùm beati Pauli sententiam, quia *si quis mundaverit se ab istis*, in quocumque gradu, in quocunque honore, in quacumque fuerit professione positus, *erit vas in honore sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus*
Ibidem 21. *bonum paratum*, recepturus futuræ retributionis beatitudinem sempiternam ab illo iudice, qui in hoc sæculo, quibus vult, gratuitam iustificationem donat, & iustificatis per fidem, adiutorium gratiæ subministrat, quos in beatitudinem regni cœlestis donata glorificatione angelicæ æqualitatis inducat.

BEATI FVLGENTII EPISCOPI RVSPENSIS

De veritate prædestinationis & gratiæ.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

IAm nunc de illis, *quos Deus prædestinavit in adoptionem filiorum*, ordo suscepti operis cogit disputare: quos secundùm veræ fidei regulam sanctarum scripturarum auctoritate firmatam, non solùm ad præmium glorificationis, sed etiam ad gratiam iustificationis, nec solùm ad æternam beatitudinem, quæ non mutatur, verùm etiam ad *fidem, quæ per charitatem operatur*: neque ad æterna tantum præmia, sed etiam ad bona merita gratuita bonitate Dei *ante mundi constitutionem in Christo* prædestinatos, & huius prædestinationis beneficio *secundum propositum vocatos* & iustificatos, nullus debet ambigere Christianus. quisquis enim veritatem prædestinationis divinæ negare contendit, mutabilem Deum sine dubio prædicat, cui temporalium actuum humanorum temporalem cognitionem perversus assignat? Nam si Deus incommutabilis est, quod dubitandum non est, omnia futura ex æternitate incómutabiliter novit, & omnia opera sua incommutabili ordinatione disposuit. Nec potuit esse dispositionis eius aliquandò mutatio, vbi dispositorum sine initio manet æterna cognitio. Proindè apud Deum sicut nunquam defuit futurarum præscientia rerum, sic nunquam defuit sempiterna & incommutabilis operum vel donorum prædestinatio futurorum. Apud ipsum quippè, in quo æterna incómutabilitas, & incommutabilis æternitas manet, sicut inchoandarum rerum scientia nunquam

Ephes. 1. 5.

Gal. 5. 6.

Rom. 8. 28.

Prædestinatio æterna in Deo agnoscenda.

nunquàm potuit inchoari, sic mutabilium operum nunquàm potuit æterna dispositio commutari

CAPVT II.

DEus itaq; sicut nũquàm futurarũ rerũ fuit inscius, ita nec misericordiæ, aut iudicij sui fuit ignarus: sed sicut semper omnia futura & bona & mala præscivit, sic omnia opera gratiæ atq; iustitiæ suæ incommutabili prædestinatione disposuit. Magna quippè *altitudo sapientiæ & scientiæ Dei.* Quibus divitiis plenus, omnia futura & scienter cognovit, & sapienter præordinavit. Cui vtique non inconvenienter dicitur: *Ecce tu domine cognovisti omnia novissima & antiqua.* Et quem veraciter futura opera sua iam fecisse Beatus prædicat Isaias, dicens, *Qui fecit quæ futura sunt.* *Futura* quippè opera sua eo iam *fecit, fuit,* quo incommutabiliter facienda disposuit. Vnde rectè quidquid facturus est, iam ab ipso factum dicitur, in cuius operibus faciendis æterna dispositio & incommutabilis invenitur. Virtus enim & sapientia Dei ex æternitate incommutabiliter omnia futura novit, irreprehensibiliter vniversa opera sua futura disposuit. Sic omnia quæ disposuit, irreprehensibiliter fecit. Non mutat Deus prædestinata, quia sapientia eius non fallitur, aut reprehenditur in dispositione, & perficit Deus prædestinata, quia virtus eius non impeditur aut superatur in opere. Hinc est, quod Deus noster, cuius *vniversæ viæ misericordia & veritas*, & cui veraciter *misericordiam & iudicium cantat* Ecclesia, quia non solùm omnia opera sua, quę vtique bona sunt *exquisita in omnes voluntates eius*, sed etiam quædam hominum & angelorum opera mala, quàmvis in tempore facienda, ipse tamen incommutabilis & æternus incommutabili atq; perenni cognitione præscivit, non solùm ea disposuit, quæ ipse gratis quibus vellet donaret vt bonus, verùm etiam illa, quę & bonis & malis redditurus esset vt iustus. Prædestinavit ergò gratis iustificandos impios, & glorificandos iustos, quos *præveniret & subsequeretur misericordia eius.* Hi *sunt secundùm propositum vocati*, hi sunt *quos Deus præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij eius.* Fieri autem à quo, nisi ab illo, qui eos Abrahæ promisit? cui Abraham *confortatus fide gloriam dedit, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere?* Ipse itaq; *quos prædestinavit*, fecit & facit *conformes imaginis filij sui,*

Omnia opera gratiæ atq; iustitiæ Dei ab æterno dispositio.

Esai. 45. iuxta 70.

Psal. 134. 10
Psal 100. 1.
Psal. 110. 2.

Psal. 58. 11.
Psal. 22. 6.
Rom. 8. 28. & 29.
Rom. 4. 20. & 21.
Psal. 144. 18.

Ad quæ extendat se prædestinatio.

qui est *fidelis in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* De his Apostolus dicit, *Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit: quos autem iustificavit, illos & glorificavit.* Omnes isti prædestinati sic vocantur, vt iustificentur: sic iustificantur, vt glorificentur. Ac per hoc prædestinavit quos voluit, & ad opera bona, & ad præmia sempiterna: prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam: prædestinavit ad *fidem*, prædestinavit ad *speciem*: prædestinavit adoptandos in sæculo, prædestinavit glorificandos in regno: prædestinavit per gratiam faciendos primogenitos fratres, prædestinavit per gratiam perficiendos eiusdem *vnigeniti coheredes.* Rom. 8. 30.

CAPVT III.

HÆc omnia sicut in se continet prædestinationis æternitas, sic implet prædestinantis Dei misericordia, & iusta maiestas. Neque enim ignarus futurorum vnquam esse potuit filiorum, qui vnico filio, quem sibi coæternum ac sine initio genuit, prædestinationis *fratres* præparavit. Nobis gratis gratiam præparans, gratis gratiam donans, quos iustificaret *eligens in ipso ante mundi constitutionem*, non ex humanis meritis, sed ex gratuito suę propositi voluntatis: voluntatem suã bonam, faciens causam iustificationis nostræ, non iustitiam nostram, inveniens causam voluntatis suæ. Testatur enim Apostolus, quia *Dominus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem.* Et vt ostenderet nos non ex operibus meruisse eligi, sed electionis dono bona merita percepisse, continuò subiunxit, dicens: *Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.* Hæc electio fuit in æterna Dei pręparatione, quæ per eius gratiam perficeretur in tempore. Hæc electionis æterna præparatio, ipsa est divina prædestinatio: in qua dignè totum gratuito beneficio divinæ bonitatis adscribitur, quia sola ibi erga nos miserantis Dei charitas invenitur. Ideò subsequutus Apostolus, hoc nobis evidenter inculcans, ait, *Qui in charitate prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum in ipsum.* Et vt totum ex solo proposito bonæ voluntatis Dei descendere doceret, adiecit: *Secundum propositum voluntatis suæ.* Et vt hoc propositum bonæ voluntatis Dei gratuitum esse monstraret, sequutus adiecit: *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Prædestinatio vtique filiorum Dei ad hoc

Prædestinatio gratuita

Ephes. 1. 4.

Ibidem.

Ibid. 5.

Ibid.

Ibid. 6.

vti-

vtiliter non solùm cognoscitur, verùm etiam prædicatur: vt in omnibus bonis humanæ voluntatis & operis, dùm divina prædestinatio in æterna gratiæ præparatione cognoscitur eiusdem prædestinationis effectus in ipsa gratiæ donatione nihilominùs agnoscatur: ac per hoc in ista *filiorum Dei adoptione*, quam Deus & prædestinando præparavit ex æternitate, & vocando, ac iustificando largitur in tempore, gratia Dei glorificetur, & ipsa laudetur. *Elegit* enim *nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.*

CAPVT IV.

NOn ergò quos eligeret, aut sanctos, aut immaculatos invenit, aut inveniendos esse præscivit: sed vt sanctos & immaculatos faceret, *ante mundi constitutionem elegit*. Non ergò *nos* ideò *elegit*, quia sancti & immaculati futuri eramus, sed *vt sancti & immaculati essemus*. Et ideò *nos in charitate prædestinavit*, quia vt nos prædestinaret, gratuitæ nobis effectum charitatis impendit. *Prædestinavit* autem *nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum*, non secundùm meritum, aut voluntatis aut operationis nostræ, sed *secundùm propositum voluntatis suæ*. Et quoniam gratis à Deo hanc adoptionem filiorum accepimus, à quo gratis electi sumus, *sancti & immaculati essemus*, ideò in his omnibus *laudem gloriæ gratiæ* Dei Beatus Paulus insinuat: vt omnis, qui eiusdem gratiæ illuminatur munere, & verum gratiæ donum ex æternitate prædestinationis intelligat, & æternam Dei prædestinationem ex dono gratiæ spiritalis agnoscat. Cuius prædestinationis ita manet æterna firmitas & firma æternitas, non solùm in dispositione operũ, verùm etiam in numero personarum: vt nec de illius numeri plenitudine quispiam salutis æternæ gratiam perdat: nec extra illius numeri quantitatem ad donum salutis æternæ perveniat. Deo enim qui scit omnia, antequàm fiant, sic non est incertus prædestinatorũ numerus, sicut dispositorũ operũ dubius apud eũ non invenitur effectus. Apud se habet certissimũ numerum prædestinatorum ille, *qui eos in adoptionem filiorum per Christum prædestinavit*. quia *in mensura & numero & pondere cuncta disposuit*. Ipsos enim promisit Abrahæ, dicens: *Respice in cœlum, & numera stellas, si potes dinumerare eas, & dixit, Sic erit semen*

Ephes. 1. 4.

Ibid. 5.

Definitus & certus est numerus prædestinatorum.

Sap. 11. 21.

Gen. 15. 5.

men tuum, &, Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. De his dicitur Danieli Prophetæ, *Et in tempore illo salvus erit populus tuus omnis, qui invenietur scriptus in libro.* Ipsis vtique salvator noster ait, *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* De his in libro sancti Danielis dicitur, *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Isti spiritaliter intelliguntur in Psalmo, vbi dicitur de Deo: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

Ibid.
Daniel.12.2
Luc. 10.20.
Dan.12.3.
Psal.146.4.

CAPVT V.

PRoinde *qui numerat multitudinem stellarum*, non potest suorum ignorare numerum filiorum. Illi ergò numero nec aliquis additur, nec aliquis demitur; quia *secundum propositum voluntatis suæ Deus* sanctos suos *prædestinavit*, de quo scriptum est, *Quia omnia quæcumque voluit, fecit.* Ita nemo potest eius mutare prædestinationem, sicut nullus potest eius vincere voluntatem. Quod si numerus ille certus non est apud Deum, aut divina scientia fallitur, aut voluntas divina mutatur, aut divina virtus adversitate qualibet superatur. Quod si aliquid horum soli possunt impij dicere, aut fortè nec impius aliquis audet horum dicere aliquid, nemo divinam prædestinationẽ neget, quandòquidem illius Dei prædestinatio vera prorsus asseritur, cuius scientia irreprehensibilis, & voluntas incommutabilis, & virtus insuperabilis invenitur. Ad hanc prædestinationem pertinet, & gratuita iustificatio redemptoris, & iusta redditio iudicis. Ad hanc prædestinationem pertinet *misericordia*, quam Paulus *consequutus est, vt fidelis esset*, & *corona iustitiæ quam reddet ei* DOMINUS *in illa die iustus iudex. Non solum autem* Paulo, *sed omnibus qui diligunt adventum eius*: Omnes enim *quos* DEUS *prædestinavit in adoptionem*, gratis hîc iustificantur ex impiis: quia *Christus pro impijs mortuus est*: & *omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, iustificati per gratiam ipsius.* Quibus sicut per misericordiam præparavit gratuitum iustificationis donum, ita per iustitiam præparavit æternæ iustificationis præmium. Opus itaque gratiæ in omnibus prædestinatis gratuita misericordia inchoatur, & iustâ retributione perficitur. Prædestinavit ergò Deus sanctos suos, & ad gratiam vitæ bonæ, & ad gratiam vitæ æternæ. Præparatam gratiam donat Deus, vt homines iustificentur, & benè vivant, & vitam æter-

Prædestinatio ad gratiam & ad gloriam.

Ephes. 1.5.
Psal. 113.
1.Cor.7.25
2.Cor.4.8.
Rom.5.6.
Rom.3.23. & 24.

æternam pro rectè factis accipiant. Ideò autẽ & ipſa *vitæ æterna gratia* Dei ab Apoſtolo dicitur, quia gratis hominibus vita bona datur. Præparauit autem Deus etiam malis ignem æternum: illis utique, quos iuſtè præparauit ad luenda ſupplicia, nec tamen prædeſtinauit ad facienda peccata. Prædeſtinauit enim Deus quod diuina æquitas redderet, non quod.

Rom. 6. 23

cætera deſunt.

apud vos (ſicut non diffidimus) fuerit expoſitio comprobata, & facilè tantorum virorum, probatiſſimorumque Sacerdotum authoritate muniti, iniqua loquentium ora obſtruere valebimus, & in fide Sanctorum Patrum perſeverantes, Deo qui nos ſanctimonij ſui confeſſione glorificavit, gratias referamus Domini ſanctiſſimi & Deo digniſſimi. Nunc ea quæ ſequuntur diligentiùs, petimus exploretis.

Quod in Chriſto duæ naturæ, ſine confuſione in unam perſonam ſunt unitæ.

CAPVT II.

IGitur juxta Sanctorum Patrum traditionem, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum in duabus naturis unitis & inconfuſis, id eſt divinitatis & humanitatis, in una perſona ſive ſubſtantia confitemur. Nec illis acquieſcentes qui unam Dei verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Calcidonenſis Concilij fidem refugiunt, nec illos admittentes qui duas naturas doloſè pronunciantes, unam Dei verbi naturam incarnatam minimè confitentur, æſtimantes hoc duarum naturarum profeſſioni contrarium: Quaſi aliquid aliud quàm duas naturas ineffabiliter unitas; una Dei verbi natura incarnata ſignificet, beato Cyrillo Alexandrinæ civitatis antiſtite ad Succeſſum Epiſcopum dioceſariæ ita ſcribente: *Si enim unam naturam dicentes, Dei verbi tacuiſſemus non inferentes incarnatam, ſed velut abjicientes diſpenſationem; erat illis forſitan non improbabilis ſermo ſimulantibus interrogare, ubi eſt in humanitate perfectio, aut quomodo ſubſtantia noſtra ſubſiſtit. Quoniam verò & perfectio quæ in humanitate eſt, & eſſentiæ noſtræ manifeſtatio illata eſt, per id quod dictum eſt incarnati, iam deſerant arundineam virgam ſibimet ſupponentes.*

Quod B. MARIA *propriè ſit Dei Mater.*

CAPVT III.

BEatam verò Virginem MARIAM non propter dignitatem hominis illius, qui ex ipſa natus eſt (quem gratia & non natura Deum quidam impiè prædicare non metuunt.)

Sed propriè & secundum veritatem credimus theotocon, id est Dei genitricem, eo quod peperit verè & propriè Deum verbum incarnatum, & hominem factum, atque essentialiter sive naturaliter carni unitum. Propterea etiam essentialem sive naturalem factam naturarum unitionem omnimodis confitemur, non sicut illi qui tanquam in Propheta ita in Christo Domini verbum inoperasse contendunt. Quos redarguit beatus Gregorius Nazianzenus ad Clidonium dicens: *Si quis sicut in Propheta secundum gratiam dicit inoperasse Domini verbum, & non essentialiter factam confitetur unitionem, sit vacuus melioris inoperationis, magis autem plenus sit deterioris.* Nec sicut illi qui secundum illustrationem, aut dilectionem, aut affectionem, aut personalem, vel subsistentialem sive secundum authoritatem, aut potentiam aut æqualitatem honoris, unitionem tentant astruere naturarum. Quos paulò superiùs memoratus beatus Cyrillus anathematizat, dicens contra Nestorium: *Si quis in uno Christo dividit substantias post unitatem solâ societate connectens secundum dignitatem, & authoritatem, aut potentiam, & non magis coniunctionem quæ est secundum unitatem naturalem, anathema sit.* Deus enim verbum non nomine vacuo, non particula sui, sed natura Deus tantus quantus & pater est, æqualis per omnia patri, præter hoc tantummodo quod ille pater est, iste filius, naturæ se humanæ uniens factus est homo. Hinc etiam à Sanctis Patribus adunatione ex divinitate & humanitate Christus Dominus noster compositus prædicatur, quod nolens Paulus Samosatenus confiteri damnatus est ab Anthiocheno Concilio; Malchione Presbytero ejusdem Anthiochenæ Ecclesiæ viro per omnia eruditissimo, & ab universis Sacerdotibus qui contra eundem Paulum convenerant tunc electo, qui summum disputationis certamen à Concilio memorato suscipiens, ita eundem hæreticum inter cætera redarguit dicens: *Ex simplicibus sit certè compositum, sicut in Christo* IESV *qui ex Deo verbo & humano corpore, quod est ex semine David unus factus est, nequaquam ulteriùs divisione aliquâ, sed unitate subsistens. Tu verò videris mihi secundum hoc nolle compositionem fateri, ut non substantia sit in eo Filius Dei, sed sapientia secundum participationem. Hoc enim dixisti, quod sapientia dispendium patiatur, & ideo composita esse possit, nec cogitas quod divina sapientia sicut, antequam se exinaniisset indiminuta permansit: Ita & in hac exinanitione quam gessit misericorditer,*

Gregor. Nazianzen.

Cyrillus anathematismo 3.

Christus ex duabus naturis compositus.

diter, indiminuta atque indemutabilis extitit. Et hoc etiam dicis quod sapientia habitaret in eo. Habitamus & nos in domibus ut alter in altero, sed neque pars domorum nos sumus, nec nostra pars domûs est. Similiter etiam beatus Athanasius in libello, cujus est titulus: Quod unus sit Christus. Hæreticorum vanitatem refutans, postquam de Filij Dei divinitate inquisitiones eorum superfluas approbasset, ita prosequitur: *Sic*, inquit, *etiam de Incarnatione inquirunt: Quomodo inquiunt incarnatus Deus, quomodo incorporatur, quomodo componitur. Ad parvum corpusculum incapabilis, quomodo unitur, increatus creato, & circumscripto incircumscriptus? aut quomodo in partem magnus ille & immensus & individuus? Si autem magnitudo illa in parvo loco contracta est, aut parvum illud factum est magnum, aut pars & non omnis divinitas carni unita est, quod est impium credere. Et prolapsi sunt ex hoc quod dicunt quomodo, & quali modo? & quâ sententiâ imperfidiam etiam isti & inhabitationem pro Incarnatione operati sunt, & pro unitate & compositione in operationem humanam, & pro una substantia Domini nostri* IESV *Christi, duas subsistentias, & duas personas, & pro sancta & ineffabili Trinitate, quaternitatem indecenter dogmatizantes & impiè.* Rursus beatus Gregorius in sermone de filio: *Vno autem*, inquit, *capitulo meo ut altiora quidem asseribas divinitati, & illi natura quæ passionibus & corpore probatur esse superior: humiliora verò composito tribuas, qui propter te semetipsum exinanivit, & incarnatus est. Hinc ergo rectissimè credimus, quod plenus & perfectus Deus verbum etiam post assumptam carnem nullum augmentum detrimentumq; pertulerit, imò unitione suâ ineffabilem gloriam contulerit assumptæ naturæ.* Athanasius. Regula.

Quod non sit facta quaternitas in deitate per Incarnationis Mysterium.

CAPVT IV.

HAc de causa Trinitas etiam post Incarnationis Mysterium Trinitas mansit, quia idem Deus verbum, etiam cum propria carne unus est ex Trinitate: non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei verbi est, qui est unus ex Trinitate. Ipse enim omnino *& non alius ascendit in cœlum qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.*

Cyril. anathematiſmo 12.

Quapropter & Deum verbum paſſum carne, & crucifixum carne, ſepultum carne, ſecundum B. Cyrillum profitemur dicentem: *Si quis non confitetur Deum verbum paſſum carne, crucifixum carne, & mortem carne guſtaſſe, factumq; primo-genitum ex mortuis ſecundum quod eſt vita & vivificator tanquam Deus, anathema ſit.* Similiter etiam hominem Chriſtum dicimus verbum ſecundum illud B. Iohannis: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ tractaverunt de verbo vitæ.* Neque enim verbum ſecundum deitatis ſuæ naturam tractari potuit, manibus humanis, niſi fieret homo. Eſt etiam proculdubio puer ille quem B. Virgo genuit, quem pannis involvit, quem in præſepio collocavit, quem octavo die circuncidit, quem Symeon vir juſtus propriis amplexatus eſt gremijs, quem ſubjectum parentibus Euangeliſtæ referunt, *quem profeciſſe ætate & ſapientia*, proteſtantur, natura Deus, *per quem facta ſunt omnia* viſibilia & inviſibilia, unigenitus & primogenitus, *in quo omnia conſtant* ſecundùm Apoſtolum. Et hoc ipſum claris vocibus etiam Eſaias Propheta proteſtatur, dicens: *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cujus poteſtas in humero ejus, & vocabitur magni conſilij Angelus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, dominator, princeps pacis, pater futuri ſeculi.* Et idcirco acquieſcendum illis nullatenus credimus, qui puero illi Deum fortem unitum aſſerunt, nec Deum fortem ipſum eſſe puerum credunt, præſertim cùm non alterius cujuſlibet, ſed ejus omninò throno qui *de Spiritu Sancto & MARIA Virgine natus eſt*, atque in Iordane à Ioanne ut aquas ſanctificaret baptizatus eſt, *in ſeculum ſeculi virga æquitatis, virga regni tui, dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Quomodo autem ungi poterat Deus cujus *thronus eſt in ſeculum*, niſi fieret homo?

Coloſſ. 1. 18

1. Ioan. 1, 1

Luc. 2. 7.

Ibid. 21.
Ibid. 28.
Ibid. 51. & 52.
Ioan. 1. 3.
Coloſ. 1. 17.
Eſa. 9. 6.

Mat. 19:
Pſal. 44. 7 & 8.
Heb. 1. 8. & 9.

CAPVT

Quod Deus factus sit homo, & homo non sit factus Deus.

CAPVT V.

SEcundum hanc ergo Prophetæ sententiam, Deus factus est Christus, non autem Christus factus est Deus, sicut dicunt hæretici, qui per provectum. non per naturam Christum Deum audent asserere: Deus enim unctus est. quia ipse *factus est homo*, non enim est alter Deus alter homo, sed idem Deus, idem homo. Qui enim naturalis est filius virginis, idem naturalis est filius Dei, propterea & duas nativitates credimus Dei verbi, & confitemur, id est unam ante secula in patre secundum divinitatem, alteram in novissimis diebus à Virgine sancta secundum carnem: execrantes eos qui negant secundum carnem Dei verbi nativitatem: qui etiam refugiunt unius ejusdemque filij Dei fateri mirabilia, & passiones, quod omnis Dei Ecclesia confitetur. Accipimus autem & quatuor concilia secundum hunc expositionis nostræ sensum, Nicenum trecentorum decem & octo Episcoporum, Constantinopolitanum centum & quinquaginta qui damnaverunt impios pneumatomachos †, nec-non etiam Ephesinum primum, cui præfuerunt beatissimi Celestinus Romanus, & Cyrillus Alexandrinus antistites, & sanctum ac venerabile, quod apud Calcedonam celebratum est. Epistolas quoque beati Leonis amplectimur anathematizantes universos contraria dogmatibus Ecclesiæ sentientes, simul & omnia scripta Theodori Mapsuestini, & Nestorij discipuli ejus, omnesque qui illis similia sapiunt cum eodem Nestorio, necnon etiam cuncta scripta 12. Capitulis adversantia beati Cyrilli, quæ contra eundem Nestorium ædidit: his adijcientes Euticem, Dioscorum cum socijs eorum, omnesque quos justè ac regulariter sedes Apostolica condemnavit.

Duæ nativitates verbi Dei.

† *id est spiritus sancti impugnatores.*

CAPVT

Qualis homo sit creatus, & qualis cum sua posteritate per peccatum est effectus.

CAPVT VI.

POst hæc consequens est etiam qualiter de Christi gratia sentiamus, qua *nos eruit de potestate* Sathanæ secundum quod nobis est traditum vestræ beatitudini declarare: quia etiam in hac parte authoritas vestra nobis valdè est necessaria. Credimus itaque bonum & sine ulla carnis impugnatione à Deo Creatore omnium factum Adam, magnaque præditum libertate, ita ut & bonum facere in propria facultate haberet, & malum si vellet, posset admittere. Eratque mors & immortalitas in ejus posita quodammodo arbitrij libertate. Capax enim erat utriusque rei, ut si servaret præceptum, sine experientia mortis fieret immortalis: si verò contemneret, mors continuò sequeretur. Itaque serpentis astutia depravatus, sponte divinæ legis prævaricator effectus est, & ideo secundùm quod ei prædictum fuerat, justo judicio Dei, mortis pœna damnatur, totusque, id est secundùm corpus & secundùm animam in deterius commutatus, amissâ libertate propriâ, sub peccati servitio mancipatur. Ex hoc nullus est hominum qui non hujus peccati vinculo nascatur astrictus, præter eum qui ad hoc vinculum peccati solvendum novo generationis modo natus est: *Mediator Dei & hominum homo Christus* IESVS. Quid enim aliud potuit aut potest nasci ex servo, nisi servus? neque enim cùm esset liber Adam filios procreavit, sed postquam servus peccati factus est. Ideo sicut omnis ab illo est, ita & omnis homo servus peccati per ipsum est. Hinc & Apostolus: *Ex uno*, inquit, *in omnes homines in condemnationem*, & rursus: *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Falluntur ergo omnimodo qui dicunt mortem solam, non & peccatum transisse in genus humanum. Cùm Apostolus & peccatum & mortem mundo per eum testetur illatum. Ab hac igitur damnatione & morte, nullus omninò liberatur, nisi gratia redemptoris. Qui cùm esset Dominus, utpote Deus, ut nos à servitute perpetua, & potestate diaboli liberaret, atque ad veram

Coloss. 1. 13.

Qualis Adam fit creatus.

Per peccatū totus homo factus est deterior.

1. Tim. 2. 5.

Rom. 5. 18.

Ibid. 12.

Philipp. 2.7 veram libertatem educeret, factus est servus, *accipiens formam servi.* Hinc est, quod dicit ad Iudæos: *Tunc verò liberi eritis, si vos filius liberaverit.* Putabant enim se verè liberos, qui humanis occupationibus intentione vanissimâ serviebant. Ut ergo falsa libertas fieret Christiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, quo posset per ejus gratiam ab occupationibus humanis aversa, ea cogitare & desiderare, quæ pertinent ad vitam æternam. Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare & desiderare humana, non autem potest cogitare aut velle, seu desiderare divina. Quorum primum est & præcipuum fundamentum, & crepido quodammodo sive omnium bonorum origo, credere in *Dominum gloriæ crucifixum.* Quod utique non est ex naturalis arbitrij libertate, *quia non hoc caro & sanguis, sed pater cœlestis revelat* cui voluerit, ad veram eum attrahens libertatem, non violentâ necessitate, sed infundendo suavitatem per Spiritum Sanctum, ut mox credentes dicamus: quia *Dominus est* IESVS, quod *nemo* per naturalem arbitrij libertatem *potest dicere nisi in Spiritu Sancto:* Frustra ergo garriunt qui dicunt meum est velle credere, Dei autem gratia est adjuvare, cùm etiam ipsum credere, quod est consensum præbere veritati nobis à Deo dari testetur Apostolus, dicens: *Vobis enim datum est à Christo non solùm ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini.*

Matt. 16.17

1. Cor. 12.3

Philip. 1.29

Sine gratiâ non nisi humana cogitantur.

Quid sit credere.

Quod Deus alios faciat credere suâ bonitate, alios deserat justo judicio, sed occulto.

CAPVT VII.

SEd dicunt, si nolentes Deus facit ut velint credere, nullus autem est qui naturaliter, ut dicitis, potest credere in Filio Dei, aut aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternam, cur ergo non facit omnes velle, cùm non sit personarum acceptio apud Deum, præsertim cùm de ipso scriptum sit: *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Aut enim vult & non potest, aut mentitur Scriptura divina. Quod si horum quodlibet sentire est impium, restat ut non ille excitet voluntatem humanam, sed eam expectet ab homine, ut æquum sit in volentibus præ-

Obiectio.

Rom. 2.11.

1. Tim. 2.4.

mium, in nolentibus autem justa damnatio. Hæc si ita sunt, ut hæretici jactitant, comprehensa sunt ab ipsis *inscrutabilia, & incomprehensibilia Dei judicia.* Si enim ut ipsi volunt nolentes damnat, salvat autem volentes, nihil est omninò quod quæratur ulteriùs. Et quantùm ad ipsos, fallit Scriptura divina, quæ *incomprehensibilia Dei testatur judicia.* Nos autem *Rom.* 11. 33
Solutio. *incomprehensibilia* credentes & demonstrantes *judicia Dei*, ex una massa perditionis alios salvari dicimus bonitate & gratiâ Dei, alios justo & occulto judicio derelinqui. Alioquin dicant si possunt hi qui hoc divinæ justitiæ & bonitati contrarium æstimant, cur is *qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, tam multas virtutes fecit in Corozaim & Bethsaida, & nullam harum in Tyro & Sydone *Matt.* 11. 21
facere voluit, ubi *si factæ fuissent* (sicut ipse testatur) *forsitan in cinere & cilicio pœnitentiam egissent?* Aut cur in Asia & Bi- *Act.* 16.
thinia Apostolum vetuit verbum salutis annunciare? Quòd *6. & 7.*
si ista nequeunt comprehendi, redeant ad se, & invenientes se homines, desinant quærere: cur alios salvet gratuito dono, alios derelinquat justo & occulto judicio, qui *potestatem habet ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam*, & clament unà nobiscum, imò juxta Apostolum: *Rom.* 11. 33
O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia eius, & investigabiles viæ eius. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei & retribuetur illi? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen. Manifestè ergo non nobis, sed Apostolo omninò resistit, qui dicit: *Nisi ego priùs voluero, gratia ad me non venit.* Quod omninò nihil aliud est dicere, nisi priùs dare Deo, ut retribuatur illi.

Rom. 9. 21. *& seq.*

CAPVT

Quod ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſq; motus bona voluntatis ex Deo ſit.

CAPVT VIII

SEd nos ſequentes eundem Apoſtolum, omnem bonarum cogitationum originem earumque confeſſionem & voluntatem ex Deo & per Deum & in Deo dicimus, qui pravas hominum voluntates & terrenis actibus implicatas, per infuſionem & operationem intrinſecùs Sancti Spiritus abſolvit, & corrigit, ſicut ſcriptum eſt: *Præparatur voluntas à Domino.* Hinc etiam beatus Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus in oratione ſacri Altaris, quam penè univerſus frequentat Oriens. Inter cætera: *Dona*, inquit, *Domine virtutem ac tutamentum, malos quæſumus bonos facito, bonos in bonitate conſerva, omnia enim potes, & non eſt qui contradicat tibi, cùm enim volueris ſalvas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ.* Ecce quàm breviter, quamque diſtrictè, Doctor egregius olim huic controverſiæ finem poſuit docens per hanc precem, non à ſeipſis, ſed à Deo malos homines bonos fieri, nec ſuâ virtute, ſed divinæ gratiæ adjutorio in ipſa bonitate perſeverare. Similiter beatus Innocentius Apoſtolicæ Sedis antiſtes, in Epiſtola ad Concilium Milevitanum: *Omnia*, inquit, *ſtudia & omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudemq; referenda ſunt, quia nemo aliundè ei placet niſi ex eo quod ipſe donaverit.* Quod diligentiùs manifeſtiuſque in Epiſtola ſua ad Papam Romanum replicantes, ipſius Papæ ſententiam explicant Africana Concilia dicentes: *Illud autem quod in literis, quas ad univerſas provincias curaſti eſſe mittendas poſuiſti dicens:* Nos tamen inſtinctu Dei (omnia enim bona ad authorem ſuum referenda ſunt unde naſcuntur) ad fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam univerſa retulimus: *Sic accipimus dictum, ut illos qui contra Dei adiutorium extollunt arbitrij libertatem, diſtricto gladio veritatis, velut curſim tranſiens amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quàm quòd univerſa in humilitatis noſtræ conſcientiam retuliſti? Et tamen inſtinctu Dei factum fideliter ſapienterq; feciſti, veraciter fidenterq; dixiſti, ideo utique quia* præparatur voluntas à Domino, *& ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda filiorum.* Quotquot enim ſpiritu

Prov. 8. 35. iuxta 70. — *Baſilius.*

Prov. 8. 35. iuxta 70.

Vide in capitulo Ceſtes. 8.

ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei, *ut nec noſtrum deeſſe ſen-* Rom. 8. 14.
tiamus arbitrium, & in bonis quibuſq; voluntatis humanæ ſingulis motibus, magis illius prævenire non dubitemus, gratiam, quòd ita Deus in cordibus hominum atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bona voluntatis ex Deo ſit, quia per illum aliquid boni poſſumus ſine quo nihil poſſumus. His congruè beatiſſimus Celeſtinus in Epiſtola ad Gallos data: *Cùm enim* (inquit) *ſanctarum plebium præſules mandata ſibi legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcente poſtulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idolatræ ab infidelitatis ſuæ liberentur erroribus, ut Iudæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, ut ſchiſmatici ſpiritum rediviva charitatis accipiant, ut lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique cathecumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cœleſtis miſericordiæ aula reſeretur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti rerum ipſarum monſtrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere, plurimos dignatur attrahere,* quos eruens de poteſtate tenebrarum transfert in Coloſſ. 1. 13.
regnum filij charitatis ſuæ, *& ex* vaſis iræ *facit* vaſa miſericordiæ, *quod à Deo totum divini operis eſſe ſentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio pro illuminatione talium vel correctione reſeratur.* Rurſus poſt pauca: *His ergo* inquit, *Eccleſiaſticis regulis ex divina ſumptis authoritate documentis, ita adiuvante Domino Deo confirmatiſſimus, & omnium bonorum effectuum, atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumq; virtutum quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur authorem: & non dubitemus ab ipſius gratia omnis hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni & velle incipiamus & facere, quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur, ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudenti ſit providum.* Terminat autem idem magiſter hanc ipſam
Epiſtolam atque concludit ita dicens: *Quia ad confitendam gratiam Dei cuius operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus quicquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolica ſedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur Catholicum quod apparuerit præfixis eſſe ſententijs contrarium.* Hæc ſanctiſſimi non quaſi ignorantibus ſuggerere neceſſarium æſtimavimus, ſed ad confutandum eorum amentiam, qui ea ut nova dogmata, & penitùs Eccleſijs inaudita refugiunt, huic parvitatis

noſtræ

noſtræ libello inſerere utile conſideravimus. Quorum omnium Sanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Celeſtinum, ſimulque etiam Iulianum Edanenſem, & qui illis ſimilia ſapiunt præcipuè libros Fauſti Galliarum Epiſcopi, qui de Monaſterio Lirinenſis provectus eſt, quos contra Prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe non dubium eſt. In quibus non ſolùm contra horum omnium Sanctorum Patrum, verum etiam contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens, humano labori ſubjungit gratiæ adjutorium, atque totam omninò Chriſti evacuans gratiam, antiquos Sanctos non ea gratia quâ & nos, ſecundùm quod docet beatiſſimus Petrus Apoſtolus. Sed naturæ poſſibilitate ſalvatos impiè profitetur. Petrus miſericordia Dei Diaconus ſubſcripſit. Ioannes miſericordia Dei Monachus ſubſcripſit. Leontius miſericordia Dei Monachus ſubſcripſit. Ioannes Lector miſericordia Dei ſubſcripſit.

Libri Fauſti contra prædeſtinationem.

FINIS.

DIVI FVLGENTII RVSPENSIS EPISCOPI ET ALIORVM QVINDECIM EPISCOPORVM AFRICÆ,

De Incarnatione & Gratia Domini nostri Iesv Christi, seu de Gratia & Libero arbitrio, ad Petrum Diaconum & alios qui ex Oriente in causa fidei Romam missi sunt.

LIBER VNVS.

Quod recta in Deum fides in hac vita, salus hominum est.

CAPVT PRIMVM.

DILECTISSIMIS, & in Christi fide atque gratia plurimùm amplectendis Sanctis fratribus Petro Diacono, Iohanni Leontio, & alio Ioanni, cæterisque fratribus quos unà vobiscum in causa fidei Romæ directos literis intimastis, Dacianus, Fortunatus, Boëchos, Victor, Scholasticus, Horontius, Vindicianus, Victor, Ianuarius, Victorianus, Fotinus, Quod vult Deus, Fulgentius, Fœlix, & Ianuarius in Domino salutem. Beatus frater noster Iohannes Diaconus à vestra societate directus, literas nobis quas misistis habuit, quibus recensitis vestram simul alacres & fidem cognovimus & salutem, imo in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit. Quę enim vera in hac vita salus est hominum nisi recta in Deum *fides, quæ per charitatem operatur*, per quam nos gratia divina salvatos Apostolica testatur authoritas, dicens: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis extollatur.* Et *quia charitas*, rectæ fidei debet jugiter adhærere, quæ studio atque efficaciâ bo-

Gal. 5. 6.

Ephes. 2. 8. & 9.

1. Pet. 4. 8.

ciâ bonorum operum *cooperit multitudinem peccatorum*, ideo *Doctor gentium* in fide & veritate, ne quid sibi humani tumoris auderet arrogantia vendicare, post commendationem fidei per quam gratis salvi facti sumus, operum quoque bonorum gratiam, muneribus divinæ benignitatis assignans subsequenter adjunxit: *Ipsius enim sumus factura creati in Christo* IESV *in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* In eis nos Deo dirigente ambulare, ipso rerum gaudemus effectu: *Solicitudine* quippe *non pigri*, & *spiritu ferventes*, quò devotione laudabiliore Domino servitis, eò *charitas de corde puro & conscientiâ bonâ & fide non ficta* nos instigat pro fidei communione pleniùs agnoscenda vestri exilij secreta perquirere. Quia igitur *sermo Dei non est alligatus* qui vivus est & efficax, idcirco nos quoque ea quæ de Incarnatione ac dispensatione Domini nostri IESV Christi, & de Gratia (quæ gratis indignis ita tribuitur, ut ipsa in nobis & exordium & profectum bonæ voluntatis operetur) Canonicorum sanctâ authoritate voluminum, paternorum quoque dictorum doctrinâ, atque institutione percipimus & tenemus, vestræ charitati rescripto indice demonstravimus, confidentes in Domino (à quo & fides infunditur, ut *corde credamus ad iustitiam*, & sermo datur, *ut ore confiteamur ad salutem*) quod nostrum pariter & sensum gubernavit & stylum, ut vestræ interrogationi talis reddatur nostra responsio, in qua & de Incarnatione Domini ea dicamus quæ nostræ redemptionis continet veritas, & de *Gratia Dei* ea loquamur, quæ nobis ipsa gratis infundit superna Majestas.

Ephes. 2. 10

Rom. 12. 11

1. Tim. 1. 5

2. Tim. 2. 9.

Rom. 10. 10

Quod in Christo confiteri oporteat duas naturas, & unam personam, Deum scilicet & hominem, de MARIA *Virgine pro nostra salute veraciter natum.*

CAPVT II.

Discitis itaque vos juxta Sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum IESVM Christum in duabus naturis unitis & inconfusis, id est, divinitatis & humanitatis in una persona sive subsistentia confiteri. Unde consequenter beatam

tam quoque MARIAM propriè & secundùm veritatem vos credere asseritis genitricem Dei, eò quòd scilicet peperit verè & propriè Deum verbum incarnatum, & hominem factum, atque essentialiter sive naturaliter carni unitum. Hæc ex Epistolæ vestræ tenore posuisse sufficiat. Ex his enim pendent cætera, quæ de Incarnatione Domini sermonis vestri professio comprehendit. Si quis igitur in Domino nostro IESV Christo aut duas naturas aut unam noluerit sive dubitaverit credere ac prædicare personam: Vel si quis noluerit confiteri eundem Deum atque hominem, id est, verbum incarnatum, de MARIA Virgine pro nostra salute veraciter natum, tantùm à Catholica fide deprehenditur ac demonstratur extraneus, quantùm Sacramento redemptionis humanæ resistit ingratus. Hoc enim est illud *magnum pietatis* commendatum fidelibus cunctis ore Apostolico *Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria.* Quia scilicet *verbum* quod *in principio erat, & apud Deum erat, & Deus verbum erat*, id est Dei *unigenitus filius*, Deique virtus & sapientia, *per quem & in quo facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil*, id est Deus unigenitus *cum in forma Dei esset*, id est cùm *æqualis* per omnia *genitori* unitatem cum eo naturalis essentiæ possideret, & in ea natura quam sempiternus habet ex patre, hoc quod naturaliter pater est, id est, Deus verus summus incommutabilisque esset, neque alter à patre Deus, sed manente personali discretione, unus naturaliter cum patre Deus esset, nec minor scilicet, nec posterior patre, nec diversæ potestatis, nec alterius essentiæ: (*Non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*) tamen *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, id est, *in similitudine hominum factus*, idem *habitu inventus ut homo*, in quo nulla potuit esse rapinæ arbitratio, quia de substantia patris ineffabili ac sempiternâ nativitate genita naturalis æqualitatis in eo permanet plenitudo. *Semetipsum* igitur *exinanivit formam servi accipiens.* In eo quippe Deus homo esse naturaliter voluit & Dominus omnium rerum, servilem naturam sine amissione propriæ dominationis assumpsit, in quo *servi formam* misericorditer exinanitus accepit. Quàm benè autem sanctus Apostolus *novi testamenti* sicut ipse te-

1. Tim. 3. 16

Ioan. 1. 1.

Ibid. 3.

Philip. 2. 6. & 7.

2 Cor. 3. 6. ipſe teſtatur *factus à Deo miniſter idoneus*, ne quiſquàm noſtrum exinanitum Dei filium audiens, amiſſam vel diminutam æqualitatẽ paternæ formæ in Deo vnigenito noxiâ cogitatione conciperet, & obliquos ſequens ſerpentinæ deceptionis anfractus rectæ fidei tramitem non teneret, illâ exinanitione ſubmotis reſeruauit ambagibus, quando ſubſequenter adiecit, *formam ſerui accipiens.* Illa igitur exinanitio vnigeniti Dei acceptio fuit formæ ſeruilis, non amiſſio vel diminutio deitatis. Diuina quippe natura nec minui poteſt aliquatenus, nec augeri, quia incommutabilis manens hoc habet ſemper eſſe quod eſt. Nam ſi Deus ille verus & ſummus qui *propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius paupertate nos diuites eſſemus*, plenitudinem ſuam quod nefas eſt, exinanitus amitteret, aut aliquid mutabilitatis in illa formæ ſeruilis acceptione ſentiret, non dixiſſet beatus Ioannes Euangeliſta de verbo Incarnato: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratia & veritatis. Verbum* itaque *caro factum* in veritate humana caro eſſe cœpit, ſed in veritate diuina verbum eſſe non deſtitit. Et ſuſceptionis ac redemptionis humanæ myſterium ideo efficaciter peregit redemptoris admiranda benignitas, quia nec mutabilitatis, nec diminutionis vnquam receptrix eſſe potuit diuina maieſtas. Verbum igitur Dei idemque *verbum Deus*, humanam carnem de carne matris accipiens, ſic vtique *formã ſerui accepit*, vt permanens in forma Dei æternus atque incommutabilis Deus, per vnitatem perſonæ in quam formã ſerui accepit, fieri dignaretur ipſe quod fecit. *In ſimilitudinem* quippe *hominum factus, habitu eſt inuentus vt homo*, & incommutabilem habens de natura Patris per omnia deitatem, creari dignatus eſt non creatus, & *fieri* voluit *ex muliere* non factus à patre, ſed genitus. Atque ita *Verbum caro factum eſt*, vt eſſet *vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus* IESVS, *qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*, vnus & verus Dei atque hominis filius, vnus idemque de patre ſine initio Deus ſemper genitus, de matre verò Deus ſecundùm carnem temporaliter conceptus & natus. Quam carnem non conceptam accepit vnigenitus Deus, Sed in ea eſt Deus ipſe altiſſimâ humilitate conceptus. Idem quippe Deus creatus eſt in virgine, & de virgine ſecundùm carnẽ, qui ſibi de qua & in qua crearetur creauerat genitricem.

Exinanitio filij Dei quid ſit.

2. Cor. 8. 9.

Ioan. 1. 14.

Philip. 2. 7.

Gal. 4. 4. Ioan. 1. 14. 1. Tim. 2. 5. Rom. 9. 5.

Verbum carnem ſuſceptam non accepit.

Quòd verbum non solùm in Virgine Caro factum est, *sed etiam ex Virgine.*

CAPVT III.

SI autem *Deus verbum* sic in virgine caro fieret vt ex ea non fieret, proculdubio non de carne matris idē Deus haberet substantiam carnis, essetque eius per virginē transitus, atque ita nec *mediatoris* Sacramentum nobis proficeret ad salutem, nec humanæ diuinæque plenam in se Christus Dei filius inconfusibiliter vniret substantiæ veritatem. Hoc ergo medicinaliter vsa est bonitas diuina remedio, vt ille *vnigenitus Deus, qui est in sinu Patris*, non solùm in mulie- *Ioan. 1.18.*
re, sed etiam *ex muliere fieret* homo. Quod indubitanter diuinis credere atque iubemur oraculis. In ea quippe Deum hominem factum Propheta non tacuit dicens: *Mater Sion dicet homo & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altißimus.* *Psal.86. 6.*
Esaias quoque Spiritu sancto plenus, futuræ incarnationis filij Dei sic prænuntiat Sacramentum: *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur nobiscum Deus.* Quia ergo ille quem *in vtero virgo concepit & peperit nobiscum Deus* vocatur, Deus vtique in vtero virginis conceptus natusque cognoscitur. In Euangelio quoque dicitur de MARIA: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Etiam Ioseph quem virum MARIA non ad concubitum corruptelamque carnis, sed ad testimonium custodiamque sacræ virginitatis & castissimæ fœcunditatis habuit, Angelico sic admonetur oraculo: *Ioseph fili Dauid ne timeas accipere* MARIAM *coniugem tuam. Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est.* Ex ipsa quoque factus cœlestibus demonstratur eloquijs. Dicit enim Apostolus: *Postquam autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Romanis etiam scribens, vt verum firmumque ponere se demonstraret fundamentum fidei, epistolæ suæ tale collocauit exordium: *Paulus seruus* IESV *Christi vocatus Apostolus segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos, in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundū carnem.* Thimotheo quoque dilecto filio in fide, principaliter huius fidei sollicitâ commendat affectione memoriā, dicens: *Memor esto Christum* IESVM *resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundùm Euangelium meum.* Ad ipsam quoque beatā Virginem futuram scilicet creatoris sui, imò rerum omnium genitricē, Gabriel

Ibid. 18.

Ibid. 20.

Verbum factum est ex Virgine.

Gal. 4. 4.

Rom. 1. 1. 2. & 3.

2. Tim. 2. 8.

Luce 1. 35. Angelus hoc vſus inuenitur alloquio: *Spiritus S. ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: Ideo quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Ad hoc pertinet ſalutis noſtræ myſterium, quod pater noſter Abraham diſpenſatorem domus ſuæ præcepit ſub eius fœmore manũ ponere, & iurare per Deum cœli. Quod non niſi ſpiritu feciſſe credendus eſt, tunc ſcilicet quando *omnia in figura contigiſſe vas electionis* inſinuat. Illud igitur ideo ſanctus Abrahã *pater gentium* fecit, non quia carni ſuæ credebat aliquod iã eſſe cum Deo cœli naturale conſortium, ſed vt oſtenderet Deum cœli ex ea carne naſciturum hominem, quæ de ſemine ipſius Abrahæ propaginis duceret veritatem. Vnus eſt igitur Chriſtus Dei filius in natura diuinitatis & carnis, in quo ſingularitas perſonalis non confundit humanam diuinamque naturam, & inconfuſa vnitio naturarum non fecit geminã ineſſe perſonam. Veritas enim propterea noſtrę reconciliationis permanet & ſalutis, quia & Deus vnigenitus verus homo pro nobis eſt factus, & idem homo non alius cõceptus & natus eſt quàm vnigenitus Deus. Beata igitur MARIA Deum *Verbum* ſecundùm quod *caro factum eſt*, & concepit & peperit. Cuius vtero verbum Deus non carnẽ, in qua conciperetur intulit, nec ex ea materiam conceptæ ſiue formatæ carnis non ipſe Deus concipiendus, ſed tantũ naſciturus aſſumpſit: Sed ex ea & in eadem Virgine humanæ carnis naturam ſecundùm quã temporaliter Deus ſempiternus conciperetur & naſceretur, accepit. Ipſa quippe acceptio carnis fuit conceptio virginalis, neque enim in vtero ſanctæ illius & matris & virginis, illa ſpiritualis & ex Deo Patre ſine initio genita verbi Dei natura, poterat abſque carne temporaliter concipi, ſicut nec caro ſine verbi Dei vnitione potuit aliquatenus nullius viri coitu ſeminata in intimo vuluæ virginalis innaſci. Hanc ergo carnẽ tunc ex ſe natura virginis concipientis exhibuit, cùm in eam Deus concipiendus aduenit. Non eſt igitur aliquod interuallum temporis æſtimandum, inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ maieſtatis aduentum. Vna quippe fuit in vtero MARIÆ virginis cõceptio diuinitatis & carnis, & vnus eſt Chriſtus Dei filius in vtraque natura conceptus, vt maculam vitiatæ propaginis inde inciperet abolere, vnde in vnoquoque naſcentium videbatur exiſtere.

Gen. ſ. 24. 2. & 3.

1. Cor. 10. 11.

Ioan. 1. 14.

Quòd ad delendum peccatum originis, Dei filius sibi humanam naturam immaculatus, immaculatam vniuit.

CAPVT IV.

NAm quia omnes homines ex coitu maris fœminæque nascentes, ipsius conceptionis exordium originalis peccati habent contagione respersum, quia peccatum quod primus homo cùm esset naturâ bonus, diabolicâ malignitate seductus admisit, in posteros quoque cum pœna ac cum morte trâsiuit. Quod in veritate sanctus Dauid enunciat dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea*: necessarium vtique admodum fuit, vt misericors Dominus & iustus iniquitatis humanæ vestigia deleturus, in ipso conceptu sibi humanam naturam dignaretur immaculatam, immaculatus vnire, vbi eam consueuerat per inflictam peccati originalis maculam, suæ parti dominioque diabolus vendicare. Naturæ igitur humanæ cuius veritatem plenitudinemque Deus vnigenitus assumere voluit, conceptum quoque eius, natiuitatemque suscepit. Absit enim vt quisquam Catholicus credat aut dicat, quòd vnigenitus Deus suo nos Sanguine redempturus, in ea carne qua idem Deus *factus est homo*, respuerit humanæ conceptionis initia, cùm in eadem carne Deus ipse immortalis permanens humanæ mortalitatis fuisset passurus extrema. Sicut enim carne moriens incommutabilem atque inamissibilem naturalem sui statum Deus verus viuusque non perdidit, sic idem Deus vniuersus naturaliter & æternus cùm parua carne conciperetur, vniuersitate naturali non caruit. Et cùm temporaliter carne nasceretur, æternitatem naturalem in qua de patre atque in patre sempiternus Deus est, non amisit, quia vita illa suum voluit esse quem in carne suscepit, obitum, & æternitas illa suum habuit in matre conceptum. *Verbum* igitur *Deus*, id est, *vnigenitus Dei filius*, qui est in omnibus (sicut ipse testatur) *alpha & ω initium & finis*, sic initialiter secundùm humanam naturam concipi carne non abnuit, sicut eâdem carne moriens, Deus humanæ naturæ debitum finale persoluit. Nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum

Rom. 5. 12.

Psal. 50. 7.

Apo. 1. 8.

catum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi vnione verbi Dei non naturali confusione, sed solùm personali vnitate transiret. Verbum quippe cùm caro fieret vnitione mirabili suam naturam fecit, quam ex nobis accepit. In qua tamen vnitione deifica, & omnino mirabili, verbi diuinitas mutata non est in carnem, veraque verbi humanitas naturalem prorsus tenuit nostri generis veritatem. Virgo igitur quòd sæpe commemorandum, ipsum Deum *verbum* secundum hoc quod in ea *caro factum est*, & concepit & peperit, & illum vnigenitum Deum virtutem scilicet & sapientiam Dei, *candorem lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imaginem bonitatis illius, splendorem gloriæ, & figuram substantiæ eius*, quem sine vllo initio de sua natura sempiternum atque incommutabilem genuit incõmutabilis ac sempiterna diuinitas patris: eundem humana natura totum plenumque Deum & hominem initialiter concepit & peperit vterus virginalis.

Incarnatio Verbi necessaria ad tollendum peccatum.

Sap. 7. 26.

Heb. 1. 3.

Quòd Deus & homo in Christo, non duas personas, sed duas naturas sine confusione vnitas significant.

CAPVT V.

CVm autem Dominum Christum Deum hominemque dicimus, non personalem dualitatem, sed vtriusque naturæ vnitionem verissimam sine vlla facta confusione monstramus. Idem quippe Deus qui homo, idem homo qui Deus est, quia sic Deo verbo mirabiliter vnita est humana natura, vt ipse verus Deus verus homo fieret, alteram verò personam incarnati verbi vera humanitas non haberet. Accessit enim Deo humana substantia non persona, Deus itaque cum sua carne vnus est Christus, filius Dei & filius hominis, idem verbum simul & caro, imò idem verbum caro quia idem Deus homo.

Quòd Deus non sit in Christo, sicut in Patriarchis aut Prophetis.

CAPVT VI.

NOn autem sic *Deus verbum* carnem accepit, vt caro non fieret, Cùm Euangelista dicat, *Verbum caro factum est.* Neque naturam carnis ita Deus summus atque vniuersus assumpsit, vt tanquam in vno de Patriarchis aut Prophetis, in illo quidem homine Deus esset, sed idem Deus homo non esset. Absit vt hoc Christiana conscientia teneat, aut se quisquã fidelium profanari tanta impietate permittat. Cùm enim *Verbum caro factum est*, sic diuinitas humanitatem sibi mirabiliter vnire dignata est, vt vtriusque naturæ veritate seruatâ, in vno eodemque Deo atque homine Christo pro vita mundi diuina fieret illa eius humanitas. *Deus* enim *non continens in ira misericordias suas*, ad hoc *homo factus est*, vt quicquid in homine creauerat integrum, idem Deus in se totum redintegraret assumptum. Hoc itaque habuit, Dei hominisque mirabilis quidem sed verus ille secundùm carnem conceptus & partus, quo Deum cœli virgo ineffabiliter concepit & peperit, & Virgo Genitrix inuiolata permansit, ille scilicet *gratia plena*, & *beata in mulieribus* veraciter ab Angelo nuncupata, quòd gratiæ præuenientis ope atque opere *Spiritu sancto superueniente in se*, & *virtute Altissimi obumbrante sibi* Deum Dei filium conceptura, viri coitum nec pertulit omnino nec voluit, sed virginitatem retinens & mentis & corporis, ab eo quem concepturа & paritura fuerat, donum incorruptæ fœcunditatis & fœcundæ integritatis accepit. Ita *Deum verbum* secundum quod *caro factum est* virgo sancta concepit Angelorũ hominumque factorem, eundemque nihilominus virgo peperit hominum redemptorem. Neque enim sancta virgo MARIA Deum sine carnis assumptione nec carnem sine vnitione concepit, quia ille conceptus virginis Deo fuit carnique communis. Hæc est gratia qua factum est, vt Deus qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo conciperetur atque nasceretur *in similitudine carnis peccati* de carne peccati. Caro quippe MARIAE quæ *in iniquitatibus*

Ioan. 1. 14.

Psal. 76. 10.

Luc. 1. 28.

Ibid. 35.

Caro Mariæ caro peccata fuit.

fuerat

fuerat humana ſolennitate *concepta*, caro fuit vtique peccati quæ filium Dei genuit *in ſimilitudinem carnis peccati*. Teſtatur enim Apoſtolus quia *miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*, illum ſcilicet *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, & ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominum factus*. Propterea verò *in ſimilitudine carnis peccati miſſus eſt Dei filius*, idem qui *in ſimilitudine hominum factus*, vt & ſimilis hominibus fieret in veritate carnis quam ipſe creauerat, & diſſimilitudinem noſtram Deus in carne ſine peccato creatus auferret, quam noſtræ carni non ex opere ſuo, ſed ex noſtro peccato ineſſe cernebat. *In ſimilitudine* igitur *carnis peccati Dei filius miſſus* apparuit, quia in eius vera humana carne non iniquitas hominis, ſed mortalitas fuit. *Similitudo* verò *carnis peccati* cùm in Dei filio vel potiùs *Dei filius in ſimilitudine carnis peccati* cùm dicitur, credendum eſt vnigenitum Deum de virginis carne mortalis non traxiſſe peccati ſordem, ſed accepiſſe naturæ integram veritatem, vt veritatis ortus de terra exiſteret, quem prophetali ſermone beatus Dauid inſinuat dicens: *Veritas de terra orta eſt*. Verè igitur Deum verbum MARIA concepit quod incarnatum peperit quam Deus accepit.

Rom. 8. 3.

Philip. 2. 6. & 7.

Pſal. 84. 12.

Quòd Beata Virgo, Deum & hominem concipere, non humanis meritis, ſed Dei dignatione promeruit.

CAPVT VII.

SEd ipſum Deum hominem factum & concipere & parere, non humanis meritis, ſed concepti naſcentiſque ex ea ſummi Dei dignatione promeruit. Niſi enim verbum Deus humanam ſibi vniens ſingulariter naturam, ex virgine homo verus naſceretur, & plenus: nunquam nobis carnaliter natis, ſpiritualiter naſcendi cõferretur exortus. Sed vt carnalibus donaretur diuina natiuitas, priùs concepta & nata eſt in veritate carnis vnigeniti filij diuina maieſtas. *Longè* enim fuit *à peccatoribus ſalus* & iniquitates noſtræ magna nos à Deo ſeparatione diſiunxerant. Et quia in ipſa natiuitate carnis noſtræ, mortis vinculo tenebamur obſtricti,

Pſal. 118. 155.

Eſaiæ 59. 2.

obstricti, à quo solius beneficio spiritualis natiuitatis possemus absolui, Deus natus est ex homine, vt ex Deo homines nascerentur. Ideo namque Christus filius Dei, id est, Deus verus & vita æterna, natus & mortuus est in veritate carnis, vt nos spiritualiter in vno Trinitatis nomine renasceremur in Sacramento Baptismatis. Hoc docet Apostolus dicens: *Quicunque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus.* Rom.6.3. Christi ergo filij Dei prima natiuitas ex Deo, secunda ex homine: nostra verò prima natiuitas ex homine, secunda ex Deo. Et quia Deus nasciturus ex vtero veritatẽ carnis accepit, ideo nobis renatis in baptismo, *spiritum adoptionis* indulsit. Ille quod ex prima natiuitate natura non fuit, secunda natiuitate per gratiam factus est, vt nos quod primæ natiuitatis naturâ non fuimus, gratiâ secundæ natiuitatis essemus. Sed Deus vt ex homine nasceretur gratiam nobis attulit, nos autem gratiam gratis accipimus, vt *diuinæ consortes naturæ*, Dei ex carne nascentis munere fieremus. 2.Pet.1.4. Quia ergo filius Dei factus filius hominis, propterea *quotquot receperunt eum* (sicut beatus Ioannes Euangelista testatur) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ioan.1.12. & 13. Si verò *vnigenitus Filius qui est in sinu Patris*, post æternam natiuitatem quam ex æterno patre filius coæternus habet, secundam natiuitatem sanctificandi hominis gratia nõ susciperet, homo *in iniquitatibus conceptus*, primæ natiuitatis nexibus non careret. Sed quia secundùm beati Ioannis eloquium, *In hoc apparet filius Dei, vt soluat opera diaboli*, ille qui in prima natiuitate qua de patris natura verus Deus est & vita æterna nullum haberet natiuitatis initium, idem Deus ex Virgine temporaliter sumpsit secundæ natiuitatis exordium. Ibid.18. 1.Ioan.3.9.

Quòd mors Christi secundùm carnem, vtramque mortem in nobis destruxerit.

CAPVT VIII.

ILle itaque viuus sermo Dei, vitæ suæ statu incommutabiliter permanente, post primam natiuitatem cum patre de quo natus vna naturaliter vita est, *Quia sicut habet pater vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* Ioan.5.26.

Idem

Idem ipse Dei filius in natura carnis per gratiam pro mortuis natus est ad mortem, vt nos post mortem primæ natiuitatis quam habemus ex carne, in gratia spiritus renascaremur ad vitã. Sed Deus verus & viuus imò Deus veritas & vita æterna, nisi idem verus homo fieret, mortem gustare non posset. Et idem homo qui mortẽ gustauit, si verus Deus & vita æterna non esset, mortem vincere nõ valeret. Excepto illo qui sic homo est vt idẽ sit Deus, quis est homo *qui* 2. *Tim.* 1. 10. *destruxerit mortem?* Aut *quis eruet animam suam de manu inferi?* *Psal.* 88. 49. Proinde Vnigenitus Deus viuus & verus, secundũ carnem quam ex nobis accepit, sicut conceptus & natus est, ita etiã mortuus resurrexit, quia *veniens quærere & saluum facere quod* *Luc.* 19. 10. *perierat, traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostram.* Mors autem filij Dei quam sola carne susscepit, vtramque in nobis *mortem*, animæ scilicet carnisq; *de-* *Rom.* 4. 25. *struxit*, & resurrectio carnis eius, gratiam nobis & spiritualis & corporalis resurrectionis attribuit, vt priùs iustificati per fidem mortis, resurrectionis filij Dei, resuscitaremur ab infidelitatis morte, qua cùm *naturaliter essemus filij iræ sicut &* *Ephes.* 2. 3. *cæteri*, tenebamur obstricti, & post primam resurrectionem, scilicet animarũ quę nobis in fide collata est, etiã ista carne in qua nunc viuimus resurgamus nunquã denuò morituri. Nec ob aliud Deus verus & vita æterna, mortem nostrã dignatus est accipere destruendam, nisi vt nobis in eius resurrectione credentibus vitã suam donaret sine fine mansurã. *Dominus* quoque *gloriæ* ideo contumeliã sustinuit Crucis, vt gloriam suam donaret fidelibus suis, sicut ipse testatus est *Ioan.* 17. 22. dicens: *Et ego claritatẽ, quam dedisti mihi, dedi illis. Verbũ* igitur *caro factum*, vnus & plenus est Christus. *Carnis* autem nomine, totus hic accipiendus est homo, idem anima rationalis & caro. Christus enim Dei filius sicut veram sine peccato accepit carnem nostram, sic veram sine peccato accepit animam suam. Et carnem quidem nostram cum conditione humanæ mortalitatis induit, animam quoque nostrã cum infirmitatibus sine macula humanæ infirmitatis accepit, vt diuinitas Christi per suam virtutem in anima sua infirmitates nostras portans, sine peccato iustitiam custodiret, & per eam etiam ab ipsa carne sua mortalitatis supplicium, dono resurrectionis auferret. Ideo *Christus surgens à* *Rom.* 6. 9. *mortuis, iam non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur.*

Nomine carnis totus homo intelligitur.

Quòd secundùm Scripturæ consuetudinem, nomine carnis aut animæ, sæpe totus homo intelligatur.

CAPVT IX.

QVia verò familiare est diuinis eloquijs vocabulo *carnis* simul in homine carnem atque animam nuncupare, sicut scriptum est: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et videbit omnis caro salutare Dei.* Et, *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: Et nisi breuiati fuissent dies illi non salua fieret omnis caro.* Ex hac vtique consuetudine, sic in Scripturis sanctis totus homo *carnis* appellatione dicitur, sicut ibidem rursus homo totus solius *animæ* nuncupatione monstratur. Abraham namque Patriarcha *de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui,* præcepto atque auxilio Dei vocantis *egrediens,* (neque enim ille quod Deus iubebat, vllatenus implere posset, nisi eum ille qui præceperat adiuuisset) cùm secum homines quos habuit duceret exiturus, *animas quas acquisierat* * *in carra* secum *tulisse* narratur. Iacob quoque in Ægyptum descendente *septuaginta quinque animas* in eius comitatu fuisse sancta Scriptura commemorat. Beatus etiam Petrus *octo animas* dicit diluuij tempore per aquam fuisse saluatas. In actibus quoque Apostolorum, cùm fuissent Iudæi repentina mirandaque eiusdem beati Petri prædicatione compuncti, & *immutatione dextera excelsi* ad fidem fuissent ex infidelitate conuersi, scriptum est: *quia applicatæ sunt in illa die, animæ circiter tria millia.* His itaque testimonijs agnoscimus, & *carnis* solius & *animæ* nomine, plerumque naturæ humanæ plenitudinem nuncupari. *Verbum* ergo *caro factum*, vnus & plenus est Christus, vnus ex vtraque atque in vtraque, id est, in humana diuinaque natura, in quo sic vtriusque naturæ prorsus vnitio glorioſa persistit, vt siue diuinitati Christi humanitatem quis demat, siue humanitati diuinitatem detrahat. Christum sacrilegâ infidelitate, & blasphemâ prædicatione dissoluat. Ioannes autem Apostolus, plenus veritate testatur, quia *omnis spiritus qui soluit* IESVM, *ex Deo non est: & hic est Antichristus.*

* *Alias in haram.*

Ioel. 2. 28. *Luc.* 3. 6. *Ioan.* 17. 2. *Mat.* 24. 22. *Gen.* 12. 1. *Ibid.* 5. *Act.* 7. 14. 1. *Pet.* 3. 20. *Act.* 2. 41. 1. *Ioan.* 4. 3.

CAP.

Quòd verbum priusquam caro fieret non erat Christus.

CAPVT X.

ILlud verò quis facilè Christianus aut ignoret aut dubitet, quòd *Verbum Deus* priusquam caro fieret, non fuit Christus, sed tantùm Deus? Tunc autem idem *Deus verbum* quod semper *in forma Dei* erat Christus esse cœpit, cùm
Philip. 2.7. Deus *semet ipsum exinanens formam serui* absque diminutione plenitudinis naturalis *accepit*. Deus ergo factus est Christus, vt Christus esset Deus homoque perfectus: quia *verbum* dignatum est *caro fieri*, vt caro posset verbi, hoc est Dei nomine nuncupari. Neque enim caro Christi priusquam verbo susciperetur eadem caro, Christus fuit. Neque ipsa caro, id est, ipse homo in se *formam Dei* viuentis accepit. Sed Deus *qui in forma Dei erat, formam serui accepit*. Et Deus
Philip. 2.6. & 7. æqualis patri *in similitudine hominum factus, habitu est inuentus vt homo*, & qui *diues fuit, propter nos pauper factus est, vt illius*
2. *Cor.* 8.9. *paupertate nos ditaremur. Verbum* itaque *caro factum* vnus est Christus. Sed verbum illud sine carne Deus æternus fuit, caro autem Christi sine verbo non solùm Christus aliquando non fuit, sed nec personaliter concepta fuit. *Verbum* ergo quod *caro factum est*, antequam caro fieret, mansit æternum, caro autem verbi in ipsum Deum verbum, personale sumpsit initium. Sed quia *Verbum caro factum* vnus Christus est Dei & hominis filius, nec alter est verbum, alter est caro, sed idem vnus, *Verbum caro*: propterea idem vnus est, qui initium non habet æternus Deus generatus ex patre, & qui initium habet temporaliter secundum carnem, idem Deus homo creatus ex virgine. Vnus *vnigenitus Dei filius* ex æternitate diuinitatis, & ex initio carnis. Ex æternitate scilicet diuinitatis, *Creator visibilium inuisibiliumq;* rerum: ex initio autem carnis *saluum faciens populum suum à peccatis eorum*. Ex æternitate diuinitatis idem coeternus patri, de quo natus est semper viuus: Ex initio autem carnis idem posterior matre, de qua temporaliter natus est in tempore moriturus. Testatur enim Apostolus quia *Christus secundùm tempus pro impijs mortuus est*. Igitur
Rom. 5.6. non Trinitas, id est, non simul Pater, & Filius, & Spiritus

Christus vt Deus est sine initio: at secundum carnem habet initium.

Matt. 1.21.

ſanctus, nec ſolus Pater, aut ſolus Spiritus ſanctus, id eſt, non ille qui filium genuit, nec ille qui de Patre procedit, ſed ſolus Filius, id eſt, ille quem in vnitate naturæ Pater coæternum ſibi Filium & coæqualem genuit, id eſt, vna ex Trinitate perſona Chriſtus Dei filius vnicus, vt nos ſaluos faceret, carne conceptus & natus eſt de ventre Virginis Matris. Qui verus & ſummus Deus eſt ex vtero Dei patris, nõ Trinitas, ſed *Vnigenitus* à Patre Chriſtus *Dei filius*, carne paruulus fuit, & carne creuit. Quem perfectus atque vniuerſus pater per vnitatem diuinitatis, æqualem ſuæ perfectioni atque vniuerſitati cognoſcit. Non Trinitas, ſed *via, veritas, & vita*, Chriſtus Dei filius per curricula temporum ab infantia vſque ad perfectam iuuentutem, humanas ætates carne miſericorditer tranſcurrit, qui permanens in vnitate paternæ naturæ ſempiternus, ſecula mirabiliter fecit, & incommutabilis, temporum mutabilitates inſtituit. Non Trinitas, ſed *ſplendor paternæ gloriæ* Chriſtus, eſt pro nobis paſſus carne, qui de Patre Deo ſolus natus eſt impaſſibilis Deus. Ipſum vtique quod dubitandum non eſt, Chriſtum filium Dei pro nobis mortem carne guſtaſſe, ſalua immortalitate diuinitatis eius veraciter credimus, quem *Verum Dei patris filium, verumque Deum, & vitam æternam* prædicatione veridica ſancti Apoſtoli Ioannis audimus. Nõ Trinitas, ſed *Verbum caro factum*, Chriſtus Dei filius, eadem carne qua crucifigi & mori dignatus eſt, reſurrexit, qui de ſepulchro eandem carnem ſuam, vita permanens, ſuſcitauit. *Chriſtus qui eſt ſuper omnia Deus* videntibus eum Diſcipulis, carne in cœlum, carne de cœlo venturus, aſcendit: qui nec deſeruit cœlum cùm in terra carnem accepit, & carne conſcendens in cœlum, ſuos in terra diuinitate non deſerit. Hoc enim promiſit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi:* Deus ergo ille *qui in forma Dei* ſecundùm beati Ieremiæ vaticinium *magnus eſt & non habet finem, excelſus & vniuerſus*, de quo etiam paulò pòſt idem Propheta dicit: *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum: adinuenit omnẽ viam diſciplinæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo.* Ipſe ſecundùm *formam ſerui*, in qua *minoratus eſt paulò minus ab Angelis. Poſt hæc* (ſicut idem Propheta dicit:) *In terris viſus eſt & cum hominibus conuerſatus.* Ipſum hominem mortalem atque mutabilẽ infideles viderunt, quem Deum paturaliter

Ioan. 14.6.

1. *Ioan.* 5. 20.

Rom. 9. 5.

Matt. 28. 20.

Baruch. 3. 25.

Ibid. 37.

Heb. 2. 9.

Baruch. 3. 38.

Matt. 5. 8. naturaliter immortalem atque incommutabilem, illi *mundo corde visuri sunt*, qui nunc in eum veraciter credunt. Fides enim vera nunc corda hominum mundat, quæ corda capacia videndo Deo gloriam futuræ resurrectionis exhibeat.

Quòd vera fides vnum eundemque Christum, verum Deum & verum hominem credat.

CAPVT XI.

QVæ est autem vera fides nisi vnum eundemque Christum verum Deum verumque hominem sine aliqua hæsitatione credere, vnum eundemque de Patre Deo secundùm diuinitatem, & de Virgine MARIA secundùm carnem Deum genitum prædicare. Apostolica quippe testatur
Rom. 9. 5. authoritas: quia vnus idemque est *Christus ex Patribus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Vnus
2. Cor. 13. 4. idemque *crucifixus ex infirmitate, sed viuens ex virtute Dei*. Vnus idemque est faciens in hominibus virtutes, & sustinens pro hominibus passiones. Quia cùm miracula secundum diuinitatem faceret Christus Dei filius, in eodem Deo fuit passibilis humanitas sua, & cùm pateretur *secundùm carnem* idem *Christus Dei filius*, in eodem homine fuit impassibilis diuinitas sua. Quia igitur in Christo Dei vnigenito filio, personam non diuidunt propria naturarum, neque vnitas personæ potest vtriusque naturæ propria confundere vel
Ioan. 14. 6. auferre, quia ille qui se *esse veritatẽ* naturaliter dicit, vtrumque in se vno, manente naturali veritate seruauit: Propterea neque in passionibus ab illa humanitate Christi diuinitatem suam impassibilem seiungimus, neque ab illa diuinitate humanitatem suam vllatenus separandam in virtutibus æstimamus. Neque ergo diuidimus neque con-
Matt. 16. 16. & 17. fundimus in virtutibus & passionibus Christum, quem *filium Dei viui* reuelante patre beatus Petrus confessus est,
Ibid. 13. cùm se tamen *filium hominis* veraciter Christus ipse dixisset. Ideo verum Christum in passionibus atque virtutibus, nec confundit fides vera nec diuidit, quia personalis vnitas in eo diuisionem non recipit, & vtriusque naturæ veritas inconfusa persistit. *Traditus est* enim Deus *Christus pro-*

pter delicta nostra, quia verus homo est, *& resurrexit* idem homo *Christus propter iustificationem nostram*, quia Deus verus est. Nisi enim idem homo verus esset, tradi moriq́ue non posset. Et idem verus homo si verus Deus non esset, resuscitare semetipsum solutis inferni doloribus nequiuisset. Sed quia non est alter Deus, alter homo, sed idem vnus est Christus Deus & homo, profectò idem Deus Christus est, qui mortem sua carne suscepit, & idem homo Christus est, *qui mortem* sua diuinitate *destruxit*. Idem quippe Christus Dei filius qui diuinitate mori non potuit, carne mortuus est, quam mortalem Deus immortalis accepit. Et idem Christus Dei filius carne mortuus *resurrexit*, quia immortalitatem suæ diuinitatis carne mortuus non amisit. Hinc est quòd etiam post resurrexionem suam sicut in cicatricibus veris, & in vera comestione pisces & mellis soliditatem in se veræ carnis edocuit, ita *clausis foribus* ingrediens, veram in se virtutem sempiternæ diuinitatis ostendit, vt agnosceretur, & naturalis fuisse Christi morientis infirmitas, & eidem resurgenti naturalis inesse maiestas. Inde Thomas dum iniectâ manu iubetur in latere mortui ac resurgentis Christi veritatem vulneris experiri, veram in illis cicatricibus patientis ac resurgentis virtutem diuinitatis agnoscens, in quo iubetur vt *clauorum loca* digitis tangat, ipsum *Dominum ac Deum* suum fideli confessione pronunciat, dicens: *Dominus meus & Deus meus.* Agnouit enim non alterum per naturalem diuinitatis suæ virtutem resurrexisse carne sua, nisi eum qui de natura Dei Patris *Deus verus* est & *vita æterna*. Huius fidei nobis intimans veritatem, ipse humani generis conditor, & redemptor, opifex, nostræ particeps & naturæ, postquam veram in se carnem cicatricibus veris, veramq́ue diuinitatem virtute resurrectionis ostendit, vt vnum eundemq́ue se Deum & hominem credendum prædicandumq́ue monstraret, simul in se diuinam humanamq́ue naturam vnius *Filij* nomine nuncupauit, dicens Apostolis: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Doctor igitur & largitor æternæ salutis, hanc ideo formam sancti baptismatis dedit, ne quis in eodem Dei filio naturas diuidens, mortifero illaquearetur errore, si aut humanam filij Dei naturam ab opere redemptionis humanæ alienam in

Rom 4.25.

2. *Tim.* 1. 10.

Ioan. 20. 20.

Luc. 24. 43.

Ioan. 20. 19. *& 26.*

Ibid. 27.

Ibid. 28.

Matt. 28. 19.

Sacra-

Sacramento baptiſmatis crederet, aut duas in Chriſto confitendo perſonas, non iam verax Trinitatis cultor, ſed nepharius eſſet quaternitatis aſſertor, ac per hoc cum Patre & Spiritu ſancto non Filium, ſed filios coleret, quiſquis in Chriſto vnius perſonæ repudiandam fidem aliquatenus æſtimaret. Cùm idem ſit vnus Filius in Trinitate cum Patre & cum Spiritu ſancto Chriſtus IESVS qui mundum creauit, & pro nobis Sanguinem fudit. Propterea omnis qui *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti* Sacramento ſanctæ *regenerationis* abluitur, non niſi *in Chriſti morte* ac nomine *baptizatur*, vt euidenter appareat *illi nos conſepultos eſſe, per baptiſmum in morte, in cuius vno cum Patris & Spiritus ſancti* conſtat *nomine baptizatos*. Quod duorum magnorum luminarium, Petri ſcilicet Paulique verbis, tanquam ſplendentibus radijs illuſtrata eorumque decorata corporibus Romana (quæ mundi cacumen eſt) tenet & docet Eccleſia, totuſque cum ea Chriſtianus orbis, & ad iuſtitiam nihil hæſitans credit, & ad ſalutem non dubitat confiteri. Nam beati Petri Iudæis filium Dei prædicantis hæc verba ſunt: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine* IESV *Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Beatus quoque Paulus vt in morte nos Chriſti baptizatos firmiſſimè crederemus, in ea quam Romanis ſcribit epiſtola, hoc ſalutis noſtræ myſterium, tanquam in eminentiſſima cunctis videndum ſpecula, collocauit dicens: *Quicunque in Chriſto baptizati ſumus in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in morte*. Quiſquis igitur duas aſſerere nititur in Chriſto perſonas, & tamen ſecundùm regulam ore atque imperio Domini conſtitutam, in vno ſe *Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizatum nomine* confitetur, aut euidentiſſima blaſphemia ſe *in morte Chriſti baptizatum* neget, vt inimicus Apoſtolicæ prædicationis appareat, aut cultorem ſe non Trinitatis, ſed quaternitatis agnoſcat. Si verò vtriuſq; metuit impietatis abruptum, rectam Catholicę fidei teneat toto corde ſententiam, nec ſe dubitet *in Chriſti baptizatum morte*, in cuius baptizatus eſt nomine. Vnum quoque *Patris, & Filij, & Spiritus ſancti* naturale *nomen* agnoſcens, ſeque in illius morte ac nomine baptizatũ eſſe conſiderans, de cuius latere Sacramentum fontis & calicis manauit: Pendentis in Cruce, illum pro nobis *crucifixum* agnoſcat, quem *Dei virtutẽ*

Rom. 6. 3. & 4.

Romana Eccleſia mundi cacumen.

Act. 2. 38

Rom. 6. 3. & 4.

Ioan. 19. 34.

Deiq;

Deiq; ſapientiam Paulus & credit & prædicat, dicens: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Hoc *eſt magnum pietatis Sacramentum*, quo ſcilicet Vnigenitus Deus verus, homo verus dignatus eſt fieri, & æternus temporaliter naſci, & impaſſibilis pati, & incomprehenſibilis crucifigi, & immortalis mori, & immenſus non ſolùm præſepis cùm naſceretur, verum etiam ſepulchri cùm moreretur paruitate concludi. Quæ omnia ſecundùm veritatem carnis vera ſunt in Dei filio, quia manente in eo inconfuſibiliter atque inſeparabiliter humana diuinaque natura, vna eſt filij Dei IESV Chriſti in vtriuſque naturæ veritate perſona. 1. Cor. 1. 23. & 24.

Quòd per Chriſtum non ſolùm deletur iniquitas, ſed etiam cogitationis ſanctæ recipitur facultas, quam Deus primo homini in ſua creatione contulerat.

CAPVT XII.

SIc humano generi gratuitam gratiam diuina bonitas contulit, per quam in hominibus non ſolum propaginis obligatione contracta & vitio propriæ voluntatis adiecta deleretur omnis iniquitas, quin etiam cogitationis ſanctæ amiſſa pridem in *homine primo* per *hominem ſecundum* reciperetur facultas, ac ſi homine Deo carne pro hominibus mortuo ac reſurgente, *captiuaretur*, quæ *in noſtro corpore regnante peccato*, conſueuerat dominari *captiuitas*, & *vbi abundauit peccatum* delinquentis hominis, *ſuperabundaret gratia* redemptoris, atque ita hominis arbitrium quod ſub ditione peccati malè liberum fuit, veræ ſalubriſque libertatis reciperet denuo ſtatum præuenientis gratiæ munere liberatum, de qua gratia Dei, non qua homines naſcimur, ſed cuius opere per fidem *mediatoris* vinculis peccati originalis atque actualis abſoluimur, quantum poſſumus epiſtolari breuitate, vt etiam in hac quæſtione interrogationi, vel potiùs profeſſioni veſtræ reſponſio non deſit, ipſius gratiæ fulti iuuamine diſſeremus. Quiſquis igitur Chriſtianæ religionis non vult inaniter imò damnabiliter portare vocabulum, credat firmiſſimè Deum noſtrum, id eſt, ſanctam Trinitatem, quæ vnus ſummus & verus eſt Deus, primo homini Rom. 5. 20.

quem

quem ad ſuam imaginem gratuitâ bonitate bonũ fecit, cui *Statim ho-*
facultatem quoque ſuæ cognitionis ac dilectionis inſeruit, *minis inue-*
non ſolùm bonæ voluntatis donum, quin etiã ad habendã *nit.*
cuſtodiendamque iuſtitiã integrum ſanumque creaſſe libertatis arbitrium, vt facultas atque motus inditæ libertatis, ſi iuuantem ſe gratiam Dei non deſereret, premiũ vitæ æternæ tribueret Dei bonitas homini, ſi autem iuſtitiam diuinã cõtemnens, à gratia excidiſſet, ſupplicia retribueret iuſtitia peccatori. Proinde à bono iuſtoq; creatore illi homini quẽ in corpore animali conditum, ditauit intelligentiæ ac iuſtitiæ dono, iuſta eſt vtrimque ſtatuta conditio, vt ſcilicet ſi obedientiam quæ prima virtus eſt cuſtodiret, ex animali in qua creatus erat corporis qualitate, ad ſpiritualem immortalemque ſtatum ſine corporis morte (quia ſine animæ iniquitate) tranſiret, accepiſſetque diuino munere ſi præcepta ſeruaſſet nõ ſolum perfectam atque inamiſſibilem corporis immortalitatem, verum etiam in anima talem gratiam ſanctè iuſteq; viuendi, vt peccare deinceps omnino nõ poſſet, 1. Cor. 15. 47. ſi non peccaret donec peccare potuiſſet. Creatus ergo *primus homo de terra terrenus*, accepit quidem gratiam qua non poſſet peccare ſi peccare nollet, nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec poſſet, vt ſcilicet à bono iuſtoque Domino, pòſt eſſet illud munere largiendum, ſi voluntariè fuiſſet hoc à ſeruo ptiùs in opere cuſtoditum. Quod ſi bono iuſtoq; neglexiſſet obedire mandato, poſt mortẽ animæ quam delinquendo ipſe ſibi noxius intuliſſet, etiam per corporis mortem vitæ præſentis mutaretur incõmodo, nec tenere ſineretur iugiter in *carne peccati* damnabilem vitam, qui noluiſſet in corde ſeruare iuſtitiam, eſſetque pœnaliter etiam *corpore mortis* deinceps neceſſitate conſtrictus, qui contumaciter ſalubria iuſſa tranſgrediens, ſpirituali morte ſponte fuiſſet obnoxius. Niſi enim præceſſiſſet in peccato mors animæ, nunquam corporis mors in ſupplicio ſequeretur. Hoc Apoſtolica docet authoritas, quę Rom. 8. 10. ait: *Corpus quidem mortuum propter peccatum*. Ideo poſt peccatum voluntariâ præuaricatione commiſſum, ſententiam Dei punientis hoc audire meruit ſermone peccator: *terra es* Gen. 3. 19. *& in terram ibis*. Homo igitur *in terram* carne non iret, ſi terra peccando non fieret.

Quòd homo per peccatum facultatem bonæ cognitionis perdidit, & bonæ voluntatis.

CAPVT XIII.

PEccans itaque ille quòd sine peccãdi necessitate creatus est, in eo qui animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi quæ ad Deum pertinent amisit, protinus facultatem. *Oblitus est enim manducare panem suum*, & expoliatus vestimento fidei, carnaliumque concupiscentiarũ vulneribus sauciatus, sic iacuit oppressus ditione peccati, vt nullatenus aliquod bonæ voluntatis initiũ habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset. *Seruus* quippe *factus peccati, liber factus iustitiæ.* Et ideo à iustitia factus est alienus, qui sponte dominio est iniquitatis addictus. *Vanundatus* ergo *sub peccato* cunctam in se prolem de carnis concubitu nascituram, nexibus mortiferæ seruitutis obstrinxit. Quod beatus Paulus euidenter his verbis insinuat. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertransyt, in quo omnes peccauerunt.* Hoc in illo qui primus fictus est, patre orbis terrarum vniuersi pertulimus *in quo omnes peccauerunt* antequam nati essent, qui per seipsos peccare non potuerunt. Hinc factum est vt iam *filios iræ* propagaret massa damnata, quæ in illius hominis posteros & iniquitatem simul transfudit & mortem, vt omnis qui per *legem peccati*, (quam certum est mortalibus vsque ad mortem inesse corporibus) de peccatoris semine nasciturus, in ipso conceptionis exordio excepisset peccati parentalis maculam, exinde sub *iugo graui* quod *est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium*, ducturus esset ærumnosam infeliciter vitam, breuitati scilicet, peccato, mortique subiectam. Scriptum est enim: *Homo natus de muliere breuis vitæ, & plenus iræ.* Quæ ad secundam quoque mortem natum mortaliter traheret, siquem alienum à gratia Dei redemptoris vitæ huius miserabilis obitus inueniret. Vt ergo peccati originalis vinculo quo per hominem primum tenebamur obstricti, miserantis Dei gratia solueremur, *vnus* extitit *mediator Dei & hominum homo Christus* IESVS. Nam quia Deus

Initium bonæ voluntatis non nisi à Deo est.

Propagatio peccati.

Psal. 101. 5.

Rom. 6. 20.

Rom. 7. 14.

Rom. 5. 12.

Eccle. 40.

Iob 14. 1.

1. *Tim.* 1. 5.

Deus immortalis & iustus est, nos autem iniquos & mortales primi hominis transgressio fecerat, vt congrua nostris adhiberetur medela vulneribus, natus est de homine homo vnigenitus Deus, qui de patre natus est immortalis & iustus. Hic in humana natura in qua *mediator Dei & hominum* factus est, iustitiam habuit ex patre, mortem ex matre, vt per ipsum liberaremur ab omni peccato, qui peccatum nec nascendo, nec viuendo contraxit, & ab ipso acciperemus iustitiam per quam mortis æternæ vinculo solueremur, vt per eum & in hac vita iusti, & post hanc vitam immortales esse possemus. Ipse igitur *in similitudine carnis peccati* mirabiliter quia singulariter natus, solus est *masculus adaperiens vuluam*, qui in veritate *sanctus Domino vocaretur.* Vuluam quippe matris eius non concupiscentia mariti cõcumbentis, sed omnipotentia filij nascentis aperuit. Ideo solus est, *in quo Princeps mundi huius veniens nihil inuenit*, solus *homo sine adiutorio inter mortuos liber*, solus *qui non nouerat peccatum*, & ob hoc sufficit, vt *pro nobis peccatum fieret*, id est, sacrificium pro peccatis, *vt nos essemus iustitia Dei in ipso.* Solus *panis qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, panis* autem *quem dat, caro eius pro mundi vita. Caro* vtique iusti atque immortalis Dei, cuius acceptione iustitia confertur illi carni, quæ nascatur cum pœna mortis & pollutione peccati.

Luc. 2. 23.
Exod. 13. 2.
Ioan. 14. 30.
Psal. 87. 5. & 6.
2. *Cor.* 5. 21.
Ioan. 6. 33. & 52.

Quòd ex peccato primi hominis non tantùm pœnam, sed etiam trahamus culpam.

CAPVT XIV.

SIqui ergo mortem solam vt non etiam peccatum ex homine primo transijsse in genus humanum nituntur asserere, mirum si non intelligunt quibus sententiæ suæ laqueis obligentur. Primò, quia Deum dicunt iniustum, in eo quòd mori facit paruulos, quos nulla volunt isti originalis peccati contagione pollutos, quosque manifestè constat infantili ætate aliquid actualis peccati, propria non posse voluntate contrahere, cùm *mortem stipendium* Apostolus esse *peccati* diffiniat: & rursum, *aculeum mortis* dicat *esse peccatum*, quo vtique pungente mors illigata est homini.

Rom. 6. 23.
1. *Cor.* 15. 56.

Sic enim *peccatum aculeus mortis* dicitur, non quia peccatum per mortem, sed quia *per peccatum mors in mundum intrauit,* sicut virulentum poculum mortis poculum dicimus; non quia à morte poculum detur, sed quòd mors, poculo illi comparetur. Qua igitur iustitia paruulus subijcitur, *peccati stipendio*, si nulla est in eo peccati pollutio? Vel quomodo videmus morte punctum, si non sensit *aculeum*? Et cùm *non sit iniquitas apud Deum*, qui *fecit hominem ad imaginem suam*, quæ iustitia est, vt *imago Dei* quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine filij Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Quò vtique quisquis non ingreditur, interminabilibus ignis æterni cruciabitur pœnis. Qua igitur iustitia Deus iustus infantibus sine peccato nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœnæ non inuenit causam? Hæc ne est creatoris Dei benignitas, vt imaginẽ suam creet, eamque sine vlla iniquitate condemnet, cùm *non sit iniquus Deus, qui infert iram?* Si ergo nolunt, in ipsius Dei contumeliam mortifera impietate versari, fateantur hominem primum in omnes homines cum morte transmississe peccatum.

Rom. 5. 12.

Rom. 9. 14. Gen. 1. 27.

Rom. 3. 5.

Rom. 5. 12.

Qui non intrat regnum Dei non ingreditur, pœnis æternis cruciatur.

Quæ absurda sequantur eos qui negant, infantes habere peccatum.

CAPVT XV.

ALiam rursus impietatem debent in hac sua videre ac vitare sententiam. Dicentes enim *paruulos ex Adam non trahere originale peccatum*, negant eos profectò habere *carnem peccati*, quos tamen humanam carnem habere non negant. Ex eo verò quòd eos sic humanam carnem habere non negant, vt eam esse *carnem peccati* negent, consequens est vt humanam carnem negent *carnem* esse *peccati*. Fatentur Apostolum compellentem quia *Deus misit filium suum in similitudine carnis peccati*. Ad hoc igitur istos cæcitas impiæ professionis impellit, vt qui carnem humanam negant *carnem* esse *peccati*, Christum autem *in similitudinem carnis peccati* venisse non negant, ipsam Christi carnem non humanam esse, sed alterius naturæ sacrilegâ infidelitate confingant. Isti enim carnem in qua paruuli nascuntur humanam dicunt esse carnem,

Rom. 8. 3.

Caro hominis est caro peccati etiã in paruulo.

nem, quam tamen esse *carnem peccati* negare contendunt, Christum autem *in similitudine carnis peccati* venisse pariter nobiscum professione cõsentiunt. Aut igitur carnem Christi humanam esse non dicant, aut omnium hominum carnem *in cuius similitudinem Deus filium suum misit*, *carnem peccati* esse consentiant. Quod cùm consenserint nullus remanebit labor quo eis peccatum carni paruulorũ inesse monstretur. Si enim *caro peccati* non mendaciter dicitur, habet in se caro ipsa peccatum. Si verò peccatum non habet, falsum portat *carnis peccati* vocabulum. Sed eam de qua loquimur, *carnem peccati* verax discipulus veritatis Paulus appellat, restat igitur vt sicut verè caro est cùm caro dicitur, ita verè in se peccatum habeat cùm *caro peccati* ore Apostolico nuncupatur. Sed forsitan dicent *in* illius *carnis peccati similitudine missum filium Dei*, qualem habent homines, qui propria voluntate peccare iam possunt, vnde caro eorum *caro peccati* non immeritò nuncupatur, non in quali carne paruuli sine aliqua peccandi voluntate nascuntur. Vbi non attendunt, quia si caro paruulorum à carne maiorum diuersa qualitate fuisset, non nisi *in similitudine carnis* paruulorum, (quos nullum originaliter dicunt habere peccatum) Deus aduenisset. Magis enim similis esset caro Christi carni paruulorum cum qua veritatem haberet substantiæ qualitatisque communem, quàm carni hominum maiorum, cum quibus illi communis esset sola carnis natura non macula. Sed hoc illi forsitan volunt, vt caro Christi cum carne hominum maiorum solam habuerit naturæ similitudinem, cum carne verò paruulorum, munditiam quoque potuerit habere communem. Fateantur ergo paruulos *in similitudine carnis peccati* quos asserunt nasci quidem in carne humana, sed originalis peccati negant contagione pollutos. Quibus ostendendum est quanta eos etiam hic sequatur absurditas. Negantes enim in paruulis nascentibus originale peccatũ, humanam eos carnem habere non negant, filium autem Dei carnem humanam de Virgine sine peccato accepisse concedunt consequens igitur est vt inter carnem nascentis ex virgine vnigeniti Dei, & cuiuslibet alterius paruuli nihil distare fateantur. Vnde conficitur, vt omnes paruulos quos nasci asserunt sine peccato, dicant non egere Saluatoris auxilio, atque ita la-

queum Pelagiani erroris incurrunt, dum fidei Catholicæ infideliter cõtradicunt. Si enim ſine peccato infantes naſci aſſerunt, quid reſtat, niſi vt dicant nihil eſſe in ſeis, quod debeat ſpirituali regeneratione mundari. Et ſi remouent peccati originalis maculam à naſcentibus paruulis, quid aliud nituntur niſi diuinæ veritati ſuccenſere mendacium, quando eos in remiſſionem peccatorum vident baptiſmatis accipere Sacramentum. Quod ideo vniformiter infantibus maioribuſque confertur, vt omnibus originalis ineſſe peccati macula cognoſcatur. Quiſquis igitur ſalutem veram ſempiternamque deſiderat adipiſci, ſenſum hæreticæ prauitatis abijciens, quos cũ pœna peccati natos videt, cum peccato quoque natos non dubitet, audiatque beatum Iob dicentem: *Quia non eſt mundus à ſorde, nec infans cuius vnius diei vita eſt ſuper terram:* beati quoque Dauid fluctus pij cordis humilitate conſideret dicentis: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.* Sancto quoque Abrahæ videat circunciſionis Sacramentũ, non ſine tremenda paruuli comminatione mandatum. Ibi quippe Deus fidelis & & iuſtus *qui non infert iram*, vbi culpam non inuenit, Patri noſtro Abrahæ ſic loquitur. *Maſculus qui non fuerit circumciſus carnem præputij ſui octauo die, exterminabitur anima illa de populo ſuo, quia teſtamentum meum tranſgreſſus eſt.* Quiſquis itaque negat in paruulis ſecundum carnem naſcentibus originale peccatum, dicat in quo potuit infans 8. dierum *teſtamentum Dei tranſgredi*, ſi non in illo *tranſgreſſus eſt, in quo omnes peccauerunt*, cum & antequam naſcerentur aſſerat Apoſt. Infantes *nihil egiſſe boni vel mali*, & videamus iam natos non ſolum intra octauum diem natiuitatis ſuæ, quo tunc tempore circumcidi iubebantur infantes, ſed etiam poſt ipſum diem toto infantiæ ſuæ tempore in tantum non poſſe *teſtamentum Dei tranſgredi*, vt eis nec eiuſdẽ teſtamenti cognitio valeat intimari. An illo quiſquam beati Pauli ſermone in paruulis euacuare nititur originale peccatũ, quo dicit *Regnaſſe mortem ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem prauaricationis Adæ?* Cui ſi fuerit illud è contrario replicatum, quod idem Apoſtolus ait: *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem*, quod paulò pòſt exponens ait: *Per inobedientiã vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Et cùm de Iudęis atque Gręcis loqueretur generaliter

Paruuli non baptizarentur veraciter ſi non haberent peccatum originale.

Obiectio.

Iob 14.4. iuxta 70.

Pſal. 50.7.

Geneſ. 17. 14.

Rom. 5. 12.

Rom. 9. 11.

Rom. 5. 14.

Ibid. 18.

Ibid. 19.

Rom. 3. 23. & 24. generaliter intulit, *Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionē quæ est in Christo* IESV *Domino nostro.* Nónne illicò in magnas trudetur angustias, si non vtrumque sensum secundum professionē Catholicæ credulitatis acceperit, vt scilicet infantes proprijs quidē operibus nihil deliquisse dicat, in illo autem primo homine omnes homines generaliter peccasse cognoscat. *Solutio.*

Quòd à peccato originis non liberet nisi fides Redemptoris.

CAPVT XVI.

Luc 19. 10. Rom. 5, 6. AB hoc peccato quod originaliter carnalis natiuitas trahit, neminem facultas naturalis, neminē litera sanctæ legis, sed sola fides eripit IESV Christi filij Dei, qui *venit quærere & saluum facere quod perierat. Pro impijs mortuus est offerens semetipsum pro nobis* sicut Apostolus dicit: *Oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* In hoc *mediatore Dei & hominum*, & humanæ naturæ status reparatus est, & implendæ legis est cōsummatus effectus. Quia nec sibi ad virtutem sufficere vllatenus potuit naturalis infirmitas, quæ vtique ex quo *omnes dies defecerunt, & in ira Dei defecimus,* lumine simul & virtute priuata, in tantum natura cœca *sine lege peccat*, vt peccare se nesciat. Propter quod dicitur: *concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Legalis quoque auditus non solùm neminem *de potestate tenebrarum eripuit*, quin etiam peccatoribus cumulum præuaricationis adiecit. Sine gratia quippe fidei grauiùs lex agnita quàm ignota condemnat. Vbi quantùm ignorantia peccati minuitur, tantùm reatus peccatoris augetur. Ideo Apostolus ait: *Lex enim iram operatur, vbi enim non est lex nec præuaricatio.* Idem quoque dicit: *Quia lex propter transgressionem posita est.* Et *quia conclusit scriptura omnia sub peccato, vt iustificatio ex fide* IESV *Christi daretur credentibus.* Quomodo igitur de possibilitate solius liberi arbitrij (si non præueniatur adiutorio gratiæ Dei, per quam bona voluntas reparatur, & seruatur in homine natura tantò magis superba quantò magis dominio peccati mortique subiecta) quantulumcumque sibi bonæ voluntatis & operis exordium repromittit, quæ nec sana

Psal. 89. 9. *Natura cæca sine lege peccat.* *Rom. 7. 7. Exod. 20. 17.* *Rom. 4. 15. Gal. 3. 19. & 22.*

ſana potuit Dei ſeruare mandatum, nec vulneratâ quantulumcumque curationis ſumpſit de lege remedium, ſed inſuper auxit peccatum cognitione mandati. *Lex enim ſubintrauit, vt abundaret peccatum*, de quo liberari nemo poteſt, niſi per *Agnum Dei qui tollit peccata mundi*. *De corpore* enim *mortis huius* non liberum hominis arbitrium, neque legis ſanctum, iuſtum, bonumque mandatum. Sed ſola nos liberat *gratia Dei per* IESVM *Chriſtum Dominum noſtrum*. *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto* IESV *liberauit nos à lege peccati & mortis*. *Rom.5.20.* *Ioan.1.30.* *Rom.7.25.* *Rom.8.2.*

Quòd Chriſtus hominem liberet, non inueniendo fidem, ſed dando.

CAPVT XVII.

LIberauit autem non in quolibet homine fidem inueniendo, ſed dando. *Deus* enim *qui impium iuſtificat* ipſe infideli *fidem quæ per charitatem operatur*, gratiâ ſuæ bonæ voluntatis inſpirat. Vnde quod ad bene cogitandi attinet facultatem teſtatur Apoſtolus: *Quia non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo*. Re vera enim ſecundum eiuſdem Apoſtoli dictum, *Deus* quibus voluerit *dat pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, vt reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem*. Vnde ille Apoſtolorum primus, & dignè *beatus* veritatis eloquio nuncupatus, de credulitate gentium loquens: *Deum* dixit *fide mundaſſe corda eorum*. Rurſus ait: eandem gratiam diuinitus datam gentibus, quam & ipſis, vt crederent, vbi gratuitum gratiæ donum Apoſtoli & maiores natu in doctrina ſancti Spiritus agnouerunt, omneſque vnanimes, vno ore in beati Petri ſententiam tranſierunt, dicentes: *Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit*. Nempe cùm ipſe Saluator noſter propriæ vocis imperio humanam conuenit voluntatem dicens: *Pœnitemini & credite Euangelio*, claret tamen quia vt homo in Deum credere incipiat, à Deo accipit *pœnitentiã ad vitam*, ita vt omninò credere nõ poſſit, niſi *pœnitentiam* dono Dei miſerantis acceperit. Quę eſt autẽ pœnitentia hominis, niſi mutatio voluntatis? *Deus* ergo qui homini *pœnitentiam dat*, ipſe mutat hominis voluntatem. *Rom.4.5.* *Gal.5.6.* *2. Cor.3.5.* *2.Tim.2.* *25. & 26.* *Matt.16.* *17.* *Actor.15.* *9. & 11.* *Act.11.18.* *Mar.1.15.*

Proinde

Proinde si quis dicit meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adiuuare, mutet igitur dictorum ordinem, imò non mutet sed seruet, nec quod posterius est in priore loco, nec quod est prius in loco posteriori constituat. Malè enim gratiam Dei suæ voluntati postponit, cum ista bona esse non possit si illa defuerit. Non enim dicat meum esse velle credere, Dei autem gratiæ est adiuuare. Sed dicat, gratiæ dei est adiuuare vt sit meum velle credere. Tunc enim verè rectè que ait eius hoc velle, cùm eum gratia præueniens cœperit adiuuare. *Fides* enim *quæ per charitatem operatur*, humilem facit eum, cui datur, quia *charitas non inflatur*. Adiutorio igitur atque munere gratiæ sibi fidem dari vnusquisque non dubitet, nedum initium sibi fidei nititur assignare: *Pœnitentiam* quoque quam *Deus ad vitam dat*, sibi homo non sanitate validus, sed infirmitate ptæiudicatus assignet, tantique medicaminis beneficio careat, cuius gratiam contumax atque ingratus oppugnat, cùm cordis humilitas diuinis sit eloquijs admonenda, vbi principaliter ipsa bona voluntas, qua incipimus velle credere, à domino præparari demonstratur ac dirigi, Salomone dicente: *præparatur voluntas à domino*. Et Dauid canit in Psalmis. *A domino gressus hominis dirigentur, & viam eius cupiet nimis*.

Gratia est principium bonæ voluntatis.

1. Cor. 13 4.

Prou. 8. 35. iuxta 70. Psa. 36. 23.

CAPVT XVIII.

Quòd si velle credere ex nobis sit, tunc fides non est gratia, sed merces bonæ voluntatis.

SI verò secundùm opinionem illorum, nostrum est velle credere priusquàm nos Dei gratia incipiat adiuuare, iniustè gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati. Hanc enim (sicut illi volunt) gratia in nobis inuenit, quam ipsa non dedit, imò si sic est, nos priores deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis sed æquitate dei retribuentis accipimus. Verumtamen *quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Nemo vtique quia *non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit de cœlo. Quid enim habet quod non accepit: Si autem accepit quid gloriatur quasi non acceperit.* Non autem *misericordia Dei* aliquando *præuenit hominem*, si nunquam bonam facit, sed expectat vt inueniat voluntatem. Et vbi est quod Dauid dicit: *Deus*

Rom. 11. 38. Ioan. 3. 27. 1. Cor. 4.

meus misericordia eius præueniet, me. In quo autem *Dei nos misericordia præueniat*, vel præueniens quales inueniat, non in quolibet alio sed in se nobis *gentium magister* ostendit dicens: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumelios⁹, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Quomodò ergò aliquam credendi voluntatem ex seipso Paulus habere poterat, qui *blasphemum se, & persecutorem, & contumeliosum* cœcus atque incredulus ignorabat? Quod humili corde considerans, alio loco dicit: *Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Statimque fidem suam non propriæ voluntati sed gratiæ Dei miserantis assignans, dicit: *Gratia autem Dei sum id quod sum.* Quid autem iam fuit nisi fidelis? Quod vt esset, *misericordiam est* vtique *consecutus*, sicut ipse testatur dicens: *Consilium do tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis.* Nam & cùm *se prius blasphemum & persecutorem, & contumeliosum fuisse* fateretur, fidem suam & charitatem gratiæ designare non desistit, statim subiiciens: *Superabundauit autem gratia Dei in fide & dilectione quæ est in Christo Iesu domino nostro.* Si ergo fidem Paulo gratia Dei non dedit, nec charitatem ei dedisse credenda est. Ergo quod absit mentitus est Paulus, qui ait: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Sed quia Paulus Christo in se loquente mentiri non potuit, ipso spiritu nobis tribui fidem firmissimè fateamur, per quem, *charitatem Dei in nostris diffundi cordibus* negare nequimus. Cùm ergo Paulus *esset blasphemus, & persecutor, & contumeliosus*, non ideo est adiutus dei gratia, quia credere voluit, sed vt credere vellet, donum gratiæ præuenientis accepit, quæ in eius voluntate non aliquod credulitatis initium, sed blasphemiam, sæuitiam, contumelias, & ignorantiam *in incredulitate* reperit. Cuius vsqueadeò cæca fuit voluntas, vt non solum non posset credere, sed nec ipsum suæ credulitatis posset initium præuidere. Non enim *ignorans feciſſet*, si suam in se ignorantiam præuidisset. Dignè igitur in Paulo assignatur præuenientis misericordiæ dono, non solùm credulitatis initium, sed etiam ipsius incredulitatis agnitio. Quam ei propterea Dei misericordia contulit, vt incredulitatem suam illuminatus atque adiutus & agnosceret & vitaret. *Dominus* enim est *illuminatio nostra, & salus nostra*, quæ nos illuminat vt peccata nostra cognoscamus, & sanet,

Psal. 58. 11.
1. *Tim.* 1. 13.
1. *Cor.* 15 2.
Ibid. 10.
1. *Cor.* 7. 25.
1. *Tim.* 1. 13.
Ibid. 14.
Rom. 5. 5.
Psal. 26.

sanat, vt à peccatis nostris separati cum iustitia viuamus. Ob hoc ipse qui *vt fidelis esset* fatetur *se misericordiam consecutum*, salubriter nos instruit dicens: *Igitur non volentis neque currentis sed miserentis est Dei.* Quia re vera & vt velimus misericordiæ præuenientis illuminamur dono, & vt curramus, misericordiæ subsequentis fulcimur auxilio. Vt ergo sibi quisque tribuat bonam voluntatem, qua velle incipit credere, non viuentis animæ vigor, sed mortuæ carnis est tumor.

Rom. 9. 16.

CAPVT XIX.

Quòd liberum hominis arbitrium post peccatum, sine adiutorio gratiæ, non nisi ad seruiendum peccato reperitur idoneum.

EX quo enim primus homo naturam suam voluntarie vitiauit, atque oppressit infirmitas, nisi diuinæ gratiæ medicamento præuentum, in vnoquoque homine sanetur atque adiuuetur liberum indesinenter arbitrium, est quidem liberum non tamen bonum, est liberum non tamen rectum, est liberum non tamen sanum, est liberum non tamen iustũ. Et quanto magis à bonitate, rectitudine, sanitate, iustitiaque liberum, tanto magis malitiæ, peruersitatis, infirmitatis, atque iniquitatis, mortifera seruitute captiuum. *Qui enim facit peccatum, seruus est peccati, & à quo quis deuictus est huic & seruus addictus est.* Regnante igitur peccato habet liberum arbitrium, sed liberum sine Deo, non liberum sub Deo, id est liberum iustitia, non liberum sub gratia, & ob hoc pessimè atque seruiliter liberum, quia non gratuito miserentis Dei munere liberatum. Hoc Apostolus euidenter insinuat dicens: *Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Seruire igitur iustitiæ non potest, qui *iustitia liber est:* quia quamdiu *est peccati seruus*, non nisi ad seruiendum peccato reperitur idoneus. Ab ista seruitute peccati nemo liber efficitur, nisi qui liberatoris Christi gratia liberatur, vt scilicet *liberatus à peccato, seruus fiat Dei.* Hoc autem quemadmodum fiat, ipse liberator noster ostendit: *si vos*, inquiens, *filius liberauerit, verè liberi eritis.* Ideò *vas electionis* beneficium nobis gratiæ liberatricis insinuans, non solùm liberos sed etiam liberatos non esse testatur his verbis: *Nunc autem liberati à peccato, serui facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Hæc verò libertas

Iean. 8. 34. 2 Pet. 2. 19. Rom. 6. 20. Iean. 8. 36. Rom. 6.

Libertas à bona voluntate sumit initium.

quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione confertur, à bona voluntate sumit exordium, & per fructum sanctificationis, in vita æterna plenum sui fortitur effectum, sed sicut in natiuitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit operis diuini formatio, sic in spirituali natiuitate, qua *veterem hominem qui corrumpitur secundùm desideria erroris, deponere* incipimus, vt *nouum qui in iustitia & sanctitate veritatis creatus est induamus*, Nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio, nisi mens ipsa, id est *interior homo* noster *renouetur* ac reformetur ex Deo. Ideò nos beatus Paulus præcipit *non conformari huic sæculo, sed reformari in nouitate sensus vestri.* Cuius reformationis initium ne nostræ facultati assignare aliquatenus deberemus, dominus per prophetam seipsum formatorem lucis ostendit dicens: *Ego dominus formans lucem & creans tenebras.* Quod & beatus Apostolus sua prædicatione confirmat dicens, *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris.* Eidem luci quam iam formauerat Deus alio loco dicit: *Eratis enim aliquando tenebræ nunc autem lux in domino.* Quibusdam verò ex illa lucis formatione laudabili, ad vituperabilem tenebrarum informitatem relapsis, affectum piæ mentis ostendens, ita loquitur: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quomodo autem *Christus in suis formari* potest, nisi quomodo in eis *habitare* incipit, id est *per fidem.* Quod beatus Paulus ita confirmat: *In interiore,* inquiens, *homine habitare Christum per fidem in cordibus nostris.* Dum ergò reformamur, renouamur, & in eo quo renouamur, viuificamur.

Ephes. 4. 22. & 24.
Rom. 12. 2.
Esaiæ 45. 7.
2. Cor. 4. 6.
Ephes. 5. 8.
Gal. 4. 19
Ephes. 3. 17.

CAPVT XX.

Quòd vita sancta à fide sumit initium.

VIta autem nostra à fide sumit initium, quia *iustus ex fide vivit.* Quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per spiritum sanctum vnicuique dari beatus Paulus ostendit dicens: *Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu.* Non ergò spiritum sanctum quia credidimus, sed vt crederemus accepimus. Forma enim præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spirituali ter agnoscamus. Nam

Rom. 1. 17.
1. Cor. 12. 8. & 9.

Christus

Esa. 26 17. & 18. *Christus filius Dei secundùm carnem de spiritu sancto conceptus & natus est*, Carnem autem illam, nec concipere virgo posset aliquando nec parere, nisi eiusdem tardis spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit nec augeri, nisi eam spiritus sanctus effundat & nutriat. Ex eodem namque spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus. Eodem igitur spiritu *Christus formatur* secundum fidem in corde vniuscuiusque credentis quo spiritu *secundùm carnem* formatus est in vtero virginis. Ideò prophetа ex persona fidelium clamat ad dominum: *Propter timorem tuum domine in vtero concepimus & parturiuimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram.* Sicut autem non solùm priusquam virgo Maria Christum conciperet, sed etiam priusquam se concepturam agnosceret, *gratia plena* angeli voce nuncupata est, cùm nulla eius præcederet concipiendi filij dei vel cognitio vel voluntas, vt agnosceretur ex gratia dei esse, tam ipsa obediens voluntas virginis quàm conceptio domini saluatoris: Sic homo priusquàm credere velle inciperet, gratia donantis infunditur cordi, vt incipiat in homine *per fidem Christus formari.* Cùm autem *Christus* in vnoquoque *formatur*, ipse se formet, quia ipse fidem in corde vniuscuiusque credentis initiat. Proterea in Epistola quæ ad Hebræos scripta est admonemur vt *aspiciamus in authorem fidei & consummatorem Iesum*: qui proculdubio sic est *author fidei* nostræ cùm ipse fidem non habentibus donat, sicut est eiusdem *fidei consummator*, cùm eam in habentibus augendo multiplicat & sancta operatione consummat. Dicit enim beatus Apostolus Iacobus: quia fides Abrahæ patris nostri *ex operibus consummata est. Author* est ergò *fidei* nostræ *consummatorque Iesus*, quia *ipse operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Quòd si in eo tantum est *auctor fidei* nostræ, quia nostram voluntatem expectat, vt ex nobis esse fides incipiat, consequens est, vt etiam *consummator fidei* nostræ ideo dicatur, quia expectat vt nostro tantum conatu ad consummationem fides quæ à nobis exorta est, perueniat. Ac sic totum deo adimitur, si & initium & consummatio fidei nostræ humani arbitrij viribus applicetur, quod quia valde impium est, si scripturarum sanctarum eloquijs salutaribus nos resistimus, omnia quæ pertinent ad bonæ voluntatis initium vel profectum, deum in nobis & incipere & perficere sine aliqua hæsi-

Luc. 1. 28.

Hebr. 12. 2

Iacobi 2. 22.

Philip. 1. 13.

Tangitur error semipelagianorū.

tatione credamus. *Ipse est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Clamemus igitur in humilitate cordis & veritate fidei cum propheta: *Scio domine quia non est in homine via eius, neque vir est vt corrigat viam suam.* Non est itaque *in homine via eius* quam habet ex Deo, *neque vir est vt corrigat viam suam* quam habet ex seipso. *Viam* ergò *suam* non habet in se, nec *viam suam corrigit*, nisi cum rectitudine cordis donum gratiæ spiritualis acceperit. Ideò Salomon dicit: *Dirigit autem corda dominus.* Beatus quoque Apostolus Iacobus testatur: quia *omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum*, eorum scilicet *luminum* quibus per Ezechielem noui cordis gratiam re promittit dicens: *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis.* Beatus quoque Paulus humanæ comprimens præsumptionis audaciam, dicit: *Quis enim te discernit. Quid autem habes quod non accepisti, si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis.* Cum quo nos oportet humiliter salubriterque cognoscere pariter & fateri, *gratia Dei* nos esse quod & sumus si tamen aliquid sumus. Qua gratia humanum non auferitur sed sanatur, non adimitur, sed corrigitur, non remouetur sed illuminatur, non euacuatur sed adiuuatur atque seruatur arbitrium: vt in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem. Quò errabat eodem in via redeat. In quo cæcus fuit in eo accipiat lumen. Et vbi fuit iniquus *seruiens immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem*, ibi gratia præuentus atque adiutus *seruiat iustitiæ in sanctificationem.*

Per gratiam non auferitur libertas arbitrii.

Ierem. 10. 23.
Prou. 21. 2.
Iacobi 1. 17.
Ezech. 36. 26. & 27.
1. Cor. 4. 7.
1. Cor. 15. 10.
Rom. 6. 19.

CAPVT XXI.

Quod Deus non sit acceptor personarum, quos vult credentes faciens.

MIramur autem quosdam dicere: *Si volentes Deus facit vt velint credere, nullus autem est qui naturaliter posset credere in filio dei, aut aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternam, cur ergo non facis omnes velle*, cùm non sit personarum acceptor deus? Ex quibus verbis quæ vestris literis indita sunt, apparet eo minùs considerare quod dicunt: *Personarum acceptio*

Act. 10. 34.
Rom. 2. 11.
Ephes. 6. 9.

acceptio apud deum tunc esset, si (quemadmodum isti volunt) in quolibet hominum aliquod inueniret bonę voluntatis initium. Cùm autem in nullo bonam voluntatem inuenit, sed eam gratis cùm voluerit ipse concedit, agnoscitur nulla esse *personarum acceptio*, quando gratuita est donantis in vnoquoque que largitio. Quod autem dicunt, *cur non facit omnes velle?* Itáne verò in nemine hoc facit, quia non in omnibus facit?

Rom. 9. 21. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud quidem in contumeliam?* aut culpari potest iustitia in *vasis ira*, quæ iustè pro meritis *aptauit in interitum*, vel misericordia *in vasis misericordiæ, quæ* sine vllis meritis solo gratiæ dono *præparauit in gloriam*? Quibus ipsam quoque *præparari voluntatem à* DOMINO scriptura teste docuimus. Quæ si non à deo datur, sed in homine inuenitur, falsum est quod ea scriptura *præparari* dicit *à domino. Omnis* autem *scriptura diuinitus inspirata*, cuncta quæ dicit vera dicit, quia *ex veritate* sunt vniuersa quæ dicit. *Eloquia* enim *domini eloquia casta*. Deus ergo qui *voluntatem præparat*, ipse donat. Quam si deus per suam gratiam homini non dederit, nunquam potest homo in deum velle credere, quia ipsam voluntatem gratia non inuenit, sed operatur in homine.

Ibid. 22. & 23.

Prou. 8. 37. iuxta 70.

2. Tim. 3. 16.

Psal. 11. 7.

Nemo à se habet velle credere.

CAPVT XXII.

Quòd credendi facultas humanæ possit inesse naturæ, quia deus potest eam sanare.

CVm autem dicimus neminem posse in deum credere, nisi per *gratiam* DEI *cor illuminetur* vt credat, non credendi possibilitatem humanæ naturæ omnino inesse non posse dicimus, sed vt habeat ipsum posse, vnde debet sperare ac poscere, demonstramus. Nam vtique naturaliter homini, cùm cœperit in dei filium credere, si posse credere in conditione primi hominis datum non esset, nunquam peccatum de infidelitate contraheret, neque vlli naturæ credendi facultas insita est, quam rationalem non fecit deus. *Nunquid enim de bobus cura est deo?* In quibus nec punitur impietas nec pietas coronatur. De hominibus autem omnibus *curam esse* DEO cœlestibus eloquijs edocemur. Naturæ igitur humanæ competit fides, cuius tantam curam creator habere dignatur, vt etiam *capillos capitis nostri numeratos vo-*

2. Cor. 9. 9.

vilit

ritas dicat, vt scilicet dum se tantùm à deo diligi humana natura cognoscit, diligentem se deum diligat, eique per fidem puri cordis inhæreat: cui ad beatitudinem fides est via, cui est infidelitas magna miseria: & ideò dignè punitur, cùm *in Dei filium* non *credit*, quia vitium eius est eius infidelitas, sicut virtus est fides, non qualis in dæmonibus inuenitur, sed qualem deus sanctis suis donat, quos ex impietate iustificat. Ipsa est *fides quæ per charitatem operatur*. Nam *& dæmones credunt & contremiscunt*, sed non diligunt eum à quo per superbiam recesserunt. In quam superbiam, quia primus homo diabolica est persuasione delectus in quo perdidit humilitatem, perdidit fidem, perdens autem fidem perdidit diuinam protectionem. Scriptum est enim: *Qui non credit deo, à deo non protegitur*. Exinde cœpit *superbire terra & cinis, quia in vita sua protexit intima sua*. Ad ipsa *intima* vt homines redeant, diuinus non desinit sermo clamare dicens: *Redite prauaricatores ad cor verum, quia illi caro sunt spiritus vadens & non rediens*, nec vnquam redire velle potest ouis errans, nisi fuerit boni pastoris inquisitione præuenta, & humeris reportata: Propterea pastor bonus *venit quærere & saluum facere* ouem perditam, quæ pastorem suum quærere non potest, priusquam ab eo quæratur, sed à quærente præuenitur, vt quærat: Pastor autem eam frustra quæreret si quærere ipsa pastorem quæsita non posset. Sed hic ei quærentis pastoris bonitas donat, vt etiam ipsa quærendi pastoris habeat voluntatem. Quæritur autem vt quærat, quando illuminatur vt credat. Hoc igitur in homine diuinitus agitur cui fidem deus infundit, vt gratiæ dono virtutem credendi natura recipiat quam amisit, & quod non poterat vitiata per culpam, incipiat poscere formata per gratiam, ac si operante illo medico qui *non est opus sanis sed malè habentibus*, infirmitas expellatur, natura sanetur. Quam sanitatem poscebat qui dicebat: *Ego dixi domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui*. Nullus autem sanctorum sanitatem poscéret si humana natura sana esset. Et frustra sanitatem quisque poscéret, si sanari humana natura non posset. Natura igitur humana sanari potest. Sed illius gratia, sanitatis accipit donum, ex quo creationis sumpsit initium. Nam si homo naturaliter sanari nullatenus posset, ad sanandum eum cœlestis medicus non veniset. Rursus si se ipse sanare

Adam perdidit fidem.

Matt. 10. 30.

Gal. 5. 6.

Iacob. 2. 19.

Eccl. 7. 15

Eccl. 10. 9. & 10.

Isa. 46.

Psal. 77. 39.

Luc 15. 4. & 5.

Luc. 19. 10.

Matt. 9. 12.

Psal. 40. 5.

posset,

posset, cœlesti medico non egeret. Sanatur enim per fidem, quam si ex seipso aliquis habere posset, deus eam homini non donaret, donat autem quoniam *alteri datur fides in eodem spiritu*, sicut Apostolus dicit: *Deus* ergò *vnicuique diuisit mensuram fidei.*

1 Cor. 12. 9. Rom. 12. 3.

CAPVT XXIII.

Quòd possit homo naturaliter credere, licet ei diuinitus donetur vt credat.

NOn ergo propterea non potest homo naturaliter credere, quia diuinitus ei donatur vt credat, imò in hoc maximè ad habendum fidem homo creatus agnoscitur, quia per fidem humana natura ex vetustate renouatur. Sic enim est omnis voluntario peccato primi hominis vitiatus, vt deus voluntate sua bonam voluntatem hominis possit sanare si velit: *Creauit enim*, sicut scriptum est, *vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum.* Veruntamen ne homini ex seipso putaretur esse sanitatis initium, mox sermo diuinus adiecit: *Et non est in illis medicamentum exterminij.* Quàmuis igitur homini primo diabolus abstulerit fidem, deo tamen reddendi quod dederat non abstulit potestatem, nec humanam naturam vsqueadeò diabolus vitiare potuit, vt deinceps non posset quod amiserat deo rursum largiente recipere. Omnipotens enim qui potuit humanam formare, potest etiam infirmam sanando per gratiam reformare & custodire naturam. A quo ipsa natura sicut in primo homine fidem ad salutem acceperat, ita nunc in singulis munere diuinæ bonitatis accepit, quos idem deus prædestinatos, & per fidem saluandos ex parentibus creat. Potest igitur deo donante homo in deum naturaliter credere. Contra naturam quippè hominis est quòd in deum non credit, quia incredulitatem non habet ex creatione dei, sed ex voluntaria præuaricatione mandati, per quam sanitate priuatus & lumine, hoc per seipsum potest vt cæcitatem atque infirmitatem suam proprio arbitrio augere possit, remouere non possit, Cuius tamen illuminatio atque sanatio intantum est omnipotenti creatori possibilis, vt ad gloriom nominis eius ipso donante, non solùm possit infidelis credere, verùm etiam ad immortalem atque incorruptibilem

Sap. 1. 14.

Ibid.

Beati sunt impeccabiles.

vitæ ſtatum, per fidei gratiam peruenire. Vbi *accipiens gratiam pro gratia* peccare omnino non poſſit, & poſſit feliciter videre quod credidit. Vnde vox illa fidei reſultat in Pſalmis: *Credo videre bona domini in terra viuentium.* Deus igitur licet non ad hoc humanam naturam fecerit vt viciaretur per culpam, ipſe tamen omnipotenti bonitate poteſt viciatam ſatiare per gratiam. Arbitrium itaque hominis ſanat deus atque illuminat, vt homo in deum naturaliter credat. Ita fit vt homo fidem habere poſſit, ſed eam niſi ex dono dei habere non poſſit. Ioan. 7. 16. Pſal. 26. 13.

CAPVT XXIV.

Quòd non omnia quæ habere poſſumus, ex nobis habere poſſimus.

NOn enim conſequens eſt vt omnia quæ habere nos poſſumus, etiam ex nobis habere poſſimus. Nam & caro noſtra ſic à deo facta eſt, vt poſſit naturaliter viuere, hoc ipſum tamen non ex ſe, ſed ex anima poſſit habere quod viuit, vita igitur vt ineſſe carni naturaliter incipiat, manifeſtum eſt eam ab anima miniſtrari. Ac ſic quidem poteſt caro noſtra viuere. Sed ſi in ea ſit anima quæ vita eius eſt. Veruntamen in anima noſtra & carne, non paruum nobis gratiæ dei monſtratur exemplum. Nam ſicut ex ſe ipſa caro vitam non habet ſed ab anima accipit, ſic homo non poteſt habere fidem niſi munere dei donantis acceperit. Sicut etiam vt caro viuat ſolius opus eſt animæ, ita quoque vt homo credat ſolius opus eſt gratiæ. Et ſicut caro nihil operari poteſt ſi eam viuificare anima deſinat, ſic homo nihil bene velle poteſt, ſi ab eo gratiæ iuuamen abſcedat. Vt ergo caro & viuere poſſit & operari, præſentis animæ viuificatione fulcitur, homo quoque vt bonum velit aut faciat, gratiæ viuificantis ſubſidio iugiter adiuuatur. Intereſt autem vt caro noſtra quantum viuificatur ab anima non ſolùm bene ſed etiam malè operandi accipiat facultatem. Cùm autem nos gratia viuificat, non niſi ad bene volendum, nec niſi ad bene operandum nobis adiutorium ſubminiſtrat. Agnoſcat igitur homo in eo ſe naturaliter credere poſſe, in quo naturam habet credulitatis ac ſi dei capacem, quod animalibus irrationabilibus.

Poſſe habere fidem naturæ eſt hominum ſed actu habere gratiæ eſt.

bus datum diuinitus non est, non tamen vt se putet ad habendum fidem vsque adeò esse idoneum, vt ex voluntate sua constat fidei arbitretur exordium. Volens enim homo habet fidem, sed deus qui fidem donat, ipse hominis mutat & dirigit voluntatem. *Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum.*

Psal. 84. 13

CAPVT XXV.

Quòd gentes quæ naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, non nisi Christiani fideles intelligendi sint.

DE his igitur in quibus natura diuino sanatur munere vt in deum naturaliter credant, quique gratis per fidem iustificati etiam ad bene operandum auxilium gratiæ subsequentis accipiunt, Apostolus dicit: *Cùm enim gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quem quidem Apostoli locum, hi qui gratiæ contradicunt gentibus incredulis assignare contendunt, ex hoc videlicet quòd etiam illi qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ ad honestatem morum & humanæ societatis vinculum pertinent, naturali quadam lege sic seruant, vt etiam eos qui illa violare contendunt, iudiciorum æquitate ac seueritate coërceant. Vbi minùs attendunt, Apostolico suam sententiam prorsus eneruari sermone, quem superiùs præmisit dicens: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Iustificari autem sine fide neminem posse idem beatus Apostolus ostendit dicens: *Scientes autem quòd non iustificabitur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi. Et nos in Christo Iesu credimus vt iustificemur ex fide Iesu Christi & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Et paulò post fidei gratiam commendans, per quam vera confertur vnicuique iustitia, sic ait: *Non abycio gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, ergò gratis Christus mortuus est.* Item cùm *patrem nostrum Abraham non ex operibus legis*, sed *ex fide iustificatum* assereret dicens: *sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, vt etiam gentes quas seminis Abrahæ diuinus sermo promisit *ex fide iustificari* Paulus ostenderet se-

Rom. 2. 14 & 15.

Ibid. 13.

Galat. 2. 16.

Ibid. 21.

Galat. 3. 6.

Gen. 15. 6.

cutus adiunxit: *Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abraha. Prouidens autem scriptura quia ex fide iustificantur gentes, Deus prænunciauit Abraha dicens, quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham.* Hunc autem *patrem nostrum Abraham non ex operibus sed ex fide iustificatum esse* confirmans alio loco sic loquitur. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam sed non apud Deum. Quid enim scriptura dicit: Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium reputatur fides eius ad iustitiam.* Cùm ergo Apostolus de his gentibus loquens, *qua naturaliter ea quæ legis sunt facientes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis,* de his se loqui testetur qui iustificantur, *Abraham* autem *patrem nostrum non ex operibus* sed *ex fide iustificatum esse* commemoret, quis audeat illas in hoc loco gentes accipere, quas constat non *esse iustificatas ex fide*, cum ipse testetur Apostolus: *quia omne quod non est ex fide peccatum est.* Et, *quia sine fide impossibile est placere Deo.* Quòd *si Abraham ex fide iustificatum esse* constat, cuius semini gentes Apostolus promissas esse commemorat, quis quis asserit gentes *non ex fide* sed *ex operibus iustificari* posse, quid supereſt, nisi vt eas neget ad *Abraha semen* cui gentes promissæ sunt, pertinere: cùm *Abraham* (sicut Apostolus dicit) *pater sit omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam. Quoniam igitur vnus Deus qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem,* Apostolus autem de his qui iustificantur se loqui monstrauit, cùm de *gentibus naturaliter quæ legis sunt facientibus, & opus legis in suo corde* habentibus disputaret, ille sensus est veritati conueniens, quòd *gentes* in eodem loco accipiuntur, quas deus fidei dono iustificat, & in eo quod eis gratiam fidei tribuit, *opus legis sua in eorum cordibus* donata iustificatione conscripsit, vt sine testamenti veteris litera per noui testamenti gratiam natura renouata *opus legis* ad hoc *scriptum* habeat, vt ad populum dei non operum præcedentium merito, sed iustificationis gratuito munere incipiat pertinere. Quod nobis ore prophetico cœlestis dignata est vulgare doctrina, sancto Hieremiâ dicente: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum nouum.*

Galat. 3. 7. 8. & 9. Gen. 12. 3.

Rom. 4. 2 & seq. Gen. 15. 6.

Rom. 2. 14. & 15

Rom. 14. 23. Heb. 11. 6. Galat. 3. 16.

Rom. 4. 11. Rom. 3. 30.

Hierem. 31. 31.

Et

Ibid. 33. & 34. Et paulò pòst: *Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel, post dies illos, dicit dominus, dabo leges meas in corda eorum, & in sensibus eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum dicens, cognosce deum, quoniam omnes scient me à maiore vsque ad minorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum illorum iam non memorabor?*

CAPVT XXVI.

Quòd cognitio dei sine dilectione nihil prosit.

HÆc autem scientia in qua sic Deus agnoscitur, vt peccatorum remissio diuinæ propitiationis munere tribuatur, longè aliena est ab illa cognitione illorum qua *cognoscentes deum non sicut deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. qui dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Isti enim quia sine gratia fidei, *quæ per charitatem operatur* deum cognouerunt, ipsâ suâ cognitione *inexcusabiles facti sunt.* Hi verò, qui deum perceptione fidei cognoscunt, inaccusabiles fiunt. *Quis* enim *accusabit electos Dei?* Nemo vtique, *diligentibus* enim eis *deum omnia cooperantur in bonum.* Et ideo eos nullus accusat, quia *Deus* eos *secundùm propositum præscitos & prædestinatos vocatosq́; iustificat atque glorificat,* vt *gloriatione legis factorum* qua se homo superbus extollit *excluſa, per legem fidei quæ per charitatem operatur, qui gloriatur in domino glorietur.* Quòd si quibusdam *cognoscentibus Deum, nec* tamen *sicut Deum glorificantibus,* cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo hi potuerunt iustè esse *apud Deum,* qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid seruant, vt hoc ad finem Christianæ fidei charitatisque non referant? Quibus aliqua quidem bona quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem inesse possunt. Sed quia non charitate dei fiunt, prodesse non possunt. Etenim fieri potest, vt quisquam deum esse credat, qui deum non diligit, vt autem quisquam deum diligat: qui in deum non credit fieri nullatenus potest: quia potest vnusquisque credere aliquid esse quod non diligit, diligere verò nemo potest, quod esse non credit, Apostolus autem

Rom. 1. 21. 22. & 23.

Galat. 5. 6.

Rom. 8. 33.

Ibid. 18.

Rom. 3. 27.

1. Cor. 1. 31.

Fides potest esse sine charitate.

dicit : Sine charitate fidem cæteraque bona opera cuiquam prodesse non posse, dicit enim : *Si habuero omnem fidem ita* 1. Cor. 13
vt montes transferam, & si distribuero in cibos pauperum omnes 2. & 3.
facultates meas, & tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Si ergo opera cum fide sine charitate prodesse non possunt, quomodo proderunt opera quæ in fide non fiunt ? Vnde non immeritò beatus Apostolus pro Thessalonicensibus orat, *vt eis Deus impleat* 2. Thes. 1.
omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute. Nam & in 11.
eodem loco, vbi de *gentibus legem naturaliter facientibus* loquebantur, antè præmiserat dicens : *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum Iudæo primum & Græco.* Quomodo autem infidelibus potest esse *gloria*, quæ non datur nisi iustificatis ? *Quos enim* DEVS *iustificauit, illos & glorificauit. Iustitia autem* DEI *per fidem* IESV CHRISTI *super omnes qui credunt.* Rom. 8. 30.
Aut quis *honor* incredulis dabitur, cùm hunc non nisi credentibus tribui beatus Petrus edoceat dicens : *Vobis igitur* Rom. 3. 22.
honor credentibus. Vel quomodo erit *pax* ei, qui non est redemptus sanguine Iesu Christi, *in quo deus pacificauit, sive quæ* 1. Pet. 2. 7.
in terris sunt, sive quæ in cœlis ? Ipse est enim pax nostra qui fecit Coloss. 1. 20.
vtraque vnum. Hæc autem *pax* sine charitate & fide Christi Ephes. 2. 14.
non potest possideri, quia *iustificati ex fide, pacem habemus ad* Rom. 5. 1. & 2.
DEVM *per* DOMINVM *nostrum* IESVM CHRISTVM, *per quem & accessum habemus per fidem in gratia ista, in qua stamus & gloriamur* Ibid. 5.
in spe gloriæ filiorum DEI. Quos *spes* ideo *non confundit, quia cha-* Rom. 8.
ritas DEI *diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui* 15.
datus est nobis. Accepimus enim *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Vt igitur homines *filij* DEI fiant, *filium* DEI *vnicum* per fidem recipiunt, & ipso donante hanc accipiunt à domino potestatem, vt & in eum credant, & ad numerum *filiorum* DEI pertineant : *quoquot enim receperunt eum* Ioan. 1. 12.
dedit eis potestatem filios DEI *fieri, his qui credunt in nomine eius. In eorum cordibus dat legem suam, & in sensibus eorum scribit* Hierem. 31. 33.
eam, id est, *legem fidei* quæ inspirata iustificat, non *legem factorum*, quæ etiam obseruatores suos sine dubitatione condemnat.

CAP.

CAPVT XXVII.

Quòd lex factorum, *(qua naturaliter esse potest in cordibus infidelium) ab impietate non liberat.*

Rom. 3. 20. NAm illa quæ *lex factorum* est, quæ hominem iustificare non potest, *quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, potest quidem naturaliter esse & in corde gentilium & in corde fidelium Iudæorum: Quæ tamen sine *fide Christi* nullatenus iustificat sectatores suos, sed eos tenet vinculo impietatis obstrictos. Hæc vtique fuit in corde Pauli quando fuit incredulus, *secundùm æmulationem persequens Ecclesiam* Philip. 3. 6. *Dei, & secundùm iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela.* Ibid. 9. & seq. Quam tamen, quia ex deo non habuit, ideò dicit: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini, propter quem omnia detrimentum feci & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ est ex fide Christi, quæ ex Deo iustitia ex fide ad cognoscendum illum.* Quis non his verbis Apostolicis videat *iustitiam quæ ex lege est*, esse ex homine, *iustitiam* verò *quæ ex fide Christi* est non esse nisi *ex Deo*? Illa est igitur iustitia per quam impius erigitur vt cadat in pœnam, ista autem est per quam iustificatus humiliatur, vt exaltetur ad gloriam. Ideò cùm Rom. 5. 6. in illa *quæ ex lege est, sine querela conuersaretur* Apostolus, fuisse se impium non negat, dicens: *Vt quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impys mortuus est.* Inimicum quoque Dei se fuisse veraciter confitetur, dicens: *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius ab ira per ipsum.* Quid ergo prodesset Paulo sine cognitione Christi, illam *quæ in lege factorum est*, seruare *iustitiam*: Ioan. 8. 24. cùm ipse saluator noster Iudæis dicat: *Nisi cognoueritis, quia ego sum moriemini in peccatis vestris.* Ergò quia *iustitiam quæ est ex fide Christi ad cognoscendum illum* esse testatur Apostolus, manifestum est *legem fidei* esse quam se Deus *in corde suorum scripturum* esse promisit. Quod eiusdem tenor euidenter osten-

ostendit. Ibi enim dicit Deus: *Et non docebit vnusquisque proximum suum & vnusquisque fratrem suum dicens, Cognosce dominum, quia omnes scient me à minore vsque maiorem eorum.* Hæc est lex, quam *Deus scribit in cordibus eorum* omnium, non per conditionem naturæ, sed per largitatem gratiæ, non per liberum arbitrium hominis, sed per ministerium Euangelicæ prædicationis, non in lapide per literam veteris testamenti, sed in corde per *spiritum Dei viui.* Quod beatus Paulus euidenter insinuat dicens: *Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Hoc ergò Deus scribit in cordibus hominum per spiritum suum, quod exinde *diaboli* deleuit *inuidia*, per quam *mors intrauit in orbem terrarum.* Scribit itaque *legem fidei* per quam *iustificat gentes Deus*, vt dando gratiam renouet naturam. *Charitatem* quippè quæ *plenitudo est legis*, ad hoc *per spiritum suum diffundit*, vt faciat impleri quod præcipit: & illuminationis gratiam per *spiritum fidei* propterea largitur, vt quod deo placitum est, *fides per charitatem operetur.* Quæ quamdiu in homine non est, quidquid sine *lege fidei* per legem naturalem scriptum remansit in homine, operantem nullatenus saluat, quia neminem Deus sine fide iustificat, nec potest operanti salutem acquirere, quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Nemo ergo naturali legi conetur assignare legem, quam Deus non condendo naturam, sed donando gratiam *in corde* gentium *scribit.* Hæc est enim lex non qua homo societatis humanæ vinculum etiam sine fide custodit, sed per quam credendo Deum cognoscit & diligit, non per quam sibi etiam bona opera vel ipsam fidem quisquam superbus vendicat, sed qua deo in se misericorditer operante, tam fidem suam quàm bona opera subiectus assignat. Hæc enim cor hominis ita componit & dirigit, vt cùm homo præcepta dei audit, id donari sibi quod præcipitur poscat, & cùm in fide operatur, gratia Dei se iugiter adiuuari non ambigat.

Hier. 31. 34.

2. Cor. 3. 3.

Rom. 5. p. 2. 24 Galat. 3. 8. Rom. 13. 10.

Hebr. 11. 6.

CAP.

CAPVT XXVIII.

Quòd Deus non faciat omnes velle credere, pertinet ad secreta eius iudicia.

Rom. 2. 11. QVod autem interrogant isti de Deo dicentes: *cur ergo non facit omnes homines velle credere*, *cum* non sit personarum acceptio apud Deum? scire debent hoc in illis altioribus positum, à quibus sancta scriptura humanæ curiositatis exercet audaciam dicens: *Altiora te ne quæsieris, fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Hæc *altiora* ille qui *vsque in tertium cœlum raptus* est, eò magis territus quo magis illuminatus expauit. Vnde magis clamare non cessat: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula.* Sat est ergo nobis & in his qui saluantur gratuitam *Dei misericordiam*, & in his qui condemnantur veram *Dei iustitiam* sine dubitatione credere, & *corde contrito* atque humiliato *misericordiam domino iudiciumq; cantare*, qui & in *vasis iræ* atque *aptatis in interitum* ostendit iustitiæ suæ nullam iniquitatem placere, & demonstrat in *vasis misericordiæ* quia potest eius bonitas omnia, quibus voluerit, peccata dimittere.

Ecclesi. 3. 22. 2. Cor. 12 2. Rom. 11. 33. & seq. Sap. 9. 13 Esa. 40. 13. Psal. 100 1.

CAPVT XXIX.

Quòd fallantur qui existimant diuinam voluntatem, æqualiter se habere erga saluandos & damnandos.

1. Tim. 2. 4. ILlud verò Apostolicum vbi dicitur de Deo: *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem sicut in *vasis misericordiæ* sic & in *vasis iræ* accipiendam existimant, minùs considerantes veracissimam scripturæ sententiam, quæ diuinæ commendans omnipotentiam voluntatis, *omnia*, inquit, *quæcunque voluit fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Ipsi Deo rursus dicitur: *Subest*

Psal. 134 6.

enim tibi cùm voles posse. Quomodo igitur *omnia quæ vult facit* Sapien. *si volens hominem saluum fieri*, cuius salus non nisi à bona in- 12. 18. cipit voluntate, ipsum velle non in homine Deus inchoat, sed vt ab homine nascatur expectat? O quàm pessimum nephas asseritur dum *gratiæ Dei* contumaciter repugnatur, & homines opere Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent nisi bonitate Dei operantis existerent. Itáne verò rerum ordo credi putariue permittitur, vt Deus qui creator est hominis valeat hominem facere non mutare, & qui nullius eget adiutorio vt hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit, priusquàm in homine ipsum velle repererit, & vt sit homo habeat ex Deo, vt autem melior sit habeat ex se ipso, ac sic voluntatem bonitatis qua in deum creditur, non diuina bonitas sed humana prauitas operetur. Prauus est enim omnis homo priusquam in deum credat, & quia scriptum est: *erunt prauа* Esa. 40. *in directa.* Ex prauo fit homo rectus, ex infideli fidelis effi- 4. citur. Igitur si Deus pravæ voluntati bonam non tribuit, sed vt ex seipsa bona fiat expectat, potest ergo praua voluntas ex se bonitatem gignere, ita vt cùm ex deo habeat vt sit, non nisi ex se habere possit vt bona sit, ac sic omnipotens & bonus de voluntatibus hominum malis, bonum possit operari cùm velit, vt autem ipsæ voluntates bonæ sint, velit quidem, facere antè nullatenus possit. Quis enim nesciat malæ voluntatis fuisse Paulum cùm *persequeretur Ec-* Galat. 1. *clesiam Dei & expugnaret illam*? Cuius tamen malitia bene 13. vsus est Deus, quando persequente Paulo beatus Stephanus Act. 7. est martyrio coronatus. Ergóne potuit Deus Stephanum co- 59. ronare per Pauli persecutoris infidelitatem, & persecutorem Paulum Deus conuertere nequiuit ad fidem? Ergóne Paulus prior voluntatem suam Deo dedit, & sic deus fidem Paulo volenti retribuit? Et vbi est quod ipse dicit: *Quis* Rom 11. *prior dedit illi & retribuetur ei*? Quod vtique non dixisset, 35. si à se voluntatem deo datam, & à deo sibi fidem cognosceret retributam. Hanc itaque amentiam & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus. Ille enim tam prophana cogitatione polluitur, Cui gratia vel obdurato non datur, vel aufertur ingrato. *Deus* enim *conuertens viuificat quos* Psal. 84. *vult saluos fieri*, Deus voluntates hominum mutat vt esse 7. Psal. 76. bonæ incipiant. Ideò scriptum est: *Et dixi nunc cœpi, hæc est* 11. *mutatio*

mutatio dextera excelsi. Prophetæ sensus aperto sermone se præbuit agnoscendum, qui vtique non postea quam cœpit, sed hoc ipsum quod *cœpit, mutationem dextera excelsi* non tacuit. Proinde hi qui voluntatem dei qua *omnes homines vult saluos fieri*, æqualem circa redimendos & damnandos existimant cùm interrogati fuerint cur *velit Deus omnes homines saluos fieri*, nec tamen omnes salui fiant, quid respondebunt?

CAPVT XXX.

Quòd Deus bonam hominis voluntatem non expectet sed tribuat.

AN illud quod vestra eos dicere testatur Epistola? id est *quia Deus expectat hominis voluntatem, vt æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem iusta damnatio.* Sed vt prolixitatem vitantes omittamus alia quæ possunt pro veritate fidei, huic prauæ sententiæ replicari, interim testimonio confundantur atque conuincantur non loquentium hominum sed tacentium paruulorum, in quibus ad euacuandam sapientiam verbi multùm resplendet virtus crucis Christi, quæ gratis in omnibus hominibus propria vtentibus voluntate eandem salutem à se ostendit fieri, quam in infantibus nullam voluntatem habentibus dignatur operari. In eis namque nec bona voluntas est, *vt æquum sit in volentibus præmium*, nec mala, *vt sit in nolentibus iusta damnatio.* Si ergò vt ad saluandos homines sicut isti volunt non excitat neque mutat, sed expectat hominum voluntates, quomodo infantibus qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur donat æternam salutem, quorum bonam nec expectat, nec inuenit voluntatem. Item alios quomodo sine baptismate mortuos æternis cruciatibus damnat, cùm in eis nullam culpam malæ voluntatis inueniat? Nònne istos inimicos *gratiæ Dei*, nec defensores humani sed deceptores arbitrij, ad hoc sua peruersitas cogit, vt deum putent iniquum in obitu omnium paruulorum, vbi nullâ interueniente vel bonitate vel malitiâ voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio. Proindè si ita est, vt ipsi sentiunt, nullus debet paruulus mori priusquam ad ætatem perueniat, in qua

Salus gratuita adultis sicut paruulis.

Cruciatus infantium.

possit vel bonam voluntatem habere vel malam, vt Deus nec baptizatos paruulos sine bona voluntate saluet, neque non baptizatos sine mala voluntate condemnet. Si enim dei bonitas salutem non incipit hominis operari, nisi bonam eius inuenerit voluntatem, iniquum erit eum damnari vel redimi, qui bene nec velle nec nolle potuerit. Sed *non est iniquitas apud* DEUM, cuius *vniuersæ viæ misericordia & veritas.* Igitur quia deum iustum bonumque catholica veraciter credit & confitetur Ecclesia, certissimè credendum est & fiducialiter confitendum, vnam eandemque DEI *gratiam* in maioribus saluandis operari bonæ voluntatis initium, quæ in paruulis sine voluntate operatur salutionis effectum. Ipsa gratia infantes neque volentes neque nolentes redimit, quæ maiores illuminando volentes ex nolentibus facit. Et hoc in paruulis salutis opus, sine propriæ voluntatis assensu *gratia* DEI operante perficitur, quod bonæ voluntatis exordio diuinitus dato in maioribus inchoatur, vt opere solius gratiæ voluntas quæ mala fuit, bona fiat, & deinceps gratiæ secum operanti seruitium obedientiæ cooperatricis exhibeat. Sic autem Deus crudelis non est in infantibus damnandis quibus baptismatis beneficium non tribuit, sicut iniustus non est in maioribus, cùm bonam non donat voluntatem. Et sicut illos voluntas sua mala, sic istos iure puniri facit origo damnata. Deus autem in hominibus nec maculam viciatæ originis, nec malitiam condidit propriæ voluntatis. In hominibus igitur quos saluat voluntatem bonam non inuenit, sed sicut ætatum exigit diuersitas, aut in maioribus bonam voluntatem gratis facit quam inuenit malam, aut sine voluntate hominis vel bona vel mala, perficit in paruulis gratiam sacramenti ille *cuius nemo potest* bonæ *resistere voluntati.*

Rom. 9. 14. Psal. 24. 10.

Rom. 9. 19.

CAPVT XXXI.

Quos omnes homines velit Deus saluos fieri.

QVocirca illos *omnes* quos DEUS *vult saluos fieri* sic intelligere debemus, vt nec aliquem putemus saluari posse nisi volente deo, nec existimemus voluntatem omnipotentis dei aut in aliquo non impleri aut aliquatenus impediri. *Omnes* enim quos DEUS *vult saluos fieri* sine dubitatione

tione saluantur, nec possunt saluari nisi quos Deus *vult saluos fieri*, nec est quisquam quem Deus saluari velit & non
Psal. 113 b. 3. saluetur, quia Deus *noster omnia quæcunque voluit fecit.* Ipsi omnes vtique salui fiunt, quos *omnes vult saluos fieri*, quia hæc salus non illis ex humana voluntate nascitur, sed ex dei bona voluntate præstatur. Veruntamen in his omnibus hominibus quos Deus vult saluos facere, non totum omnino genus significatur hominum, sed omnium vniuersitas saluandorum. Ideò autem *omnes* dicti sunt, quia ex omnibus hominibus *omnes* istos diuina bonitas saluat, id est, ex omni gente, conditione, ætate, ex omni lingua, ex omnium Prouincia. In his omnibus ille sermo nostri redemp-
Ioan. 12. 32. toris impletur, quo ait: *cùm exaltatus fuero à terra omnia trahã ad meipsum.* Quod non ideo dixit, quia omnes omni-
Ioan. 6. 44. no trahit, sed quia nemo saluus fit nisi quem ipse traxerit.
Ibid. 37. Nam & alibi dicit: *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Item alibi: *Omne quod dedit mihi Pater ad me veniet.* Hi ergò sunt *omnes* quos *vult Deus saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Est autem familiare diuinis eloquijs, vt *omnes* nonnunquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant, sicut est illud quod dicit dominus per Pro-
Ioel 2. 28 Act. 2. 3 phetam: *In nouissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Quod in centum viginti hominibus in quos spiritus sanctus linguis igneis venit factum beatus Petrus ostendit. Si ergò hic *omnem carnem* omnes omnino putauerimus homines intelligi, incipiet (quod absit) mendax
Rom 3. 4. Psal. 11. 7. æstimari diuinus sermo. *Est autem Deus verax, & eloquia domini eloquia casta. Super omnem* igitur *carnem* sicut se Deus *effusurum de spiritu suo* repromisit, sic fecit, sic facit, sic vsque in finem seculi facturus est. Prorsus *super omnem carnem*, id est, super omnes homines *effundit de spiritu suo*, scilicet super illos *homines* quos *vult saluos fieri.* Et vt qui sint *omnes* isti plenius nouerimus, eiusdem beati Petri sermonibus auscultemus, qui illam prædicationem suam sancto spiritu repleAct. 2. 38 & 39. tus hac exhortatione concluſit: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur vnusquisque vestrùm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti. Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt quoscumq; aduocauerit dominus* Deus *noster. Omnes* itaque

Per omnes homines non semper totum genus hominum intelligitur.

dixit, ſed *quoſcunque dominus aduocauerit.* Quos etiam beatus Paulus *ſecundùm propoſitum vocatos* inſinuat. Qui alio quoque loco ait: *concluſiſſe Deum omnia in incredulitate vt omnium miſereatur.* Et tamen DEUS non ita *omnium* omnino *miſeretur*, quos *in incredulitate concluſit*, vt omnibus infidelibus gratiam fidei miſericorditer donet; cùm tamen eandem gratiam fidei non infidelibus Deus miſericors donet, ſed illis proculdubio de quibus ad Moyſen dicit: *Miſerebor cui miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſérebor.* Gratiam igitur voluntariæ donationis oſtendens, ſicut dominus ſuis dignatus eſt loqui diſcipulis: *vobis datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum, illis autem non eſt datum.* Item dicit: *Qui poteſt capere capiat*: Sed vt ipſam capacitatem diuinâ doceret largitate conceſſi, alio loco ait: *Non omnes capiunt verbum, ſed quibus datum eſt.* Hi ſunt ergò omnes quorum Deus miſeretur, quia miſericordiâ ipſius præueniuntur vt credant & gratis *ſalui fiant per fidem.* Eorum namque credulitas non ex humana voluntate ſumit initium, ſed ipſi voluntati fides gratuitâ Dei miſerantis largitate donatur. Hanc omnium diſcretionem, quam fidelis debet intellectus omnino ſeruare, beatus Paulus vno Epiſtolæ ſuæ loco ſic poſuit, vt *omnes homines* ſine aliqua exceptione dicens, ſtatim quoſdam *omnes homines* exceptis alijs intimaret. Ait enim: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Nunquidnam quia *in omnes homines in condemnationem*, & *in omnes homines in iuſtificationem* Apoſtolus dicit, ideo prorſus omnes homines quos per peccatum Adæ originaliter conſtat eſſe damnatos, ſimul omnes eoſdem credere debemus iuſtificatos eſſe per Chriſtum, cùm innumerabiles infidelium mortes obſiſtant, qui ſine gratia iuſtificationis de hac vita tranſeunt, & abſque ſacramento baptiſmatis, ad ſedem mortis, æternaque ſupplicia rapiuntur. Reſtat ergo vt non *omnes* omnino quos *in condemnationem* ponit Apoſtolus, tranſire ad iuſtificationis gratiam ſentiamus, ſed quoſdam ex illis omnibus. Omnes iſtos itaque *omnes* per Adam *in condemnationem* eſſe *filios iræ*, & ex eis quoſdam per Chriſtum *omnes* eſſe filios gratiæ. † Illos ergo eſſe omnes quos per primum hominem propago peccatrix carnali generatione condemnat, omnes enim *terreni* ſunt, qui *terreni hominis imaginem gerunt*,

Rom.8. 28. Rom.11. Exod.33. 19. Rom.9. 15. Math.13 11. Math.19 12. Ibid.11. Rom.5. 18. 1.Cor.15 49.

† Aliàs addendum debemus intelligere.

Psal. 85. 9. *runt*, & omnes *cœlestes*, qui ad æternam vitam *imaginem hominis cœlestis accipiunt*, Iterum dicit Propheta: *Omnes gentes quascunque feciſti venient, & adorabunt coram te, & glorificabunt nomen tuum in æternum.* Matt. 10. 22. Dominus autem ſuis fidelibus dicit: *Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Nunquid ergò contrarijs ſibi repugnat ſcriptura diuina ſententijs? Abſit. Sed & illos *omnes* & iſtos *omnes* veraciter dicit, id eſt, & omnes fideles qui nomen domini in *omnibus gentibus* glorificant, & omnes incredulos qui per eaſdem *omnes gentes*, in odio nominis Chriſti fideliumque eius, mortifera impietate perdurant. Coloſſ. 1. 16. & 17. Tale quiddam eſt etiam in Epiſtola quam Coloſſenſibus beatus Apoſtolus ſcribit, vbi dicit: *Quia in Chriſto condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante* Ibid. 19. & 20. *omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Et paulò pòſt ait: *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſum pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris ſunt, ſiue quæ in cœlis ſunt.* Nunquid diabolum & angelos eius *pacificare* credemus? Abſit, qui enim ſic ſentire voluerit, bicipitem laqueum geminæ impietatis incurret, vt aut diabolum & angelos eius per ſpiritum creatos eſſe neget, aut eos *reconciliandos per ſanguinem crucis eius* affirmet. Veruntamen quiſquis harum ſententiarum prauitate qualibet inuoluitur, caueat ne cum ipſo *diabolo atque angelis eius* æternæ combuſtionis punitione damnetur. Vnius enim eiuſdemque impietatis eſt reus, ſiquis diabolum aut non à Chriſto creatum, aut reconciliationi Chriſti credat quandoque reddendum. Cùm vtique ſi eum Chriſtus dominus non creaſſet, eius damnabilis à Chriſto diſceſſio non eſſet. Et ſi eum Chriſtus quandoque ſaluaturus eſſet, non ore Chriſti pronunciaretur eius *æterna combuſtio. Omnia* ergo Matt. 25. 41. *per Chriſtum & in Chriſto creata ſunt*, quia nihil eſt quod non per filium & in filio creauerit Pater. Et *omnia per ipſum* atque *in ipſo reconciliantur*, quia nullus eſt hominum qui ſine cruce Chriſti reconciliationis beneficium conſequatur. Ex hac ergò regula quæ cœleſtibus inſerta monſtratur oraculis ſic intelligamus *omnes homines* quos *vult Deus ſaluos fieri*, vt nouerimus omnes qui ſaluantur non niſi ex eius gratuita bonitate ſaluari. Vt enim quiſque ſaluetur, nulla præcedunt

humanæ

humanæ voluntatis bona merita, sed sola Dei voluntas humanæ saluationis est causa. *Ira enim in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Ira igitur *eius* nostræ iniquitatis est meritum, *vita* verò nostra *voluntatis eius* est donum. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat.* Eosdem autem *viuificari vult*, quos *vult saluos fieri.* Sic ergò quos vult saluat, quemadmodum *quos vult viuificat.* Nihil namque, voluit & non fecit, qui, scriptura teste, *omnia quæcumque voluit fecit.* Proinde non indignè dicimus aliquid Deum nolle quod possit. Nephas est autem si quis omnipotentem dicat aliquid facere non posse quod velit, *voluntati enim eius quis resistet.* Nemo vtique, quia non est aliqua natura quæ ab eius creatione sit aliena. Et sicut nihil naturaliter subsistit quod ille non fecerit, ita nihil prouenit in salutem hominum quod ille non in æterna bonæ voluntatis suæ dispositione faciendum prædestinauerit, à quo & fides gratis infunditur, per quam bene ambulemus, & perseuerantia donatur, per quam ad speciem peruenire possimus. Hæc autem dona sua semper Deus in æterna atque incommutabili habet voluntate disposita, in qua præordinauit atque præparauit & quæ daret & quibus daret. Ipse enim prædestinando præparauit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædestinationis effectum.

Psal. 29. 6. *Ioan. 5. 21.* *Psal. 113 b. 3.* *Rom. 9. 19.* *2. Cor. 5. 7.*

Epilogus.

HAbetis dilectissimi fratres tam de incarnatione domini nostri Iesu Christi quàm de gratia, paucis expressam fidei nostræ confessionisque sententiam, qua certissimè continetur *vnigenitum Deum de Deo* Patre naturaliter sine initio *natum ex virgine* naturaliter *secundùm carnem* progenitum. Vnus enim idemq; *Deus verbum* quem prima natiuitate coæternum sibi genuit æternitas Patris, & quē temporaliter conceptum secunda natiuitate *filium hominis* protulit vterus virginalis. Cuius gratia nobis & initium bonę voluntatis donatur ad fidem, & ipsi voluntati adiutoriū tribuitur, vt quod bene vult bene operetur. Deus enim qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua & donum illuminationis ad credendū, & donum perseuerantiæ ad proficiendum atq; permanendum, & donum

donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit præparauit, quique non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna atque incommutabili habet voluntate dispositum. Cuius prædestinationis veritatem quâ *nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo* testatur Apostolus, si-

Ephes. 1. 4. & 5.

quis detrectet cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante vltimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam quâ Deo viuo & vero rebellis obstitit non abiecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus *in Christo ante mundi constitutionem* gratis *elegit* & *prædestinauit* ad regnum. Pro quibus tamen nec oratio fidelium debet desistere, nec charitas aliquando torpere, vt Deus eis gratiam suæ illuminationis donet, per quam in eis *semen* diuini sermonis fructificet, qui frustra exterioribus auribus sonat, nisi Deus spirituali munere auditum hominis interioris aperiat.

LIBER PRIMVS
B. FVLGENTII
AD MONIMVM,
De duplici Prædestinatione Dei,
Vna bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam.

CAPVT PRIMVM.

Excusatio tarditatis responsionis.

LITTERAE tuæ, fili chariſſime Monime, quantum demonſtrant delectabilem tui animi ſinceritatem, laudabilemque ſtudij ſpiritalis ardorem: tantum noſtræ reſponſionis, querulâ benignitate, videntur arguere tarditatem. Tanquam in eo, minus quam debeo, te videar diligere, quod inquiſitionibus tuis non curauerim celeriter reſpondere. Sed crede mihi ſicut in charitate Chriſti, perſonam tuam nequaquam in corde meo contemptam: ſic reſponſionem meam, non voluntate, ſed occupationum varietate dilatam. Verumtamen inter ipſas occupationes, quas inuitus tolerare compellor, tantum ſtudio tuo congratulor, quantum tuâ charitate delector. Eo magis amplectens ſanctum auiditatis tuæ propoſitum, quod ſicut vere ſpiritalis negotiator *interioris hominis* lucra conſectans, & cœleſtium mercium quæſtus, magis ac magis amplificare deſiderans. Primum quod à me flagitas debitum, ſubinde cumulas fœnore quæſtionum: vt ſcilicet tuorum commodorum militet incrementis, ipſa noſtræ neceſſitas tarditatis. Proinde confido in miſericordia Dei noſtri, quia ſi quid mihi huius inquiſitionis ac diſputationis opere pro meo merito non conceditur, pro tuo mihi deſiderio concedetur. Neque enim inquiſitionem tuam Deus, inuentionis effectu fraudari vllatenus ſinet, qui te ad inquirendum ſpiritualiter inflammauit: dum ipſius fidele promiſſum, nulla ratione caſſatur, dicentis: *Pe-*

tite

Luc. 11. 9. *site & accipietis : quærite & inuenietis : pulsate, & aperietur vobis.* Internus igitur Magister, à quo subsidium doctrinæ cœlestis accipimus, non solum inquirentibus nobis, suorum aperit arcana sermonum : sed, vt etiam quæramus, ipse gratis inspirat affectum. Quia nec esurire panem illum, *qui de cœlo descendit*, possumus, nisi ab ipso fastidientibus esuries detur : qui se ad satiendos esurientes donare dignatur. Ab ipso etiam nobis est, quòd ad fontem sitientes currimus, qui se nobis tribuit, vt bibamus. Ipse igitur laudandus est, in vtriusque muneris gratia : siue cum nos ad se quærendum dormientes exsuscitat, seu cum se inueniendum nobis quærentibus donat. Qui profecto nullatenus inuenitur, nisi ipse nos excitet, vt quæratur.

Ioan. 6. 33. *Deus vt quæramus inspirat, & à quærentibus inuenitur.*

CAPVT II.

REuoluens igitur scripta tua, tanquam chirographa mea, vt ex his instruerer, quot, vel quarum tibi essem debitor quæstionum: duas ad præsens epistolas potui reperire. Vnam, continentem sancti Augustini verba, quæ in libro de Perfectione Iustitiæ hominis, de his qui ad meritum prædestinati sunt, inter alia posuisse cognoscitur. Cui alteram statim subiunctam quæstionem videor inuenisse, hoc est, de sacrificio, quod solo Patri quidam existimant immolari. In altera verò Epistola positam inquisitionem inueni. Quid est quod Apostolus duobus denarijs quos accepit supererogare potuerit ? Cum ergo has tantummodo duas Epistolas inuenirem, tertiæ quoque sum protinus recordatus, quæ mihi à Notario non fuit oblata. In qua memini vnam contineri de sancto Spiritu quæstionem : cur scilicet à Patre mittendus ad consecrandum sacrificium Corporis & Sanguinis Domini postuletur. Hæ sunt interim quatuor quæstiones, quarum tres, ex duabus epistolis tuis, vnam vero memoriâ suggerente recolui. Quod si positæ sunt aliæ, quas nobis misisti soluendas, nec in hoc inuenis opere positas aut solutas : quæso, vt non ad contemptum vel fastidium redigas, sed obliuioni patienter ignoscas. Præsertim, cum illam de Spiritu sancto, quam ego etiam Epistolâ non inuentâ, recolui, silentio præterire nequiui. Sed quia Tu cunctarum (siquæ forsitan sunt) sine dubio meministi, non te pigeat vt rescribente commemoret, Et spero,

Quæst.

quia inquantum dominus adiuuerit, noſtra reſponſio ſubſequetur, ſi præcedentis veſtræ orationis adiutorio fulciatur.

CAPVT III.

Primæ quæſtionis prædeſtinatione.

PRimæ igitur quæſtionis intelligentiam, in illius nomine quæſiturus, de quo ſcriptum eſt, *quia Dominus dat ſapientiam, & à facie eius ſcientia & intellectus:* hoc conuenientius atque commodius arbitratus ſum, vt tam verba tua, quam beati Auguſtini, quæ in tua epiſtola poſuiſti, reuoluerem: vt his relectis, facilius agnoſcatur tam intentio quam ſolutio quæſtionis. Legenti me, inquis, librum de perfectione iuſtitiæ hominis, teſtimonium Prophetæ, in ordinem relegens auditu cauto pedetentim paululum retractaui, vbi ait: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Et ſine aliqua nebula, ſine aliqua dubitatione expreſſit interpres ipſe veriſſimus, genus tale eſſe hominum, *quod non faciat bonum*: illud prædeſtinatum itaque ad interitum. Atque, vt tuus ſermo præfati ſancti viri fulciretur eloquio, eadem verba quæ à beato Auguſtino ſunt dicta, ſubnectens. Ait enim, inquis, idem glorioſiſſimus Auguſtinus. De illo enim bono, dictum id debemus accipere, quod ibi ait: *Deus de cælo reſpexit ſuper filios hominum, vt videret, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Hoc ergo bonum quod eſt *requirere Deum, non erat qui faceret: non erat vſque ad vnum*: ſed in eo genere hominum, quod prædeſtinatum eſt ad interitum. Hic dicta ſancti Auguſtini determinans, & ad me intentionem tuarum dirigens litterarum, dicis, ſentire me iam, cur iterum hæc inculces, ſcilicet quod ſæpius reluctanti te mihi, prædeſtinationem non tantum in bono dici, ſed etiam in malo, dum in malo prædeſtinationem te relegiſſe diceres, ipſe docens aiebam ad pœnam debitam, non ad malum faciendum, poſſe dici aliam prædeſtinationem. Quod etiam Tu, ſicut ſcripſiſti, confirmas. Scire te tamen aſſeris quid & hic reſpondeam, vt tuear ſententiam meam, hoc eſt, interitum non dici, niſi mortem. Et adiungis, interim legiſſe te hoc, & aſſeueraſſe etiam prædeſtinatum populum ad interitum. Deinde admones, vt conſiderem ipſius loci ſermonem: & vt doctor meorum diſcipulorum, non vt aſſertor mearum propoſitionum, faciam veſtra ſequenda cognoſcere.

Præmium.

Pſal. 13. 1.

Verbum Auguſtini.

Ibid.

Verba Auguſtini de gemina prædeſtinatione.

CAP.

CAPVT IV.

EGo quidem chariſſime, quantum, domino gratuitam gratiam largiente, modulum poſſum propriæ paruitatis agnoſcere ſub illo vno domino atque magiſtro, in eius ſchola poſitus, non fratrum meorum vocari magiſter aut doctor affecto: quorum in veritate condiſcipulus ſemper eſſe deſidero. Quapropter hoc ab illo vero domino ac magiſtro noſtro poſtulare non deſino, vt ea me, ſiue per eloquia ſcripturarum ſuarum, ſeu per ſermocinationem fratrum condiſcipulorumque meorum, ſiue etiam per inſpirationis ſuæ internam ſuauioremque doctrinam (vbi ſine ſonis ſermonum, & ſine elementis litterarum, eo dulcius, quò ſecretius, veritas loquitur) ea me docere dignetur: quæ ſic proponam, ſic aſſeram, vt in propoſitionibus atque aſſertionibus meis, veritati (quæ nec fallit nec fallitur) ſemper inhæream, ſemper obediens conſentiensque reperiar. Quoniam vt veritati obedire atque conſentire valeam, ipſa veritas illuminat, ipſa adiuuat, ipſa confirmat. Ab ipſa poſtulo doceri multo plura quæ neſcio, à qua accepi pauca quæ ſcio. Ipſam rogo, vt præueniente ac ſubſequente miſericordiâ, quæcumque ſalubriter ſcienda neſcio, doceat me: in his, quæ vera noui, cuſtodiat: me in quibus, vt homo, fallor, corrigat me: in quibus * veris titubo, confirmet, me: & à falſis ac noxijs eripiat me. Vt in cogitationibus ac ſermonibus meis, quod ſalubriter donat, inueniat: & ea faciat de ore meo procedere, quæ ſint coram ipſa principaliter grata: & ſic fiant fidelibus cunctis accepta.

Inuocatio auxilij ad modeſtia & Theologica.

* vtpo.

CAPVT V.

Pſal 17. 29. QVantum igitur, ipsâ veritate (quæ verum lumen eſt) *illuminante tenebras meas*, in huius quæſtionis ſcrutatione, facultas mihi eſt hactenus intelligendi conceſſa, nihil aliud accipiendum exiſtimo, in illo ſancti Auguſtini ſermone, quo ad interitum quoſdam prædeſtinatos firmat, niſi ad interitum ſupplicij, non delicti. Neque ad malum, quod inuiſè admittunt, ſed ad cruciatum, quem iuſtiſſimè patientur. Nec ad peccatum, quo primæ reſurrectionis beneficium, aut non accipiunt, aut amittunt: ſed ad tormentum, quod illis propria iniquitas malè parit, & æquitas diuina benè retribuit.

Reſponſio ad primam quæſtionem, quo modo iuſti quidam ad interitum prædeſtinati.

Nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur paruuli, vel in quam (sicut beatus Iacobus dicit) *concupiscentia sua abstracti & illecti recidunt criminosi*: Sed ad mortem secundam, quam necesse est patiantur, retribuente iustissimo iudice, seu qui ante perceptam gratiam baptismi discedunt de sæculo, siue qui *in vacuum gratiam Dei recipientes* post acceptum baptismum, vsque in finem præsentis vitæ, malunt *serui esse peccati*, nec volunt, dum *tempus est acceptabile, & dies salutis*, conuerti à via sua mala, vt viuant: *Et ignorantes, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducat, ipsi secundum duritiam suam, & impœnitens cor, thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* De illa ergo morte, quam sibi peccatores manibus & verbis accersierunt, & æstimantes eam amicam defluxerunt, dicitur: *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem animarum vestrarum, quoniam Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione viuorum.* Et alio loco de hac morte dicitur: *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius.* Quam *mortem*, vt ab opere ac prædestinatione Dei agnosceremus alienam, Deus ipse sic loquitur per Prophetam. *Conuertimini, & auertite vos ab omnibus impietatibus vestris, & non erunt vobis in pœnam iniquitatis. Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, quas impie fecistis aduersus me, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Et vt quid morimini domus Israël? Quoniam nolo mortem morientis, sed vt auertatur ipse à via sua mala, & viuat anima eius.* Hæc est *mors* impietatis, *quam non fecit Deus*, quæ *per diabolum introiuit in orbem terrarum.* In hæc *eum imitantur, qui sunt ex parte illius.*

Iacob. 1. 14.

2. Cor. 6. 1.

Rom. 2. 4. & 5.

Peccatorum mors non est à Deo prædestinata

Sap. 1. 12 & 13.

Sap. 2. 24 & 25.

Ezech. 18 30. 31. & 32.

CAPVT VI.

Deus huic morti duplam mortem retribuit.

HVic vni morti, quam peccator sibi per contemptum diuinæ iussionis, iniustè concupiscendo arcessiit, duplam Deus mortem iustè iudicando retribuit. Hoc est, primam, in separatione animæ & corporis, secundam, in æterna cruciatione animæ & corporis. Ac per hoc primam, qua discedente animâ, caro sola moritur: secundam verò, quando rediens in carnem anima, in eadem & cum eadem, in qua peccauit, carne torquetur. Vt cum qua communicauit mortem peccati, quod Dei bonitas interdixit homini, cum ipsa communicet mortem supplicij, quod parauit diuina iustitia peccatori.

Matt. 10 28. peccatori. De hac morte Saluator noſter dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Magis autem eum timete, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Quod ergo ante gehennam mali pereunt, non eſt diuini operis, ſed humani: Quod autem *in gehenna perituri* ſunt, hoc facit Dei æquitas, cui nulla placet peccantis iniquitas. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Et dicit Ioannes: *Quia omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas.* Et Deus per Prophetam dicit: *Quia anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* De filio autem Dei Ioan. dicit: *Scimus quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non eſt.* Sicut ergo *peccatum in eo non eſt*, ita peccatum ex eo non eſt. Quod autem ex eo non eſt, opus eius itaque non eſt. Quod autem nunquam eſt in opere eius, nunquam fuit in prædeſtinatione eius.

Pſal. 10. 6.
1. Ioan. 3 4.
Ezech. 18 20.
1. Ioan. 3 5.

Mors animæ in gehenna.

CAPVT VII.

NOn ergo prædeſtinati ſunt mali ad hoc, quod male operantur, *à concupiſcentia ſua abſtracti & illecti*: ſed ad hoc, quod iuſte patiuntur inuiti. Prædeſtinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia neceſſitas exprimitur, ſed miſericors & iuſta futuri operis diuini ſempiterna diſpoſitio prædicatur. *Deo autem miſericordiam & iudicium cantat in Eccleſia*, cuius hoc opus eſt in homine, vt occulto voluntatis ſuæ, non tamen iniuſto conſilio, aut gratuitam miſericordiam præroget miſero, aut debitam iuſtitiam rependat iniuſto. Imò aut miſericorditer debitori donet, quod ſi vellet, iuſtè poſſet exigere: aut iuſtè cum vſuris, quod ſuum eſt exigat, & iniquo debitori quod debetur, iniquitatibus reddat. Ac ſic, aut iſtum prorſus indignum *miſericordia præueniat*, aut illum ita dignum inueniat. Ipſe enim donat gratis indigno gratiam, qua iuſtificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, vt pręueniente miſericordiâ bonum velle incipiat, & ſubſequente miſericordiâ bonum, quod vult, facere valeat. Vtrumque autem prædeſtinando Deus præparauit in illa incommutabili voluntate, in qua ſic futurum effectum hominis renouandi diſpoſuit, vt eius voluntas in opere nouo noua eſſe non poſſit.

Pſal. 100 1.

Matth. 25. 27.

Quomodo ſunt mali à Deo prædeſtinati non ad culpam, ſed ad pœnam.

Deus ſolos iuſtos præuenit, damnandos inuenit.

CAP.

CAPVT VIII.

DOnat etiam gratiam digno, in retributione mercedis æternæ, vt scilicet, siue cum impium piè iustificat iustus: quia de ipso Apostolus dicit, *vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est Iesu*: seu cum iustum iustè glorificat pius: quia *quos iustificauit, illos & glorificauit*. Eadem sit operatio gratiæ, quæ meritum hominis bonum, & initiat ad iustitiam, & consummat ad gloriam. Primo inchoans in homine voluntatem bonam: deinde eandem voluntatem adiuuans inchoatam, vt eadem voluntas & diuino dono bona sit, & diuino adiutorio malam superare concupiscentiam possit, & Deo perficiente talis postmodum ipsa voluntas sit, vt malam concupiscentiam habere non possit. Ac si in præsenti vita gratiæ adiutorio infirmitati non cedat, in futura autem gratiæ beneficio infirmitatem non habeat. Et nunc recreetur continuo iuuamine medicaminis, tunc verò fruatur æterna plenitudine sanitatis. Hæc autem Deus, sicut in prædestinatione semper habuit, sic per gratiam, sicut prædestinauerat, facit. Prædestinationis itaque ipsius instituatur agnitio, cum dicit scriptura: *Et præparatur voluntas à Domino*. Non autem ob aliud *præparata* dicitur, nisi quia danda prædicitur. A quo enim *præparatur* per bonitatem sempiternam, ab ipso datur per indebitam gratiam. Quod ipse dominus Ezechielis vaticinatione testatur, dicens: *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vobis, & auferetur cor lapideum de carne vestra. Et dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in vobis. Et faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis: Et iudicia mea obseruetis & faciatis. Dat* ergò *Deus cor nouum, vt in iustificationibus eius ambulemus*, quod pertinet ad bonæ voluntatis initium: *Dat* etiam *vt iudicia eius obseruemus & faciamus*, quod pertinet ad bonæ operationis effectum.

Gratia Dei hominis meritum, & initiat ad iustitiam & cõsummat ad gloriam.

Quomodo præparatur voluntas à Domino.

Rom. 3. 26.
Rom. 8. 30.
Prou. 8. 35. iuxta 70.
Ezech 36 26. & 27.

CAPVT IX.

VNde cognoscimus Dei esse, & vt bonum facere velimus, & vt bonum facere valeamus. Cui sensui Dauid omnino concordat, gratiam beneuolendi sic ostendens diuinæ largitatis directione donari: *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet*. Opus quoque bonum non nisi à Deo in nobis, & in Deo à vobis fieri protestatur, dicens: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*. Et alio loco, *In Deo fati-*

A Deo est & voluntas & boni operis facultas.

Psal. 36. 23.
Psal. 67. 29.
Psal. 67. 14.

Psal. 67. 29. faciemus virtutem, id est, opus virtutis. Sic autem hic pro opere virtutis *virtutem* dixit fieri sicut Ioannes pro opere iustitiæ Psal. 59. 14. *iustitiam* dixit fieri. Ait enim: *Qui facit iustitiam, iustus est, sicut* 1. Ioan. 3. 7. *ille iustus est.* Paulus quoque optat à nobis Dei fieri voluntatem, dicens: *Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti aterni, Dominum nostrum le-* Heb. 13. 20. & 21 *sum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius.* Quid est autem *facere voluntatem eius*, nisi facere opera quæ nobis inspirat, & in nobis operatur voluntas eius? Tale aliquid & in ipsius redemptoris nostri sermonibus inuenimus, dum *veritatem* fieri dicit, pro opere veritatis. Sic enim loquitur: *Omnis* Ioan. 3. 20. & 21 *qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem: vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta.* Hoc autem in Deo facimus, quod Deo in nobis faciente datur nobis vt faciamus. Heb. 13. 21. Quod euidenter in epistola ad Hebræos ostenditur, vbi, cum de Deo dictum esset: *Aptet vos in omni bono, vt faciatis* Ibid. *voluntatem eius*, continuo sequitur: *Faciens in vobis quod placeat co-* Rom. 11. 36. *ram se.* Omne igitur opus, quod à nobis in Deo fit, Deus in Philip. 2. 13. nobis facit. *Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex* Prou. 8. 35. iux. a 70. *ipso* ergo est, & voluntas bona, & operatio bona. Quod Doctor gentium his verbis affirmat: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Propterea, sicut Salomon dicit, quia *præparatur voluntas à Domino*: sic etiam bona opera nostra Paulus à domino asserit præparata, hoc est, in Ephes. 2. 8. 9. & 10. prædestinatione dispositа. Dicit itaque: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis sed* Dei *donum est. Non ex operibus, vt ne quis glorietur; ipsius enim sumus factura, creati in* Christo Iesu *in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Sicut ergo *præparata* est per prædestinationem *voluntas à Domino*, qua bonum velimus: sic etiam *opera bona præparauit Deus, vt in illis ambulemus.*

In Deo faciemus virtutem id est, opus virtutis.

Qui facit veritatem, venit ad lucem.

Deus omne opus bonum in nobis ipse facit.

Præparatur à Deo per prædestinationem non solum voluntas, sed & opus bonū & vita æterna.

CAPVT X.

ATtendamus etiam vitam æternam, regnumque cœlorum diuinitus fide fidelibus præparatum. Ipse quippe Matt. 25 34. Christus dicturum se dextris ostendit: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi.* Sed & hoc ipsum opus est gratiæ. Ex gratia enim datur non solum iustificatis vita bona, sed etiam glorificatis vita æterna.

Quod Pauli tenemus prædicatione compertum, dicentis: *Stipendium enim peccati mors: Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu domino nostro.* Cur autem *mors stipendium*, *vita* vero *æterna gratia* dicitur? Nisi quia illa redditur, hæc donatur. Sed vbi illam Deus reddit, opus malum peccatoris hominis punit, quod nullatenus feciſſet homo, nisi diſceſſiſſet à Deo. Cum vero Deus vitam æternam donat, opus ſuum quod inchoauit *iuſtificans impium* perficit, glorificans iuſtum. Hæc autem vtraque *gratia*, id eſt, & vita bona, & *vita æterna*, *in Christo Iesu domino nostro* eſt. *De plenitudine quippe eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, ſcilicet *gratiam* glorificationis æternæ *pro gratia* iuſtificationis indebitæ, vt gratia iuſtificationis omne meritum malum deleat indebito beneficio: Et meritum bonum iugi confirmet auxilio, cui gratia glorificationis iuſtæ reddatur in præmio. *Gratia* autem etiam ipſa ideo non iniuſtè dicitur, quia non ſolum donis ſuis Deus dona ſua reddit: ſed quia tantum etiam ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamuis bonæ & ex Deo datæ, humanæ voluntatis atque operationis excedat. Quamuis enim non ſolum credendi in Chriſtum lumen, ſed etiam pro illo patiendi virtutem à Deo nobis donari B. Paulus Apoſtolus oſtendat, dicens: *Vobis enim donatum eſt, pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* Quod vtrumque pertinet ad gratiam præſentis bonæ vitæ. Illam tamen futuræ vitæ gratiam omnibus præſentis temporis paſſionibus anteponit, dicens: *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et alio loco: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Rom. 6. 23.

Ioan. 1. 16.

De plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam, pro gratia.

Philip. 1. 29.

Rom. 8. 18.

2. Cor. 4. 17.

CAPVT XI.

HAnc *gratiam* non ſolùm in præſentis vitæ iuſtificatione, ſed etiam in futuri ſæculi remuneratione, dicit *gratiam* permanere, & *ſuper nos*, hoc eſt, ſuper omnia bona cuiuſlibet hominis merita *in Dei bonitate* aſſerit *abundare*, dicens: *Vt oſtendat in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Christo Iesu.* Gratia eſt igitur retributio pia, qua Deus in præſenti tempore malis bona retribuit:

Ephes. 2. 7.

illis

illis videlicet, quos *iustificat impios*, vt *deputetur fides ad iustitiam*. De qua retributione Dauid dicit: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Gratia est, & illa iusta retributio, qua bonis suis meliora retribuens, Deus glorificaturus est iustos. Et hoc enim gratiæ opus erit. Quia vt hoc mereantur, ipsa præueniendo, misericorditer incipit: ipsa subsequendo custodit. Ista gratia in scripturis etiam misericordia nominatur. De qua dicit Dauid: *Deus meus misericordia eius præueniet me*. Et alio loco: *Misericordia tua subsequetur me, per omnes dies vitæ meæ*. Præuenit igitur impium, vt fiat iustus: subsequitur iustum, ne fiat impius; præuenit cæcum, vt lumen quod non inuenit, donet: subsequitur videntem, vt lumen quod contulit, seruet: præuenit elisum, vt surgat: subsequitur eleuatum, ne cadat: præuenit, donans homini bonam voluntatem: subsequitur beneualentem, operando in illo boni operis facultaem. Hoc igitur ista *misericordia Dei* in homine *subsequitur*, quod *præueniens* ipsa largitur. Et ideo non solum errantem iustificando ad viam reuocat, sed etiam benè ambulantem custodit & adiuuat, vt ad donum glorificationis æternæ perducat. Hæc autem omnia, id est, & vocationis nostræ initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit: quia & in vocatione, & in iustificatione, & in glorificatione sanctorum, gratiæ suę opera futura præsciuit. Ob hoc totum Deo assignat Apostolus dicens: *Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Verumtamen cùm simul iustificatos & glorificatos audimus, non simul & iustificationis & glorificationis opus præsenti tempori deputemus. Iustificationis enim gratia in præsenti datur; glorificationis autem futura seruatur. Ista est fidei, illa spei. Dicit autem Paulus: *Quia nunc per fidem ambulamus, nõ per spem.* quod enim nunc sancti credunt, tunc videbunt. Propter quòd Ecclesiæ dicitur: *Audi, filia, & vide*: quia *fides ex auditu*, vnde *iustus ex fide viuens*, fiducialiter dicit: *Credo videre bona Domini, in terra viuentium*. Iste igitur est in homine ordo diuinæ redemptionis ac remunerationis, vt nunc iustificatus credat, quod tunc glorificatus accipiat. Propter quod Paulus ait: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.*

Gratia & præueniendo incipit, & subsequendo custodit opus bonum.

In prædestinatione continetur omnis gratia vocationis, iustificationis, & glorificationis.

Rom. 4. 5
Psal. 115 3.
Psal. 58. 11.
Psal. 22. 6.
Rom. 8. 29 & 30.
2. Cor. 5. 7.
Psal. 44. 11.
Rom. 10 17.
Rom. 1. 17.
Psal. 26. 13.
Philip. 3. 12.

CAPVT XII.

His euntes eunt, venientes venient.

IN hac ergo iustificatione sancti *euntes eunt & flent, mittentes semina sua*: in illa verò glorificatione *venientes venient in exultatione, portantes manipulos suos.* In hac operarij patrisfamilias in vinea operãtur, in illa autem denarij mercede sine dubio potientur. Istam Deus nunc donat, vt initium meriti boni gratis indignus accipiat: illam vero in futuram repositam seruat, qua boni meriti præmium accipere dignus possit, qui boni meriti principium, cum esset indignus, accepit. Dicens igitur Paulus: *Quia quos Deus iustificauit, illos & glorificauit*, non vtrumque præsenti vitæ deputat, sed ea fide quod futurum est, velut factum firmat, quia fide propheta de Deo dicit: *Qui fecit quæ futura sunt.* In illa quippe immobilitate consilij sui, *secundum bonum placitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt.* In ipso ex æternitate dispositionis suæ, in prædestinatione iam *fecit*, quæcumque effectu operis sui, tempore congruo facienda disposuit. Sicut enim omne creatoris opus, sine initio non potuit, nec potest fieri, sic illa sempiterna voluntas eius, nunquam mutabilitati subiacet, quia initium existendi non habet. Quod autem semper sic est, vt esse non cœperit, proculdubio sic est, vt id quod est, non esse non possit. Vera igitur immutabilitas, dignè vera vocatur æternitas, in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ creator ille iam *fecisse* dicitur, quod in creatura mutabili, prout opportunè faciendum disposuit, sic ritè dispositum facit. Et ideo quæcumque promisit, iam facta dicimus, quia de faciendis dubitare non debemus. *Abraham* enim *pater noster* (sicut ait Apostolus) *in repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere.* Ideo ergo in Dei promissis, nulla est falsitas, quia in faciendis nulla omnipotenti est difficultas. Et propterea ibi nunquam deest voluntatis effectus, quia voluntas ipsa non aliud inuenitur esse quàm virtus. Quicquid autem vult, potest, qui quantum vult, tantum potest. Propterea de solo dignè dicitur: *Omnia quæcumque voluit fecit.* Et iterum: *Subest enim tibi, cum velis posse.* Ideo diximus tantam ibi esse virtutem voluntatis quanta est voluntas ipsa virtutis. Quia cui *semper subest, cum volet, posse*, non aliud est in illo velle quam posse.

Ad Rom.

Deus fecisse dicitur, quod faciendũ dum prædestinauit.

Promissa Dei certa sunt ex omnipotentia.

Psal. 125. 6. Matt. 20. 2. & 8.

Rom. 8. 30. Esa. 45. 11. iuxta 70. Ephes. 1. 9. & 10.

Rom. 4. 20. & 21.

Psal. 113. b 3. Sap. 12. 18.

CAP.

CAPVT XIII.

QVia ergo Deus nulla necessitate compellitur, vt aliquid nolens promittat: nullius vtique aduersitatis impeditur obstaculo, quod id, quod promisit, aut minus quàm vult, aut, tardius, faciat. Proinde potuit, sicut voluit, prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit ad iustitiam. Quos autem prædestinauit ad pœnam, non prædestinauit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum iustè peccare. Nullus autem hominum iustè peccat, quamuis eum iustè Deus peccare permittat. Iustè enim deseritur à Deo, qui deserit Deum. Et quia homo deserens Deum, peccat, deserens peccatorem Deus, iustitiam seruat. Quid autem magis iustum, quàm vt ille, qui desiderio peccandi iam peccat, pro eo quòd desiderans peccare, ipse sibi noxius efficitur, semetipsum peccato suo lædere permittat?

Iusta Dei prædestinatio ad pœnam præcedit peccatum.

In sanctis igitur coronat Deus iustitiam, quam eis gratis ipse tribuit, gratis seruabit, gratisque perfecit. Iniquos autem condemnabit pro impietate, vel iniustitia, quam in eis ipse non fecit. In illis enim opera sua glorificat, in istis autem opera non sua condemnat. Hoc itaque prædestinauit Deus, quod erat ipse facturus, aut quod fuerat largiturus. Illud vero nullatenus prædestinauit, quod siue per gratiam, seu per iustitiam facturus ipse non fuit. Proinde diligentissimè requirendum videtur, quid in his Deus operetur, quos gratis iustificat. Quid etiam in illis, quos iustè condemnat. Dicit enim eximius *gentium Doctor*: *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? Secundum hominem dico? absit.* Hic autem *iram* pro condemnatione posuit, sicut alibi Ioannes Baptista dicit: *Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Hanc *iram* Pharisæis & Sadducæis, cùm obiurgatione denuntiat dicens: *Genimina viperarum quis vobis ostendit fugere à futura ira? Ab* hac *ira nos* Dominus *Christus eripuit*, quod Paulus veridica prædicatione firmauit, dicens Thessalonicensibus, *Quomodo conuersi estis ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo & vero, & expectare filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura.* Hanc *iram*, id est, punitionem, quæ parata est malis, alio loco *interitum* vocat dicens: *Cum enim*

Sanctis gratiam, impijs iustitiã Deus tribuit.

Futura Dei ira condemnatio est ad pœnã.

Rom 3. 5 & 6.

Ioan 3. 36.

Luc 3. 7.

1. Thess 1 9. & 10.

1. Thess 5 3

dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient.

CAPVT XIV.

Ardua quæstio, an opera damnandorũ sint prædestinata, sicut opera iustorũ.

QVæramus itaque, vtrum credendus sit Deus iniquorum opera prædestinare, pro quibus eos condemnet, sicut in sanctis prædestinasse dicitur, quod coronet? Cum vero causam condemnationis iniquorum, & glorificationis sanctorum quærimus, non prædestinatos negamus, vel illos ad pœnam, vel illos ad gloriam. Sed vtrum, sicut creduntur prædestinata diuinitus opera bona, pro quibus glorificabuntur iusti, sic credenda sint prędestinata diuinitus opera mala, pro quibus in æternum punientur iniusti? Dicitur enim in libro Psalmorum: *Iniusti punientur, & semen impiorum peribit, salus autem iustorum à Domino.* De vtrisque & Saluator noster dicit: *Tunc illi ibunt in combustionem æternam: Iusti autem in vitam æternam.* In vtrisque ergo, id est, iustis & iniustis, tria quædam consideranda existimo, initium voluntatis, progressum operis, finem retributionis. Vt in his quæcumque iusta & bona videmus, iusto & bono Deo demus, illa autem Deo indigna nouerimus, in quibus nec bonitatem nec iustitiam inuenimus. Et considerata operum qualitate, illa credamus à Deo prædestinata, quæ misericordiæ vel æquitati diuinæ condigna reperiuntur, & congrua: *Misericors enim & miserator & iustus dominus.* Ac primo totius bonæ voluntatis initium, ab illa sempiterna Trinitate, quæ vnus solus & verus est Deus, & prædestinatum confitemur & datum. Hoc enim homini gratuita iustificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædestinatione præparauerat tribuendum. Hanc voluntatis præparationem, superius sanctæ scripturæ testimonio demonstraui, quo dictum est, *præparatur voluntas à domino.* Ab ipso ergo *voluntas præparatur, qui in nobis & velle & perficere,* misericorditer *operatur.* Dixit enim Apostolus: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Loquens etiam Deus per Prophetam, seipsum facere confirmat quod fidelibus donat vt faciant, secundum illud oracultum, quod est à nobis supra iam positum quo dixit: *Et faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis.* Quid est autem, *faciam* vt faciatis, nisi mei erit operis omne bonum, quod operati fueritis. Ipse ergo *facit*, vt faciamus, quo

Psal 36. 38. & 39. Matt. 25 46.

Initium bona voluntatis prædestinatum à Deo.

Psal. 111 4.

Prou 8. 35. iuxta 70.

Philip. 2. 13.

Ezech. 36 27.

Deus facit vt faciamus bonum.

Heb. 13. 21. quo *in nobis operante*, fit omne bonum quod facimus. De quo dicitur ad Hebræos: *Aptet vos in omni bono faciens in vobis quod placeat coram se.* Demonstrat itaque Dei gratia in bona voluntate & operatione hominis, futuræ quoque retributionis gloriam, quæ donabitur sanctis, quis diuinæ gratiæ non esse contendat? cùm siue credentes, siue operantes, licet Matt. 9. 29. nostra sit fides, & nostra sint opera, sicut ipse dominus dicit: *Secundum fidem tuam fiat tibi.* Et beatus Ioannes prædicat: 1. Ioan. 5 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra.* Paulus quoque ita scribit: *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus* Rom. 1. 8. *vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Opera quoque nostra dominus ipse testatur dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes vestra bona opera, glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Tamen quia ista cum habemus, 1. Cor. 2. 12. non habemus ex nobis nata, sed *à Deo donata*, sicut Apostolus dicit: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sint nobis* Et quia quæcumque nobis facienda donat, sicut habere non possumus, nisi ipse nobis largiatur, sic facere non possumus, nisi ipse nobis quæ largitus est operetur.

CAPVT XV.

Non debemus nobis aliquid boni operis, tanquam nostrū adscribere.

PRopterea nullatenus finimus, immò salubriter prohibemus, tam in nostra fide, quàm in nostro opere tanquam 1. Cor. 4. 7. nostrum nobis aliquid vendicare. Dicit enim, *Vas electionis: quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et in sancto Euangelio Præcursoris Ioan. 3. 27. dominici vox est: *Non potest homo accipere quidquam, nisi datum ei fuerit de cælo.* Iacobus quoque Apostolus protestatur: Iacob. 1. 17. *Quia omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à patre luminum.* Quod est autem magis *donum perfectum*, quam glorificatio futura sanctorum? Nunc enim diuinorum munerum (vt ita dicam) nondum est perfecta perfectio, vtpote, vbi omnis perfectus perfectionis est indig- Philip. 3. 15. nus. Namque ille, qui dixit: * *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*, idem dicit: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.* Ibid. 12. Fuit ergo perfectus spe futuræ glorificationis, fuit autem imperfectus onere corruptionis & mortalitatis: Sap. 9. 15 *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Fuit perfectus expectatione muneris, fuit imperfectus fatigatione certaminis. Fuit

In hac vita nemo perfectus nisi spe futuræ gloriæ.

* Alias quinimo quoque.

perfe-

Paulus fuit hic & perfectus & imperfectus.

perfectus, quod *mente seruiebat legi Dei*, fuit imperfectus, quod *carne seruiebat legi peccati*. Fuit perfectus, *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*, fuit autem imperfectus, quia *quamdiu fuit in corpore, peregrinabatur à domino*. Fuit perfectus, *plenissimè sciens, quia Deus, quæcumque promisit, potens est & facere*: fuit autem imperfectus, quia Deus in sanctis suis quædam nondum fecit ex omnibus quæ promisit. *Propter quod etiam omnes antiqui iusti* (sicut idem Apostolus dicit) *testimonio fidei comprobati non acceperunt repromissionem Deo pro nobis melius prouidente, ne sine nobis perficerentur.* Sicut ergo præcedentes sancti *testimonio fidei comprobati*, non sunt sine subsequentium perfectione perfecti: sic subsequentes sancti non possunt sine præcedentibus perfici. Donum itaque perfectum tunc omnibus dabitur, quando sanctis æterna glorificatio tribuetur. Tunc sicut *Veritas* dicit: *Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui*. Illius est igitur etiam hoc *donum perfectum*, à quo est doni totius initium. Quod vtique donum non diceretur, si non etiam hoc ex gratia donaretur.

Philip. 1. 23. 2. Cor. 5. 6. Rom. 4. 21. Heb. 11. 39. & 40. Matt. 13. 43.

CAPVT XVI.

Gratis operatur Deus saluum nostram ordinatis actibus.

VNus autem Deus est, qui gratis & vocat prædestinatos, & iustificat vocatos, & glorificat iustificatos. Sicut autem nō est aliud iustificare, nisi iustos facere: sic non est aliud glorificare, nisi glorioſos facere. Proinde, quia Deus suos & iustificat & glorificat, sicut gratiæ ipsius opus est, cum facit iustos: sic gratiæ ipsius erit, cum faciet glorioſos. Quia sicut nemo potest habere veram iustitiam, nisi fuerit iustificatus: sic nemo potest habere veram gloriam; nisi fuerit glorificatus.

Rom. 8. 3 c.

Vera gloria à solo Deo est.

Vnde autem sit vera gloria, Saluator noster cum Iudæos increparet ostendit, dicens: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Hunc sensum habens Paulus & veraciter dicens: *Nos autem sensum Christi habemus*, sicut *gloriam* veram *à Deo esse* nouerat; ita *iustitiam* veram *ex Deo esse* confirmat dicens: *Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide.* Et quamuis abundent plurima documenta, quibus clareat, non solum bonæ voluntatis, bonæque operationis gratiam, sed etiam ipsam sanctorum glorificationem, diuinitus & inchoari prorsus & perfici: tamen arbitror etiam hæc, quæ à nobis posita sunt, vtcumque sufficere.

Ioan. 5. 44. Philip 3. 9.

CAP.

CAPVT XVII.

ET ideo iam, vt libelli series temperetur, malorum quoque voluntatem, operationem, ac retributionem considerare debemus. Vt agnoscamus vtrum malos Deus iustus ad hoc prædestinauerit faciendum, quod in eis puniturus est factum. An idcirco iniquos ad supplicium iuste prædestinauerit, quia eorum mala opera, licet futura præsciret, non tamen ipse prædestinauit vt futura essent, quia non ipse fecit vt fierent. *itaq; si initium peccati* requiritur, nihil aliud, nisi *superbia* inuenitur Dicit enim scriptura: *Initium omnis peccati superbia.* Quæ itaque tunc initium sumpsit, cum angelus aduersus Deum elatus, & ipsa elatione prostratus, per concupiscentiam (quæ *radix est omnium malorum*) volens vsurpare, quod illi datum à Deo non fuit, à Deo discessit, & cecidit, in quo si stetisset, non cecidisset. Sed per concupiscentiam malam, qua concupiuit plus extra se, minus factus est in se. Quam concupiscentiam, licet explere nequiuerit opere, tamen retinuit voluntate. Sic ipse sibi iam factus est pœna, vt supplicium semper esset malo voluntas mala, tanquam cæco ipsa cæcitas sua. Et concupiscentia peccandi tormentum fieret peccatori, & rebellis ac refuga, qui illam imperturbabilem requiem fugeret, deinceps perturbationi seruiret, atque à bono domino relinqueretur iustè, quem ipse reliquit iniustè. Ita factum est, vt perseuerans inordinatus ex se, ordinaretur in se: & in eo, qui in se ordinem perderet, diuini ordinis ratio non periret. Hoc & in homine contigit, quem ipse diabolus serpentina calliditate deiecit. A domino quippe bono dissentiens, & seruo malo consentiens, malæ voluntatis affectum plenum adipisci non potuit: quia ipsa malitia voluntatis à Deo non fuit. Hanc enim, si à Deo non discederet, non haberet.

Secunda pars primæ quæstionis supra positæ.

Eccl. 10. 15.

Initium omnis peccati superbia.

1. Tim. 6. 10.

Casus & pœna luciferi.

Casus primi hominis.

Gen. 3. 1. & seq.

CAPVT XVIII.

BOnus ergo Deus bonarum est conditor naturarum. *Vidit enim Deus* (sicut scriptum est) *omnia quæ fecit, & ecce bona valde.* In quibus omnibus quæ fecit, rationalem creaturam meliorem cæteris fecit. Sic tamen potiori creaturæ magis voluit inesse bonum, vt etiam infimæ creaturæ nullum inesset substantialiter malum. Ac per hoc, superius esse infimo bono melius creatum bonum, cui summum bonum (quod creatum non est, & à quo omne mutabile bonum creatum est)

Gen. 1. 31.

Rationalis creatura beata nō potest esse nisi creatore plus diligat quam seipsam.

est) iustè dominaretur. Cuius etiam participatione beatum esset, si summo bono humili dilectione seruiret. Creaturæ quippe rationali alia beatitudo nec potuit, nec potest esse, nec poterit: nisi vt agnoscens, à quo non solum facta, sed etiam à quo rationalis est facta, maiorem dilectionem exhibeat bono creatori quam sibi. Neque enim ei inesse posset vllatenus ratio, nisi ei posset creatoris inesse dilectio: quia nec est alia, quæ vera sit sapientia vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio creatoris, in qua tanto magis minúsve est dilectio sui, quanto magis minúsve dilectionem suo exhibet creatori. Voluntas porro creaturæ rationalis, sine qualicumque amore non potest esse: nec sic potest diligere, vt amorem suum non velit ad aliquid religare, quæ inter summum bonum, à quo creata est, & infimum bonum cui prælata est, medio quodam loco posita, profecto aut in infimo bono necesse est miserabiliter iaceat, aut in summo bono veraciter feliciterque requiescat. Quodam etenim amore rapitur, seu cum obedientia subleuatur, & creatori bono bene subijcitur: siue cum superbia deprimitur, vt creaturæ bonæ malè dominetur. Sicut enim fit elatione humilis, sic fit humilitate sublimis. Dicit enim dominus & Magister noster: *Omnis qui se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Propter quod item scriptum est; *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Neque vero Deus humiles quibus *dat gratiam*, ante datam humiles inuenit: sed dando gratiam, humiles facit. Hoc ipsum enim gratiam, Deus per gratiam donat: vt quisquis eam acceperit, humilis fiat. Propter quod ipse Vnigenitus sanctæ humilitatis doctor atque largitor dicit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* Hanc *requiem* perdiderunt, qui humilitate reiecta aduersus vitam suam tumuerunt, & in mortem per superbiam reciderunt. De talibus enim dictum est: *Deiecisti eos, cum extollerentur.* Talibus autem propterea *Deus resistit*, quia in eis superbiam ipse non fecit: per quam iniustè malunt in peccatum cadere, & per quam iustè merentur in peccato permanere.

Voluntas rationalis, si se Deo subijcit sublimatur, si se effert deprimitur.

Deus humiles facit.

Luc. 18. 14. Iacob. 4. 6.

Deiecisti eos cum extollerentur.

Matt. 11. 29.

Psal. 72. 18.

Initium non ex Deo, sed ex superbia est.

CAPVT XIX.

PRoinde, quia *initium* malæ voluntatis *superbia est*, quæ ex Deo non est, perspicuè claret, non ex Deo esse, hominibus

bus interitum malæ operationis, sed à iusto iudice retribui malis interitum vltionis. Mala quippe voluntas non pertinet ad optimum creatorem: iusta vero iniusti angeli hominisque damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinauit, quia homini eam daturus ipse non fuit. Quomodo enim *Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit,* prædestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit? Itaque peccare in hoc homo cœpit, in quo à Deo discessit. Scriptum est enim: *Quia initium superbiæ apostatare à Deo.* Et alio loco: *Ecce omnes, qui se elongant à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Isti ergo, *qui se elongant & fornicantur à Deo,* vtique peccando pereunt, per suam malam voluntatem, quæ non est ex Deo. *Perdet* autem *illos Deus* iustè iudicando, quod competit Deo. Non enim eos Deus iudicio perderet, nisi per suas iniquitates ipsi perissent. Scriptum est enim: *Defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* Defectus ergo à summo bono ad infimum bonum, hoc est peccatoris proprium & voluntarium malum, quo malo seipsum perdit iniustus. Et quia huic malo auctor non est Deus, sed homo peruersus, dignè itaque homini, qui se perdidit peccato, redditur in tormentis æterna perditio, vt pereat quidem, qui perite voluit, non tamen sic pereat, quemadmodum voluit. Qui enim sic peribit, delectatione peccatorum illectus, vt si posset fieri, maneret in opere peccati perpetuus: iustè quidem est in perditione peccati dimissus, quo propria cecidit voluntate. Sed non ibi fuit impune dimittendus, ne *Deus fidelis, in quo non est iniquitas*: qui est *iustus & sanctus*, si peccatorem semper in peccato relinqueret impunitum, putaretur illi placere peccatum. Quam sententiam in quibusdam Deus arguit, per Malachiam prophetam, qui dicunt: *Omnis qui facit malum, bonus est coram domino, & ipse in eo placuit, & vbi est Deus iustitia.* Iustè igitur est subsequuta seueritas iudicis, vbi præcessit iniquitas peccatoris, quia illius rei Deus vltor est, cuius auctor non est, id est, iniquitatis, quam potest Deus punire, non facere. Scriptum est enim: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum, est iniquitas. Et scitis, quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est: Omnis qui in eo manet, non peccat.* Et iterum: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas, iustus & sanctus dominus. Iniquitas* igitur, quia *in Deo non est*, vtique ex Deo nō est.

Gen. 1. 27.
Eccl. 10. 14.
Psal. 72. 27.
Initium superbiæ apostatare à Deo.
Ibid. 19.
Defecerunt perierunt propter iniquitatem suam ibidem.
Malac. 2 17.
Deus peccati vltor est, non auctor.
1. Ioan. 3. 4. 5. & 6.
Deut. 32. 4.

CAPVT XX.

Iniquitas ex inordinato amore mundi.

QVæ est autem iniquitas, nisi mala concupiscentia? quam ex Deo non esse Ioannes Apostolus manifestat, dicens: *Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo, quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est.* Hic autem *mundi* nomine, homines significat mundi istius dilectores: qui non ideo pro dilectione mundi puniendi sunt, quia aliquam substantiam malam diligunt, cum substantia naturaliter nulla sit mala, sed quia dilectionis ordinem non tenentes, dum plus iusto *diligunt mundum*, minus DEUM *diligunt*, quam diligere debuerunt. Non autem aliquid ordinatum Deus fecit, nec aliquid inordinatum fieri prædestinauit, qui per Apostolum suum imperat, vt *omnia honestè & secundum ordinem fiant.* Propter quod & in sanctis eloquijs, vt peccatum vitetur, charitas præcipitur. Scriptum est enim: *Ordinauit in me charitatem.* Huic ordini congratulatur Apostolus dicens: *Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum gaudens, & videns ordinem vestrum.* Peccati vero initium si attendatur, puto, quod nihil est aliud, quam inordinatarum rerum inordinata rationalis creaturæ dilectio, quæ sponte perdendo dilectionis ordinem perdidit & salutem. Ad hoc non est à Deo prædestinata rationalis creatura. Neque enim alia est eius prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio. In qua nullius causa mali poterit inueniri, quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati.

1. Ioan. 2. 15. & 16.

1. Cor. 14. 40.

Cant. 2. 4.

Coloss. 2. 5.

Peccati initium inordinata dilectio.

CAPVT XXI.

Misericordiam & veritatem diligit dominus.

MIsericors etenim DOMINVS & iustus, de quo alio loco Scriptum est: *Misericordiam & veritatem diligit DOMINVS DEVS.* In omnibus ergo operibus eius, aut iusta *veritas* custoditur, aut pia *misericordia* prærogatur. Porro autem, cum negare non possimus, à DEO bono factum hominem bonum, si dixerimus eum à DEO prædestinatum ad opus aliquod malum, nos DEO misericordi & iusto tale opus (quod absit) adscribimus, vbi nec *misericors* possit inueniri, nec *iustus*. Si enim cum à DEO fieret homo, sic erat in præsenti opere DEI bonus, in prædestinatione eius malus, proculdubio DEI opere malus futurus erat, à quo ad peccandum prædestinatus fiebat. Vbi statim illa consequetur absurditas, vt dicatur, quia

Psal. 83. 12.

DEVS

Esa. 45. 11. iuxta 70.

DEus, de quo Propheta dicit: *Qui fecit quæ futura sunt*, in se habuit (quod absit) iniquitatis originem, si hominem à se factum ipse prædestinauerat peccatorem: prædestinatio enim eius, præparatio est operum eius. Et sicut competit DEO bono, vt causa sit totius operis boni, sic incongruum est, vt imputetur causa cuiuslibet operis mali. Deinde attendamus, quia nulla ratio redditur, qua homo ad peccatum prædestinatus à Deo credatur. Si enim in his, *Quos* DEus *& pater* Ephes. 1. 3 4 & 5. *Domini nostri Iesu Christi benedixit in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo Iesu, sicut elegit eos in ipso ante mundi constitutionem, vt essent sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit eos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Si ergo in his causa prædestinationis quæratur, non vtique alia, sed sola gratuita DEI misericordia reperitur. Psal. 102 3. & seq. Ipse est enim de quo dicit Psalmus: *Misericors & miserator Dominus, longanimis & multæ misericordiæ: non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur: non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quia secundùm altitudinem cæli à terra elongauit iniquitates nostras à nobis. Sicut miseretur pater filijs, ita misertus est dominus timentibus eum.* In his omnibus tot ac talibus bonis, quæ DOMINUS retribuit malis, quid aliud quam indebita misericordia canitur? quid ve aliud quam gratuita pietas prædicatur? Nam & in eo, quod non *secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis* gratuita manifestatur iustificatio impiorum. Et in eo, quod *sicut miseretur pater filijs, ita misertus est* DOMINUS *timentibus eum*, gratuita claret per eandem fidei iustificationem *adoptio filiorum.* Neque enim *sicut pater* Ioan. 1. 12. *filijs, misereretur*, nisi nobis gratia pater factus, nos sibi filios facere dignaretur: *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios* DEI *fieri.*

Non prædestinat Deus hominem ad peccandū

Prædestinatio bonorum est ex gratuita Dei misericordia

Sicut pater filijs, ita dominus se timentibus est misertus.

CAPVT XXII.

HÆc est in sanctis causa prædestinationis diuinæ, præparatio scilicet iustificationis & adoptionis indebitæ, quam, quia non merebatur voluntas hominis mala, non est eius causa, nisi sola DEI voluntas bona. In his autem, qui putantur prædestinati, non ad luenda supplicia, sed ad perpetranda peccata cum causa prædestinationis quæritur, non inuenio, quid respondere posset, quisquis hanc asserere meditatur,

Absit vt dicamus hominem à Deo prædestinari ad perpetranda peccata.

ditatur. Nunquid enim sicut rectè dicimus, ad hoc prædestinatos sanctos, vt Deo in eis misericorditer operante, ex malis fierent boni, & ex impijs iusti. Quod cum dicimus, ad Dei gloriam dicimus. Nunquid sic rectè dicere poterimus, ad hoc prædestinatos iniquos, vt Deo in eis, etsi non misericorditer, saltem iustè operante, ex bonis fierent mali, aut ex iustis fierent impij. Absit hoc à nobis, atque ab omnibus Christianis, vt causam cuiuslibet peccati quisquam deputare diuinæ audeat æquitati. Cum nec malitiæ, nec impietatis cuiusquam causa esse possit, nisi in eo, qui malus atque impius fuerit. Vt ergo ex malis fiant homines boni, & ex impijs iusti, laudanda est Dei misericordia. Vt autem ex bonis fiant homines mali, aut ex iustis iniqui, si diuinæ prædestinationis asseritur causa, erit (quod absit) vituperanda iustitia. Quinimo nec iustitia iusta dicetur, si puniendum reum non inueniisse, sed fecisse dicatur. Maior vero erit iniustitia, si lapso Deus retribuit pœnam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam.

CAPVT XXIII.

In homine quem Deus recte fecit, non est prædestinata mala voluntas.

QVæro autem, cur primum *hominem*, quem (sicut scriptum est) *fecit dominus rectum*, prædestinare potuerit ad peccandum, id est, ad voluntatem malam, quæ est totius origo peccati, quam vtique aut retribuisse Deum nondum peccanti homini, aut retribuisse credendum est peccatori. Hanc itaque si nondum peccanti homini tribuit, ipse (quod absit) auctor iniquitatis extitit, qui malam voluntatem dedit homini bono, per quam peccans, æterno meretur puniri supplicio. Et vbi est, *quia* Deus *mortem non fecit?* Et quia *non est iniquitas apud* Deum? Et *quia iustus dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius?* Si autem malæ voluntatis initium peccatori homini non tribuit, sed retribuit Deus, vt ab homine credatur cœpisse peccatum, à Deo autem tanquam à iusto iudice redditum malę voluntatis initium dicatur, quod peccatum homo facere potuit, in quo voluntas mala non fuit? cum nullus fructus iniquitatis exoriri possit, nisi quem radix voluntatis malæ protulerit. De *corde enim* (sicut veritas ait) *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Propter quod Deus ipse per Hieremiam sic humanæ

Eccles. 7. 30.

Sap. 1. 13 Psal. 10. 8.

Mala hominis voluntas non est Dei plantatio

Matt. 15. 19.

humanæ malitiam voluntatis obiurgat, vt eam à se alienam esse perdoceat. Dicit enim: *Ego te plantaui vineam fructiferam,*
Ierem. 2. 21. *quomodo conuersa es in amaritudinem vitis alienæ? Alienam* vtique à se *vitem* dicit non vitio diuinæ conditionis, sed auersione propriæ voluntatis, quæ iustè culpatur, pro eo quod *amaritudinem* protulit, quam in ea Deus ipse non fecit. Quoniam ipsam *amaritudinem*, nec ex Dei prædestinatione, nec ex Dei opere, sed ex malitia suæ voluntatis habuit. Pro qua *amaritudine* sic eam Deus per supra memoratum Prophetam de-
Ibid. 19. nuo increpat: *Scito quam malum est tibi & amarum reliquisse Dominum Deum tuum, & non esse timorem meum apud te.* Cum ergo hoc sit homini *malum & amarum reliquisse Dominum, & timorem Dei apud eum non esse*, quis ita sit contrarius veritati, vt putet à *bono ac suaui Deo* (de quo scriptum est:) *Quam bonus Deus Israel rectis corde?* Et quia *nemo bonus nisi solus Deus*, & de quo Apostolus dicit: *Vt ostendat in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos.* Et de cuius suauitate canitur: *Gustate & videte quam suauis est Dominus.* Et de cuius eloquiis denuo prædicatur: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo.* Et rursus: *Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsis, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum.* Quis ergo putet à *bono* ac *suaui Deo* prædestinatum hominem aut ad malitiam voluntatis, quâ bonum *Deum relinqueret*, aut ad *amaritudinem* contumaciæ, qua *suauem dominum non timeret*? Proinde fidelibus congruit credere & fateri *Deum bonum & iustum*, præscisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum (neque enim vel futura essent, si in eius præscientia non fuissent) non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum, quia si ad peccatum aliquod hominem Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret, Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum iusta punitio. Nunquam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædestinare, quod ipse disposuerat & præcepto prohibere, & misericordia diluere, & iustitia punire. Iniquos itaque quos præsciuit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinauit supplicio interminabili puniendos, in quo, sicut culpanda non est præscientia humanæ iniquitatis, ita prædestinatio iustissimæ laudanda est vltionis, vt agnol-

Psal. 72. 1. Matt. 19. 18. Ephes. 2. 7. Psal. 33. 9. Psal. 118. 103. Psal. 18. 11.

Suauis & bonus dominus nō creauit animaduersionem & malitiam voluntatis peruersæ.

Præscisse quidem Deus homines peccaturos, sed eos ad peccandum non prædestinauit.

CAPVT XXV.

QVod si quis quærat, cur Deus omnia quidē prædestinata prædixerit, nō tamen omnia prædestinata promiserit? Respondemus, promissionem dici non posse, nisi cum aliquid ad hoc prædicitur faciendum, vt possit ei cui promittitur, prodesse iam factum. Et promissum semper esse doni, non semper esse iudicij, cum promissi largitas semper lætificet, iudicii verò severitas aliquandò contristet. Quod Propheta metuens huiuscemodi ad Deū orationē effūdit: *Ne intres in iudiciū cū servo tuo,* *Psal. 142.2.* *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Sciebat enim cunctos pari retinendos punitionis vinculo, nisi Deus in quibus vellet misericordiam feciſſe; superexaltaret iudicio. Iustificatio igitur & glorificatio quæ non est homini ex homine, sed ex Deo, quia multum sanctis fuerat profutura, ideò prædicta est & promissa. Punitio vero, quæ in æternum fuit impiis obfutura, prædicta est tantùmmodò, non promissa. Quod etiam divinis testimoniis faciliùs ostenditur. In illo quippè Prophetæ loco vtrumque pariter invenitur expressum, vbi Deus per Esaiam eos *qui sibi* non *serviunt*, his arguit verbis: *Ecce qui serviunt mihi, manducabunt; vos verò esurietis. Ecce qui serviūt, mihi bibent, vos verò sitietis. Ecce qui serviunt mihi, lætabuntur, vos verò confundemini. Ecce qui serviunt mihi, exultabunt in lætitia; vos autem clamabitis propter dolorem cordis vestri, & à contritione spiritus vlulabitis.* In his omnibus, quæcumque ad iniquorum personam pertinent, prædicta sunt tantùmmodò, non promissa. Neque enim dicendum est, bonitatis largitate promissum, quod intendat iniquitatis merito severitas inferendum. Si qua verò ad personam servientium Deo pertinent, & prædicta sunt & promissa. Tale aliquid est etiam in illo Salvatoris nostri sermone, quo ait: *Tunc illi ibunt in combustionem æternam,* *Mat. 25.46* *iusti autem in vitam æternam.* Prædixit & promisit præmium, quo fruerentur iusti, non autem promisit, sed prædixit supplicium, quo punientur iniusti. Neque verò, sicut prædestinavit sanctos ad iustitiam accipiendam, sic prædestinavit iniquos ad eandem iustitiam amittendam, quia *misericors Dominus & iustus*, potuit gratis à pravitate liberare quem voluit, pravitatis autem operator nunquàm fuit, quia pravus nun-

Esai. 65.13. & 14.

Psal. 114.5

Verba Esaiæ de futura retributione.

quàm aliquis fuit, nisi in quantum à Deo discessit. Nec discessurum Deus prædestinavit, quàmvis discessurum cognitio divina præsciverit.

CAPVT XXVI.

Deus de malis impiorũ operibus operatur bonũ

DEus itaque licet auctor non sit malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum, & de malo opere cuiuslibet mali non desinit ipse bonum operari. Nec in ipsis iniustæ voluntatis operibus deserit operum suorum iustum ordinem, quia & hoc in ipso ordine habet quod malam iustè deserit voluntatem. Quam tamen sic in suis malis operibus, à se discedentem deserit; vt ibi permittentis Dei operatio bona non desit, dùm & in peccatis voluntate iniustâ implet ipse iustitiam, & de malo, quo peccantem iudicat, quibus ipse vult beneficium prærogat. In sanctis igitur perfecturus est Dominus, quod vt essent boni, gratis dedit. Quod autem daturum se præscivit, in æterna bonitatis dispositione prædestinavit. Ipsa est enim prædestinatio Dei, sempiterna scilicet dispositio futuri operis Dei. Porrò autem in iniquis puniturus est, quod vt essent mali, non dedit, nec eos ad iniquitatem aliquam prædestinavit, quia vt iniquè vellent, hoc eis daturus ipse non fuit. Et quia malæ voluntatis perseverans iniquitas invlta remanere non debuit, tales ad interitum prædestinavit, quia talibus iustæ punitionis supplicium præparavit. Quod vtique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo quod à se ostendit *paratum*, non solùm *regnum*, vbi lætẽtur boni, sed & *ignem æternum*, vbi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi*: malis autem dicturus est: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Ecce ad quod Dominus iniquos & impios prædestinavit, id est, quod supplicium iustum, non ad aliquod opus iniustum: ad pœnam, non ad culpam: ad punitionem, non ad transgressionem: ad interitum, quem ira iusti iudicis peccantibus reddit, non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas provocavit. Quod Beati Apostoli prædicatio manifestat, qui malos, quos in æternum damnaturus est Deus, *vasa* vocat *iræ*, non culpæ. Ait enim: *Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata*

Aliter igitur Deus bonos aliter malos prædestinavit,

Mat. 25. 34

Ibid. 41.

Mali dicũtur vasa iræ, boni vasa misericordiæ.

Rom. 9. 22. & 23.

aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam. Quæro Monime charissime, vt hunc Apostoli locum & diligenter attendas. Notum namque est, *iram Dei* dici non posse, nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse. Neque enim Deus aut ignarus esse potuit, aut iniustus, qui posset aut peccantis hominis culpam non agnoscere, aut non peccanti iudicium punitionis inferre. Nam & ipse B. Paulus in *iniquitate* hominis *iustitiam Dei* prædicat *commendari*, vt ostendat, non iniustè *iram* omnipotentis *inferri*. Ait namq; :

Rom. 3. 5. & 6. *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? nunquid iniquus Deus, qui infert iram? (secundùm hominem dico) absit, alioquin quomodò iudicabit Deus mundum?* Non itaq; frustrà talis est ab eo facta inter puniendos glorificandosque discretio, vt illos vocaret *vasa iræ*, istos autem *vasa misericordiæ*, nisi vt ostenderet, tàm in *vasis iræ*, quàm in *vasis misericordiæ* iniquitatem propriam præcessisse. Talis est Dominus verus, cui vt gratuita sit *misericordia*, & *ira* non sit iniusta: ac per hoc, & illos indignos præueniat bonitate, quos iustificat; & illos dignos inueniat punitione, quos damnat: ac sic appareat, & in *vasis misericordiæ*, nõ ex ipsis; sed ex Deo esse, quod boni sunt & in *vasis iræ*, nõ ex Deo, sed ex ipsis esse quod mali sunt. Posset enim Apostolus, quos dixit *vasa misericordiæ*, potiùs vasa iusti tiæ nũcupare, sed si vasa iustitię vocarentur, forsitan ex se ipsis habere iustitiã putarẽtur. Nunc autẽ cũ *vasa misericordiæ* dicit, procul dubiò, quid ipsi fuerint, non tacuit, quia quid eis à Deo collatum sit, euidenter ostendit. Si enim per seipsos essent iusti, mercedem eis Dominus pro operibus suis redderet, non misericordiam prærogaret: sicut idem Apostolus alio loco

Cur potius misericordiæ quàm iustitiæ vasa bonos vocat Apostolus.

Rom. 4. 4. dicit: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Vasa* itaque *misericordiæ ad* indebitam

1. Tim. 1. 13 sunt *gloriam præparata*, quia gratis *sunt misericordiam consecuta*. De quibus etiam ipse B. Apostolus se esse testatur, dicens: *Qui priùs fui blasphemus & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Hoc est opus Dei in *vasis misericordiæ*, vt *blasphemis & persecutoribus & contumeliosis*, non debitus redderetur *interitus*, sed misericordiæ donaretur gratuitum munus. *Vasis* verò *iræ* nunquàm Deus redderet *interitum*, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum, quia nec *Deus* peccanti homini iustè *inferret iram*, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam. Sed

quia cauſam iniquitatis ſuæ ex propriâ homo habuit voluntate. Propterea B. Paulus *ſuſtinuiſſe* aſſerit *Deum in multa patientia vaſa iræ, aptata in interitum.* Hæc igitur ira, ideò talibus *vaſis interitum* reddidit, quia in eis meritum voluntariæ iniquitatis invenit. Quandò autem peccanti ſervo *iram iuſtus Dominus* intuliſſet, ſi ſervus ex Domini prædeſtinatione peccaſſet? In hoc itaque iſta *vaſa* Deus *aptavit* in quod prædeſtinavit, hoc eſt, *in interitum*, illum vtique *interitum*, quem Paulus malis repentè ſuperventurum denunciat, dicens: *Cum enim dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinùs eis ſuperveniet interitus.* Quod ſi Deus tales in peccatum prædeſtinaret, non eos Apoſtolus *vaſa iræ* mallet nominare, ſed culpæ, nec *in interitum* talia *vaſa*, ſed in peccatum dicerentur *aptata.* Nunc autem ideò *vaſa iræ* dicuntur, vt oſtendatur, in talibus ex Dei prædeſtinatione non hoc eſſe, quod eſt malè ab eis admiſſum, ſed quod eſt talibus benè redditum. 1. Theſſ. 5. 3

CAPVT XXVII.

Quàm iuſtè Deus deſeris malos, & interitum eis reddit.

BEnè quippè malis *interitus* à Deo redditur, quâvis ſit malus *interitus* eis, qui nunc iuſtè deſeruntur, & poſtmodùm iuſtè torquebuntur. In talibus enim Deus iudicium ſuum deſertione inchoat, cruciatione conſummat. Nam & hoc tempore, quo diſcedentes malos deſerit Deus, non operatur in eis, quod ei diſplicet, ſed operatur per eos quod ei placet, poſtmodùm eis redditurus, quod ab eius iuſtitia merentur. Recipient enim non pro eo, quod Deus bene vſus eſt eorum operibus malis, ſed pro eo quod ipſi malè abvſi ſunt Dei operibus bonis. Tales itaque Deus *aptavit in interitum* punitionis, quem peccatori *iuſtus iudex* prædeſtinatione iuſtâ decrevit. Non in peccatum quod homo non ex prædeſtinatione divinâ, ſed ex volũtate ſua malè concupiſcendo cœpit, & malè operando perfecit. *Concupiſcentia* enim *concipiens, peperit peccatum, peccatum verò conſummatum genuit mortem.* Non ergò iniqui prædeſtinati ſunt ad *mortem* animæ primam, ſed prædeſtinati ſunt ad *ſecundam*, id eſt, ad *ſtagnum ignis & ſulphuris.* De quo B. Ioannes dicit: *Et diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris.* Et alio loco: *Et mors; & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc mors ſecunda eſt ſtagnum ignis. Et qui non eſt inventus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Rurſus dicit: *Dubijs autem* Iacob. 1. 15

Iniqui prædeſtinati ſunt ad ſtagnum ignis & ſulphuris

Apoc. 20. 9. Ibid. 14. & 15. Apo. 21. 8.

&

& infidelibus contaminatis, & homicidis, & impudicis, & veneficis, & Idolis ſervientibus, & omnibus mendacibus, pars eorum in ſtagno ardenti, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Illam *ſecundam* nuncupat *mortem*, quæ ſequitur ex ſententia iuſti iudicis, non illam, quæ præceſſit in mala concupiſcentia peccatoris. Quâ morte ſalvator quoſdam mortuos aſſerebat, dicens: *Dimitte mortuos*
Matt. 8. 22. *ſepelire mortuos ſuos.* Et Apoſtolus de vidua: *Quæ autem in deli-*
1. Tim. 5. 6. *cijs eſt vivens, mortua eſt* Ad Epheſios quoq; ſic loquitur: *Et*
Epheſ. 2. 1. & ſeq. *vos cum eſſetis mortui delictis, & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis, ſecundum ſæculum mundi huius, ſecundum principem potestatis aëris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquandò converſati ſumus, in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum. Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri; Deus autem, qui dives eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto.* De hac *morte*, qua homo eſt
Ezech 18. 32. *mortuus* in *peccatis*, dicit Deus: *Nolo mortem morientis, ſed vt revertatur à via ſua mala, & vivat anima eius.* Quomodò autem ad
Ibid. 33. 11. mortem peccati prædeſtinaſſe Deus hominem creditur, quam ſe ipſe nolle teſtatur? *Mors* ergò iſta *morientis*, via ſua mala eſt. Quæ quia mala Deo ignota. Scriptum namq; eſt: *Vias enim quæ*
Prov. 4. 27. *à dextris ſunt, novit Dominus, perverſæ autem ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt. Vias* ergò, quas Deus fecit, *novit*, quas non fecit, *perdit*,
Pſal. 1. 6. quia eas non *novit.* Vnde ſcriptum eſt: *Novit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit.* Ille igitur, qui ſcit omnia antequàm fiant, & cuius oculi in omni loco ſpeculantur bonos &
Pſal. 33. 16. & 17. malos, cuius etiam *vultus ſuper facientes mala, perdet de terra memoriam eorum.* Ideò viam malam non novit, non quia ſcientiâ ipſius aliquid in operibus hominum fugit, ſed *quia mor-*
Sap. 1. 13. *tem morientis non fecit*; qui tamen mortem mortuo iuſtè retribuit. Prima igitur mors animæ, quam ſibi homo intulit, *ſecunda mortis* eſt cauſa: & *ſecunda mors*, quam Deus homini reddidit, primæ mortis eſt pœna. Et quia iſtam ſibi homo iniuſtus iniuſtè intulit, illam à iuſto iudice iuſtè percepit, vt quia in iſta volens ſemen iniquitatis ſeminat peccator improvidus: in
Galat. 6. 8. illa metat fructum punitionis invitus. *Qui* enim *ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Sed *qui ſeminat in ſpiritu*, & *de ſpiritu metet vitam æternam*, à Deo habet donum, & meſſis, & ſeminis.
2. Cor. 9. 10 Quod Paulo teſte cognovimus, ſic enim ait: *Qui autem dat ſe-*

Prima mors anima in peccato, ſecunda in ſtagno ignis

Vias impiorum non novit Dominus, quia eas non fecit.

Prima mors anima ab homine, ſecunda à Deo infertur.

men seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. Qui verò *seminat in carne, & de carne metet corruptionem*; ideò non *lætabitur in messe*, quia non Deum, sed seipsum habuit auctorem in semine. Peccata itaq; hominum cuncta quidē Deus in peccatoribus præscivit futura. Et quia ipse non ea prædestinavit facienda, iustè prædestinavit iudicio punienda. Quod etiam in ipsis dictis sancti Augustini, quæ tuæ inseruisti epistolæ, si cōsideres, profectò cognosces, qui postquàm dixit: *Hoc ergò bonū, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat vsq, ad vnū:* Psal. 13. 1. & 3. *sed in eo genere quod prædestinatum est ad interitum*, statim sequutus adiunxit, dicens: *Super hoc enim respexit* Dei *præscientia, protulitque sententiam.* Nempè satis evidenter his dictis ostendit, quia Deus peccata hominum præscientia vidit, quibus sententiam prædestinatione dictavit. Quid enim aliud accipere debemus, in hac prolatione sententiæ Dei, nisi paratum, supplicium peccatori? Iustè autem est ad punitionem divinâ æquitate prædestinatus, qui peccator est divina cognitione præscitus; vtpotè, qui iniquitatem, ad quam à Deo non est prædestinatus, propriâ esset voluntate facturus. Vt in quo præscientia Dei videbat futurum opus iniustum, huic per prædestinationis sententiam pararet supplicium iustum.

Peccata prædestinavit Deus nō facienda, sed iustè punienda.

CAPVT XXVIII.

QVàmvis igitur tu ipse cæteriq; tui similes, studio legendi, vel velocitate intelligendi, ex hoc loco dictorum S. Augustini, quæ in tua Epistola posuisti, facillimè cognoscatis, quid Catholicus habeat intellectus de his, quos ad interitum prędestinatos audimus; tamen ne tardiores quiq; hunc tantum locum minùs sibi putent in hac quæstione sufficere, de aliis quoq; S. Augustini libris quædam inserui, quibus docuit humanæ iniquitatis causam solam esse superbiam, nec ad peccandum homines, sed ad damnationem prædestinatos à Deo, qui vt non adiuventur à Deo, in ipsis causa est, non in Deo. In libro itaq; secundo de Baptismo parvulorum ad Marcellinum scribens, inter alia sic dicit: *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia* Dei

Aug. lib. 2. ad Marcell. cap. 17.

est,

est, quâ hominum adiuvat voluntates, quâ vt non adiuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam superbiam iudicandi, & erudiendi, si filij sunt misericordiæ. Hic statim S. Augustinus testimonium prophetæ subiunxit, dicens: *Vnde Hieremias, cùm*
Hier. 10. 23. *dixisset* Scio Domine, quoniam non est in homine via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos, *continuò subiunxit:*
Ibid. 24. Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo. *Tanquàm diceret: Scio ad correptionem meam pertinere, quod minùs abs te adiuvor, vt perfectè dirigantur gressus mei. Veruntamen hoc ipsum noli sic mecum agere, tanquàm* in furore, *quo iniquos damnare statuisti, sed tanquàm* in iudicio, *quo doces tuos non superbire.*
Aug. Ibid. Psal. 118. 175. *Vnde alibi dicitur. Et iudicia tua adiuvabunt me.* Supra dictum itaque Marcellinum tali doctrina S. Augustinus informans, sequitur & dicit: *Nullum proinde culpa humana in Deum referas causam, vitiorum namq; omnium humanorum causa superbia est.* In istis S. Augustini dictis attende quæso mi charissime. Primùm quia quod *non homines adiuventur à Deo, in ipsis causa esse* dicitur, *non in* Deo. Deinde, quia *propter iniquitatem superbiæ prædestinati* dicuntur *damnandi*, quod pertinet ad iudicium, non depravandi, quod pertinet ad peccatum. Tertiò etiam considera, quia *nullius culpæ humanæ in* Deum *referendam* admonet *causam*, quia si aliqua peccatoris iniquitas à Deo prædestinata credatur, ipsius iniquitatis causa in prædestinatione divina ponetur. Quod quàm sit impium, quàmq; fidei Christianæ contrarium, nullum puto fugere Christianum. Alio quoque eiusdem libri loco memoratus S. Augustinus sic dicit: *Extolli quippè in superbiam propriæ voluntatis est hominum, non operis* Dei. *Neque enim ad hoc eos compellit, aut adiuvat Deus.*

Elegans doctrina ex verbis S. Augustini

Aug. ibid. cap. 19.

CAPVT XXIX.

ET vt manifestiore dictorum eius indicio, nostra fulciatur assertio, aliquid nobis ponendum est de libro, quem scripsit de prædestinatione sanctorum, quo manifestiùs ostendit, sine prædestinatione præscientiam Dei esse posse: prædestinationem verò sine præscientia esse non posse, & quia Deus præscivit etiam quæ ipse non facit, hoc est, peccata. Supra memorato igitur libro, hæc est eiusdem beati Augustini sententia: *Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippè Deus ea præscivit,*

Prædestinatio sine Dei præscientia esse non potest, sed bene è converso.

Aug. Lib. de prædest. SS. cap. 10.

præscivit, quæ fuerat ipse facturus, vnde dictum est: fecit quæ futura sunt. *Præscire etiam potens est quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata. Quia etsi sunt quædam quæ ita peccata sunt, vt pœna sint etiã peccatorum, vnde dictum est*: Tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt: *Non ibi peccatum Dei est, sed iudicium.* Puto in his dictis Beati Augustini euidenter ostensum, bona opera sua Deum præscisse, & prædestinasse, hoc est, siue quæ ad misericordiam, seu quę ad iustitiam pertinent. Mala verò opera, hoc est peccatum, præscisse tamen, non etiam prædestinasse, quia ibi non opus Dei esse dicitur, *sed iudicium.* Ideò in peccato opus Dei non est, quia vt peccatum fieret, prædestinatum ab eo non est. Ideò autem *iudicium est*, quia inultum non relinquitur, quod sine operante Deo malus operatur.

Esai. 45. 11 iuxta 70.

Rom. 1. 28.

In peccatis nõ Dei opus est, sed iudicium.

CAPVT XXX.

NOn autẽ ignoras etiam præterito tempore illi luculentissimo Sancti Augustini operi, quod scripsit de prædestinatione sanctorum, à quibusdam Gallis obiectum, quod B. Augustinus in assertione prędestinationis diuinæ, peccatores non solùm prædestinatos diceret ad iudicium, sed etiam ad peccatum, cuius dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, Prosper vir eruditus, & sanctus, rectâ defendit fide, & copioso sermone. Ex quibus Gallorum capitulis, vt non multa nunc ponamus, ne libellum istum, quem prolixum facere, disputandi necessitas cogit, prolixiorem voluntas facere videatur, duarum responsionum loca duximus inserenda. Quartadecima quippè obiectio sic habetur: *Quod qui Euangelica prædicationi non credunt ex Dei prædestinatione non credant.* Et *quod Deus ita definierit, vt quicumque non credunt, ex ipsius constitutione non credant.* Huic itaque pravitati quæ Beati Augustini dictis, non ex veritate, sed ex livore obiiciebatur, tali Prosper sermone respondit. *Infidelitas non credentium Euangelio, nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ:* Vniversæ enim viæ Domini misericordia, & veritas. *Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est. Qua non ideò necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea quæ futura*

Responsio Prosperi ad 14. obiectionem.

Psal. 24. 10

futura erat, infidelitate non potuit. Quintadecima etiam obiectio his verbis inserta est, *quod idem sit præscientia, quod prædestinatio.* Cui Prosper sic respondit: *Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit. Quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere. Sed cum bona ad largitorem, cooperatoremq; eorum: mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam, referenda sint: dubium non est, sine vlla temporali differentia Deum, & præscisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malo meritò iusto erant iudicio retribuenda: præscisse autem tantummodò, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura.* Nos itaq; charissime, hæc interim pauca de libris S. Augustini, & de responsionibus Prosperi, ob hoc maluimus huic libello inferre, vt cuncti noverint quid debeant de prædestinatione sanctorum impiorumq; sentire, simulq;, vt appareat eiusdem B. Augustini dictis, tenorem nostræ sententiæ convenire. Proinde quia sufficienter (vt arbitror) iniquos non ad peccatum, sed ad supplicium prædestinatos ostendimus, huic volumini iam terminum demus, vt ad aliarum quæstionum disputationem attentiùs recensendam, lectoris renovet studium, temperies distincta librorum.

Responsio ad 15.

Conclusio de prædestinatione.

CONCILIVM ARAVSICANVM II.

De gratia & libero arbitrio.

In dedicatione basilicæ à Liberio Patricio constructæ celebratum V. Nonas Iulias, Decio Iuniore. V. C. Consule, id est, Anno Christi DXXIX. Felicis Papæ IV. Anno III.

PRÆFATIO.

CVm ad dedicationem Basilicæ quam illustrissimus Præfectus & Patricius filius noster Liberius in Arausica Civitate fidelissima devotione construxit, Deo propitiante & ipso invitante convenissemus, & de rebus quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisset spiritualis oborta collatio: pervenit ad nos, esse aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minùs cautè, & non secundùm fidei catholicæ regulam, sentire velint. Vnde id nobis, secundùm authoritatem & admonitionẽ sedis Apostolicæ iustum & rationabile visum est, vt pauca capitula ab Apostolica nobis sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis scripturarum voluminibus collecta sunt, ad docendos eos qui aliter quàm oportet sentiunt, ab omnibus obseruanda proferre, & manibus nostris, subscribere deberemus. Quibus lectis, qui hucusq; , non sicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conueniunt, animum suum inclinare non differat.

Quod per peccatum Adæ nõ solùm corpus, sed anima læsa fuerit.

Vide Aug. l. 2. de nup. & con. c. 34 & Petrum Diac. l. de Incar. & gratia. c. 6.

1 Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est secundùm corpus & animam, in deteriùs dicit hominem commutatum; sed animi libertate illæsa durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium: Pelagij errore deceptus aduersatur scripturæ dicenti. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Et *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius cui subditis obeditis? & à quo quis superatur, eius & servus addicitur.* Ezech. 18. Rom. 6. 2. Pet. 2.

Quod peccatum Adæ nõ solùm ipsi nocuit, sed ad posteros transiit. Rom. 5.

2. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, & non eius propagini asserit nocuisse; aut certè mortẽ tantùm corporis, (quæ pœna peccati est) non autem & peccatum, quod mors est animæ, per vnum hominẽ in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit: contradicens Apostolo dicenti: *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Vide Aug. l. 4 ad Bonif. c 4 & l. 13 de civit. c. 3 & 15.

Quod gratia Dei non ad invocationẽ detur, sed ipsa faciat vt invocetur. Esai. 65. Rom. 10.

3. Si quis † invocatione humanâ gratiã Dei dicit posse cõferri; non autem ipsam gratiam facere vt invocetur à nobis: contradicit Esaiæ Prophetæ, vel Apostolo idẽ dicenti: *Invẽtus sum à non quærentibus me: palã apparui his, qui me non interrogabant.*

Vide Aug. l. de bono pers. cap. 23.

† *al ad invocationem humanam.*

Quod Deus vt à peccato purgemur voluntatem nostram non expectet, sed præparet. Prov. 8. Philip. 2.

4. Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem nostrã Deum expectare contendit; non autem vt etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri confitetur: resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonẽ dicenti: *præparatur voluntas à Dño*, & Apostolo salubriter prædicanti: *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

Vide Aug. l. epist. 107. & serm. 15. de verb. Apost. cap. 2.

Quod initium fidei non ex nobis, sed ex gratia Dei sit. Philip. 1. Ibidem. Ephes.

5. Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei ipsumq; credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspiratione spiritus Sancti corrigẽtem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidẽ, ab impietate ad pietatem; sed naturaliter nobis inesse dicit: Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur B. Paulo dicente: *Confidimus quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Domini nostri Iesu Christi*: & illud: *vobis datum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini*: &, *gratia salvi facti estis per fidem, non ex vobis: Dei enim donum est.* Qui enim fidem, quâ in Deum credimus dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt quodammodò fideles esse diffiniunt.

Vide lib. de prad sanct. a capite 1. vsq; ad 9.

Quod sine gratia Dei credentibus & petentibus misericordia non conferatur, cum gratia ipsa faciat vt credamus & petamus. 2. Cor. 4. Ibidem 15.

6. Si quis sine gratiâ Dei, credentibus volentibus, desiderãtibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri diuinitùs, non autem vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutoriũ, nec vt obediẽtes & humiles simus ipsius gratiæ donũ esse consentit; resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti?* & *gratia Dei sum id quod sum.*

Vide Prosp. l. contra collat. c. 6. Aug. l. de bono pers. c. 23

7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit aut eligere, siue salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absq; illuminatione & inspiratione spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: *sine me nil potestis facere.* Et illud Apostoli: *non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Quod viribus naturæ bonum aliquod, quod ad salutem pertineat cogitare aut eligere sine gratia non possimus.

Vide Aug. c. 26 l. de gra. Chr. & ep. 17.

Ioan. 15. 2. Cor. 3.

8. Si quis alios misericordiâ, alios verò per liberum arbitriũ (quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum) ad gratiam baptismi posse venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita læsum putat, vt tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternę per semetipsos conquirere. Quod quàm sit contrarium, ipse dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se venire posse testatur, nisi quem Pater attraxerit, sicut & Petro dicit: *Beatus es Simon Bariona quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Et Apostolus: *nemo potest dicere,* Dominus Iesus, *nisi in spiritu Sancto.*

Quod per liberum arbitriũ ad gratiam baptismi pervenirinon possit.

Vide Prosp. l. cõtra coll. c. 3. 13. & 38. & resp ad defi. 6. Cassiani & poemate de ingratis c. 19.

Ioan. 6. Matt. 16. 1. Cor. 12.

9. Divini est muneris cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, vt operemur, operatur.

De adiutorio Dei per quod bona operamur.

Vide Aug l. de grat & lib. arb c 6. & Prosp l. contra coll. c. 24.

10. Adiutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

De adiutorio Dei omnibus semper implorando.

Vide Prosp. l. cõtra coll. c. 14.

De obligatione votorum Quales nos diligat Deus 1. Par 29.

11. Nemo quicquã Domino rectè voverit, nisi ab illo acceperit; sicut legitur: *quæ de manu tua accepimus, damus tibi.*

Aug. de civit. Dei l. 17 c. 4 Prosp. sent. 54.

12. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono; non quales sumus nostro merito.

De reparatione libertatis arbitrij.

Prosp. sen. 56 Aug l. 14. de civit. Dei c. 11.

13. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari: quod amissum nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ipsa veritas dicit: *si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

Ioan. 8. Quod vtique liberemur à miseria misericordia Dei prævenimur.

14. Nullus miser de quacumq; miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur, sicut dicit Psalmista: *citò anticipet nos misericordia tua Domine.* Et illud: *Deus meus, misericordia eius prævenies me.*

Psal. 8. Psal. 58.

Prosp. sen. 211.

16. Ab

Quòd per gratiã Dei in melius mutatur fidelis. Psal 76.

15. Ab eo quod formavit Deus mutatus est Adam, sed in peiùs per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in meliùs per gratiã Dei. Illa ergò mutatio fuit prævaricatoris primi: hæc secundùm Psalmistam, *mutatio dexteræ excelsi.* *Prosp. sent. 115. Aug. super titulo Psal. 68.*

Quod ex eo quod habemus non sit gloriandum cum ex Deo sit Gal. 2.

16. Nemo ex eo quod videtur habere glorietur, tanquàm nõ acceperit: aut ideò se putet accepisse, quia litera extrinsecùs vel vt legeretur apparuit, vel vt audiretur insonuit. Nam sicut Apostolus dicit: *Si per legem iustitia, ergò Christus gratis mortuus est. Porrò autem si non gratis mortuus est, ascendens in altum captivã duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Inde habet, quicumque habet. Quisquis autẽ inde se habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo. *Aug. de spirit. & lit. c. 28.*

De fortitudine Christiana.

17. Fortitudinẽ gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autẽ Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium quod est à nobis, sed per spiritum Sanctum qui datus est nobis, nullis meritis gratiam prævenientibus. *Aug. l. 1. oper. imper. c. 85. Prosp. sent. 295.*

Nullis meritis gratiã præveniri. Nemo nemo nisi Deo miserante salvari

18. Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant. *Prosp. sent. 297.*

19. Natura humana etiamsi in illa integritate in qua est cõdita, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adiuvante servaret. Vnde cùm sine gratia Dei, salutem non possit custodire quam accepit, quomodò sine gratia Dei poterit reparare quam perdidit. *Aug. epist. 106. Prosp sent. 308.*

Nil boni hominem posse sine Deo † al. facit

20. Multa Deus facit in homine bona quæ nõ facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus † præstet, & faciat homo. *Aug. l. 2. ad Bonif. c. 8.*

De natura & gratia. Gal. 2.

21. Sicut eis qui volẽtes in lege iustificari, à gratia exciderũt, verissimè dicit Apostolus: *si ex lege iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est*: sic & his qui gratiã quam commendat & percipit fides Christi putant esse naturam, verissimè dicitur: si ex natura iustitia, ergò Christus gratis mortuus est. Iam hic enim erat lex, & non iustificabat: iam hic erat natura & non iustificabat: ideò Christus non gratis mortuus est, vt & lex per ipsum impleretur qui dixit: *non veni legem solvere, sed adimplere:* & natura per Adã perdita, per illum repararetur, qui dixit *venisse se quærere & salvare quod perierat.* *Aug. l. de grat. & lib. arbit. c. 13.*

Matt. 5.

Luc. 19. 10

De his qui hominum sunt propria

22. Nemo habet de suo, nisi mẽdacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atq; iustitiæ, ab illo fõte est quem debemus sitire in hac eremo, vt exeo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via. *Aug. tract. 5 in Ioan. Prosp. sent. 323.*

23. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quandò id agunt quod Deo displicet. quandò autẽ ita faciunt quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati, quàmvis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas est à quo præparatur & iubetur quod volunt. *De voluntate Dei & hominis.* *Aug. tract. 19. in Ioan. Prosp. sent. 338.*

24. Ita sunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, sed inde accipiant, vnde vivant. Sic quippè vitis est in palmitibus vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest & non Christo. Nam præciso palmite, potest de viuâ radice alius pullulare; qui autem præcisus est, non potest sine radice viuere *De palmitibus vitis.* *Aug super Ioan. tract. 81. Prosp. sent. 364.*

25 Prorsùs donũ Dei est, diligere Deũ. Ipse vt diligeretur dedit, qui nõ dilectus diligit. Displicẽtes, amati sumus, †vt fieret in nobis vnde placeremus. Diffũdit enim charitatẽ in cordibus nostris spiritus patris & filij, quẽ cum patre amamus & filio. *De dilectione qua diligimus Deũ.* *Aug. tract. 101. in Ioã. Prosp. sent. 368.* †al. esset

Ac sic secundùm suprascriptas sanctarum scripturarum sententias, vel antiquorum patrum diffinitiones, hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quod per peccatũ primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit; nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit. Vnde Abel iusto, & Noë, & Abraham, & Isaac, & Iacob, omniq; antiquorum sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus, nõ per bonum naturæ, quod priùs in Adam datum fuerat; sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quam gratiam etiã post adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, nõ in libero arbitrio habere, sed in Christi nouimus, simul & credimus largitate conferri, secundùm illud quod iam suprædictũ est, & prædicat Apostolus Paulus: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Et illud: *gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et quod de seipso ait Apostolus: *misericordiam consecutus sum vt fidelis essem.* Non dixit, quia eram, sed *vt essem*: & illud: *quid habes quod non accepisti?* & illud: *omne datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Et illud: *nemo habet quidquam boni, nisi illud illi datum fuerit desuper.* Innumerabilia sunt sanctarum scripturarum testimonia, quæ possint ad probandam gratiam proferri, sed brevitatis studio prę- *Philip. 1.* *Ibid.* *1. Cor. 7.* *1. Cor. 4.* *Iacob. 1.* *Ioan. 3.*

termissa sunt, quia & revera cui pauca non sufficiunt, plura nō proderunt. Hoc etiam secundùm fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono, non nos incipimus, & posteà per Dei misericordiam adiuvamur: sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui priùs inspirat, vt & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Vnde manifestissimè credendum est, quod & illius latronis, quē Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelij Centurionis, ad quem angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum susciperе meruit, illa tam admirabilis fides nō fuit de natura, sed divinæ largitatis donum.

Et quia definitionem antiquorum Patrum, nostramq;, quę supra scripta est, non solùm religiosis, sed etiam laicis, medicamentū esse, & desideramus, & cupimus: placuit ergo vt etiā illustres ac magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festivitatem convenerunt propria manu subscriberent.

Subscriptiones Episcoporum & illustrium virorum.

Cæsarius in Christi nomine Episcopus, constitutionem nostram relegi, & subnotans subscripsi, quinto nonas Iulij, Decio Iuniore viro clarissimo Consule.

Iulianus Episcopus subscripsi.
Constantinus Episcopus subscripsi.
Cyprianus Episcopus subscripsi.
Eucherius Episcopus subscripsi.
Heraclius Episcopus subscripsi.
Principius Episcopus subscripsi.
Philagrius Episcopus subscripsi.
Maximus Episcopus subscripsi.
Prætextatus Episcopus subscripsi.
Aletius Episcopus subscripsi.
Lupercianus Episcopus subscripsi.
Vindemialis Episcopus subscripsi.

Petrus Marcellinus, Felix, Liberius viri clarissimi & illustres Præfecti, Prætorij Galliarum atq; Patricij, consentientes sub- *al. Marcellus.*

scripserunt. Syagrius vir clarissimus cons. subscripsit.
Opilio vir clarissimus cons. subscripsit.
Pantagathus vir clarissimus cons. subscripsit.
Deodatus vir clarissimus cons. subscripsit.
Cariatto vir clarissimus cons. subscripsit.
Marcellus vir clarissimus cons. subscripsit.

BONIFACII II PAPÆ.

EPISTOLA

Ad Cæsarium Arelatensem, cuius rogatu confirmat ea, quæ in Synodo Arausicana fuerant definita.

EPistola ista in codicibus manuscriptis Fossatensi & Laudunensi, quibus vsus est Sirmundus, præponebatur Concilio Arausicano; Epistolæ verò hæc adnotatio: *In hoc codice cõtinetur Synodus Arausicana, quam per auctoritatem Sancti Papa Bonifacius confirmavit. Et ideò quicumque aliter de gratia & libero arbitrio crediderit, quam vel ista auctoritas continet, vel in ista Synodo constitutum est, contrarium se Sedi Apostolicæ, & vniversæ per totum mundum Ecclesiæ esse cognoscat.*

Dilectissimo Fratri Cæsario Bonifacius.

PEr filium nostrum Armenium Presbyterum & Abbatem, litteras tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos sub ea qua in Deo tenemur charitate direxeras: quibus credideras postulandum, vt id quod à beatæ recordationis discessore nostro Papâ Felice prochatolicæ fidei popposceras veritate, mea explicaretur instantia. Sed quia id voluntas superna dispossuit, vt quod per nos ab illo speraveras, à nobis potiùs impetrares; petitioni tuæ quam laudabili fidei sollicitudine concepisti, catholicum non distulimus dare responsum. Indicas enim quod aliqui Episcopi Galliarum, cùm cætera iam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantùm, quâ in Christo credimus, naturæ esse velint, non gratiæ; & hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate conferri: postulans vt pro ambiguitate tollenda, confessionem vestram, quâ vos è diverso fidem rectam in Christo, totiusque bonæ voluntatis initium, iuxta catholicam veritatem per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspira-

rl,authoritate Sedis Apostolicæ firmaremus. Atq; ideò, cùm de hac re multi Patres, & præ cæteris beatæ recordationis Augustinus Episcopus, sed & maiores nostri Apostolicæ Sedis Antistites,ita ratione probentur. Differuisse latissima, & nulli vlteriùs deberet esse ambiguum,,fidem quoque nobis ipsam venire de gratia: super sedendum duximus responsione multiplici, maximè cùm secundùm eas quas ex Apostolo direxisti sententias, quibus dicit: *misericordiam consecutus sum, vt fidelis esſem*; Et alibi: *Vobis datum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, verum etiam vt pro eo patiamini*; evidenter appareat fidem,quâ in Christo credimus, sicut & omnia bona, singulis hominibus ex dono supernæ venire gratiæ, non ex humanæ potestate naturæ. Quod etiam fraternitatem tuam,habitâ collatione cum quibusdam sacerdotibus Galliarum, iuxtà fidem gaudemus sensisse catholicam: in his scilicet, in quibus vno, sicut iudicasti,consensu definierunt fidem,quâ in Christo credimus, gratia diuinitatis præueniente conferri: adiicientes etiam, nihil prorsus secundùm Deum boni, quod si Dei quis gratia aut velle aut incipere, aut perficere possit, dicente ipso Salvatore nostro: *Sine me nihil potestis facere*. Certum est enim atq; catholicum, quia in bonis quorum caput est fides, nolentes nos misericordia diuina præueniat, vt in fide duremus, sicut Dauid Propheta dicit: *Deus meus misericordiâ eius præueniet me*. Et iterùm: *Misericordia mea cum ipso est*. Et alibi: *Misericordia eius subsequitur me*. Similiter & Beatus Paulus dicit: *Aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi*? quoniam ex ipso, & per ipsum,& in ipso sunt omnia. Vnde nimis eos qui contra sentiũt, admiramur, vsq; eo vetusti erroris adhuc reliquiis prægravari, vt ad Christum non credant Dei beneficio, sed naturæ veniri: & ipsius naturæ bonum, quod Adæ peccato noscitur depravatum, authorem nostræ fidei dicant magis esse quam Christum; nec intelligant se Dominicæ reclamare sententiæ dicenti: *Nemo venit ad me, nisi datum fuerit illi à Patre meo*. Sed & Beato Paulo simul obsistere clamanti ad Hæbreos: *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum Christum*. Quæ cùm ita sint, invenire non possumus, quid ad credendum in Christo, sine Dei gratia,humanæ deputent voluntati, cum Christus author consummatorq; sit fidei. Quapropter affectu congruo salutantes, suprascriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum

1. Cor. 7. Philip. 1.

Ioan. 15.

Psal 58. Psal 88. Psal. 22. Rom. 11.

Ioan. 6.

Heb. 11.

strum regulis adprobamus. Illos autem qui præcedente fide, cætera, sicut iudicas, volunt gratiæ deputare, suâ professione constringimus, vt multo magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adscribere, præter quàm nihil est boni, quod secundùm Deum quilibet valeat operari, sicut Beatus Apostolus dicit: *Omne quod ex fide non est, peccatum est.* Quod cùm ità sit aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem substrahere moliuntur; aut si quid quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessario fides erit gratiæ deputanda. Si enim nihil boni est sine fide, fides aùtem ipsa venire negetur ex gratia; nullum, quod absit, bonum erit gratiæ deputandum. Ait enim Iacobus Apostolus: *Omne donum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Et ipsi fatentur vt dicis, dona cætera donari per gratiam; ipsa autem bonâ fide subsistere non ambigunt. Vniversa ergò necessariò fides erit gratiæ deputanda, à qua bonum quod gratiæ tribuunt, separare non possunt. His itaque breviter adsignatis, contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epistola continere, quâ à quodam tibi mandasti sacerdote transmissam, respondendum non duximus: quia speramus de misericordia divina, quod ita per ministerium tuæ fraternitatis atq; doctrinam, in omnium, quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari, vt ex hoc omnem bonam voluntatem non ex se, sed ex divina credant gratia proficisci, cùm se senserint id iam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Scriptum est enim, *Præparatur voluntas à Domino.* Et alibi: *Scio quia non possum esse continens, nisi Deus dederit: & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset donum.* Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data VIII. Kalend. Februarias, Lampadio & Oreste VV. CC. Consulibus.

Rom. 14.

Prov. 19. secund. 70. Sap. 8.

BEATI

BEATI
ISIDORI
HISPALENSIS EPISCOPI

De Summo Bono Libri 2, Capita quindecim priora, ad præsentem materiam spectantia.

De Sapientia *Cap. I.*

OMnis qui secundùm Deum sapiens est, beatus est. Beata vita cognitio divinitatis est. Cognitio divinitatis virtus boni operis est. Virtus boni operis, fructus æternitatis est. Nullus autem magis sapiens quàm quem docuerit Deus. *Ex-*
Prov. 8, 11. *celsior est rebus omnibus sapientia:* nec esse potest vlla iustitia sine prudentia. Qui secundùm sæculũ sapiens est, secundùm Deũ
Hier. 10, 14 stultus est. Vnde & Propheta, *stultus*, inquit, *factus est omnis*
Ibid. 51, 17. *homo à scientia sua.* Primum est scientiæ studium, quærere Deum: Deinde honestatem vitæ cum innocentiæ opere. Nullus sapientiam Dei plenè recipit, nisi qui se ab omni abstrahe-
Eccl. 38, 25. re actionum cura contendit. Vnde & scriptum est, *sapientiam scriba in tempore otij, & qui minoratur actu ipsepere p et eam.* Non ad pravæ intelligentiæ arcem pervenit, qui scit secreta Dei se penetrare non posse. Tunc autem Deum rectè cognoscimus, quandò eum perfectæ scire non denegamus. Interdùm quædam nescire convenit. Nullus autem in culpa maior est, quàm ille qui Deum nescit. Investigationem veri multorum est quærere, sed paucorum est invenire. Ea autem quæ supra hominis intelligentiam sunt, scrutanda non sunt. Quidquid supra hominis intellectum est, quærendum non est. Consilio autem divino servandum est, vt hoc credatur esse iustitia, quod divinæ placuerit voluntati. Non enim poterit esse iniustum, quod iusto complacet iudici. Omnis sapientia ex scientia & opinatione consistit. Melior est autem ex scientia veniens, quàm ex opinatione sententia. Nam illa vera est, ista dubia. Ad maioris culpæ cumulum pertinet scire quemquam

Quæ vera sapientia.

quod sequi debeat, & sequi nolle sciat. Vnde & Dominus, *servus*, inquit, *sciens voluntatem* DOMINI *sui, & non faciens, dignè plagis, vapulabit multis.* Et Iacobus, *scienti*, inquit, *bonũ, & non facienti peccatum est.* Simplicitatẽ cum ignavia, vocari stultitiam: simplicitatem verò cum prudentia, vocari sapientiam. Vtile est multa scire & rectè vivere. Quod si vtrumque non valeamus, meliùs est vt benè vivendi studium, quàm multa sciendi sequamur. Non pertinere ad beatitudinem consequendam scientiam rerum, nec esse beatum multa scire, sed esse magnum beatè vivere. Nihil prodesse homini scire prudentiam, cum ignorantia Dei: & nihil obesse scientibus Deum, ignorantiam mundi. Perfectè autem scit, qui priùs Deum, & ista non pro se, sed pro Deo scit. Nihil obesse cuiquam, si per simplicitatem aliquam de elemẽtis indignè sentiat, dummodò de Deo vera pronunciet. Nam quàmvis de incorporeis corporeisq; naturis nequeat quisque disputare, beatum tamen illum facit vita recta cum fide.

Luc. 12. 47.

Iacob. 4. 17

De fide. *Cap.* 2.

NOn posse ad veram beatitudinem pervenire nisi per fidem. Beatum autem esse qui & rectè credendo bene vivendo fidem rectam custodit. Deus si creditur meritò invocatur, & quæritur, ac per hoc tunc perfectè laudatur, quandò invocatur & creditur. Non tantùm id credendum est quod sensu carnis dignoscimus, sed magis etiam quod intellectu mentis conspicimus, id est, Deum. *Sine fide nemo potest placere* DEO. *Omne enim quod non est ex fide, peccatum est,* Fides nequaquàm vi extorquetur, sed ratione atq; exemplis suadetur. Et quibus autẽ exigitur violenter, perseverare in eis nõ potest, exemplo, vt ait quidã, novellæ arboris, cuius si quis cacumen violenter impresserit, & demùm dùm laxatur, in id quod fuerat, confestim revertitur. Sicut homo libero arbitrio conditus sua sponte divertit à Deo, ita ex propria mentis conversione credendo recurrit ad Deum, vt libertas agnoscatur arbitrij per propriã voluntatem, & beneficium gratiæ per acceptam fidei veritatem. In corde respicit Deus fidem, vbi se non possunt homines excusare, qui ore simulant veritatis professionem, & corde retentant erroris impietatem. Sicut nihil proficit fides quæ ore retinetur & corde non creditur, ita nihil profutura est fi-

Beatitudo via.

Heb. 11. 6.

Rom. 14. 23

des

de quæ corde tenetur si ore non profiteatur. De tali enim fi-
Ierem.7.28 de Propheta ita quosdam obiurgat dicens, *Periit fides, ablata est*
Rom.10.10 *de ore eorum.* Fides enim quæ *corde creditur, confessione oris ad sa-*
Iacob.2.20 *lutem* profertur. *Vacuam esse sine operibus fidem*, & frustrà sibi de sola fide blanditur qui bonis operibus non ornatur. Qui crucem portat, debet & mundo mori: nam ferre crucem & mori, mortificare seipsũ est: ferre & nõ mori: simulatio hypocritarũ est. Qui per fidem cognitionem Dei habent, operibus obscurantur, exemplum *Balaam* sequuntur, qui cadens opere apertos oculos habuit per contemplationis fidem. Carnales fidem nõ pro virtute animi, sed pro commodo quærere temporali. Vnde & Dominus dicit, *Quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis de panibus meis.* Christianus malus dùm secundùm Evangelij doctrinam nõ vivit, etiam ipsam fidem, quam verbo colit, obortâ tentatione facilè perdit. Multi fide tantùm Christiani sunt, opere verò à Christiana doctrina dissentiunt. Multi quoq; fidem Christi ex corde non amant, sed humano terrore, eandem per hypocrisim tenere se simulant. Et qui esse non possunt apertè mali per terrorem, ficte boni nascuntur. Amatores mundi repugnant aliquandò pro fide, & aliis quidem proficiunt: ipsi verò amore terreno implicati cœlestia non requirunt, sed verbo tantùm fidem defendunt. Quidam pro fide etiam hæreticos insequuntur, sed per arrogantiam eos qui intra Ecclesiam sunt, contemnunt. Adversarios quidem fidei confutant pro infidelitate: sed fideles premunt face superbiæ.

Fides sine operibus bonis est inutilis.

Nũ. 22, 31

Ioan.6.26.

Luc.8.13.

De Charitate *Cap.* 3.

QVàmvis nonnulli fide atq; operibus sanctis esse videantur participes tamen quia privantur à charitate fraternę dilectionis, nullum habent incrementum virtutis. Nam sicut
1.Cor.13.3. ait Apostolus, *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sine amore charitatis, quãvis quiq; rectè credat, ad beatitudinem pervenire non potest:
Ibid. & 2. quia tanta est charitatis virtus, vt etiam prophetia & martyrium sine illa nihil esse credantur. Nullum præmium charitate pensatur. Charitas enim virtutum omnium obtinet prin-
Coloss 3.14. cipatum. Vnde & *vinculum perfectionis charitas* ab Apostolo dicitur: eo quod vniversæ virtutes eius *vinculo* religentur. Dile-
Cant.8.6. ctio Dei morti comparatur, dicente Salomone, *Valida est vt*

Sine charitate cætera nihil prosũt.

mors dilectio: idcircò quia sicut *mors* violenter separat animam à corpore: ita & *dilectio Dei* violenter segregat hominem à mundano & carnali amore. Qui Dei præcepta contemnit, Deum non diligit. Neque enim Regem diligimus, si odio legeserus habeamus. Tenenda est cùm sanctis viris vnitas charitatis: & quantò se quisq; subtrahit mundo tantò opus est, vt se associet bonorum consortio. Charitas in dilectione Dei & proximi constat. Servat autem in se dilectionem Dei, qui à charitate non dividitur proximi. Qui à fraterna societate secernitur, à divinę charitatis participatione privatur. Nec poterit Deum diligere qui noscitur in proximi dilectione errare. *Christus Deus est & homo.* Totum ergò Christum non diligit qui hominem odit. Bonorum discretio non est odire personas, sed culpas: & recta dicta pro falsis non spernere, sed probare. Qui imperfecti sunt in Dei amore, sæpè se à vitiis separare disponunt: sed pondere vitiorum gravati rursus ad ea vitia, quæ optant relinquere, revolvuntur.

Charitas Dei non habetur sine charitate proximi.

De Spe. *Cap.* 4.

QVi malè agere non desistunt, vana spe, indulgentiam de Dei pietate requirunt. Quam rectè quærerent si ab actione prava cessarent. Metuendum valdè est, vt neque per spem veniæ quam promittit Deus, perseveranter peccemus: neque quia iustè peccata distringit, veniam desperemus: sed vtroque periculo evitato, & *à malo declinemus*, & de pietate Dei veniam speremus. Omnis quippè iustus spe & formidine nitet, quia nunc illum ad gaudium spes erigit, nunc ad formidinem terror gehennæ adducit.

De Gratia. *Cap.* 5.

INterdùm peccantibus nobis Deus dona sua non retrahit, vt ad spem divinæ propitiationis mens humana consurgat. Non potest conversum spernere, qui peccantem suis beneficijs provocat ad se redire. *confessionem* hominis non esse humanæ virtutis. Nam si *confessionem* boni operis non in nobis Deus operatur, cur per prophetam dicitur, *Confessio & magnificentia opus eius*? Ab illo enim nobis omnia bona gratiâ præveniente

Omnia bona donantur à Deo.

Psal. 110. 3.

niente donantur. Nam nihil boni operis dedimus, per quod *confessionem* fidei accipere meremur. Profectus hominis donum Dei est. Nec à se potest quisquam sed à Domino corrigi.

Hier.10.23 Non enim quidquam boni habet proprium homo, cuius *via non est eius* (teste Prophetâ) *Scio Domine quia nõ est hominis via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos.* Sciunt liberi arbitrij defensores nihil posse homines in bonum suâ prævalere virtute, nisi divinæ gratiæ sustententur iuvamine. Vnde per

Osea 13. 9. Prophetam dicit Dominus, *Perditio ex te tua Israel, tantum in me auxilium tuum*, quasi diceret vt pereas tuo merito, vt salveris meo auxilio. Hominis meritum, superna gratia non vt veniat invenit, sed postquàm venerit facit: atque ad [indignam mentem veniens facit in ea meritum quod remuneret,

Luc.23.4.3 quæ solum invenerat quod puniret. Quid enim ex se ille latro meruit, qui de faucibus inferni crucem ascendit, de cruce Paradisum adiit? Reus quidem ille & fraterno sanguine venit cruentus, sed divinâ gratiâ in cruce mutatus. Sciendum quod nostra sit iustitia in his quæ rectè agimus: & Dei gratia, eò quod eam mereamur. Hæc enim & dantis Dei, & accipientis est

Matt.6.11. hominis, sicut & *panem nostrum* dicimus, quem tamenà Deo accipere postulamus. Spiritalis gratia non omnibus distri-

2.Thess 3.2 buitur, sed tantummodò electis donatur. *Non enim omnium est fides*, quàm quidem etsi plurimi suscipiunt, opus tamen

1.cor. 12.5 & seq. fidei non consequuntur. In divisione donorum diversi percipiunt diversa Dei munera: non tamen conceduntur vni omnia, vt sic pro humilitatis studio quod alter iuve-

Ezech.3.13 tur in altero. Nam quod in Ezechiele *animalium ala altera ad alteram percutiuntur*, virtutes designantur sanctorum, mutuò sese affectu provocantium, atque alterno exemplo invicem sese erudientium. Munera gratiarum alia isti, alia verò donantur illi. Nec dantur ita habere vni, vt non egeat alterius. Posse fieri non est dubium, vt hi quos quidam virtutum excellentia antecedunt, Dei repentinâ præventi gratiâ, quosdam compendio sanctitatis præveniant,

Mat. 20.16 & dùm sint conversione postremi, subito efficiantur virtutis culmine primi. Dùm quisque aliquod donum accipit, non appetat amplius quàm quod meruit: ne dùm alterius membri officium arripere tentat, id quod meruit perdat. Conturbat enim corporis ordinem totum, qui non suo

Dona Dei non omnibus aqualiter distribuuntur.

conten-

contentus officio subripit alienum. Mali dona ideò ad damnationem accipiunt, quia illis non ad Dei laudem, sed ad suam vanitatem vtuntur. Bonis malè vtuntur, quia ea quæ à Deo illis donata sunt, in malos vsus assumunt, sicut ingenium, sicut & cætera Dei dona Multis Dei donis gaudemus, quæ, nos ab eo percepisse cognoscimus. Nam quod sapientes sumus, quod divites, quod potentes existimus, non alterius, sed potiùs divino munere sumus. Vtamur ergò optimè divinis beneficiis quatenùs & Deum non pœniteat dedisse & nobis accepisse sit vtile. Sicut auferre Deus dicitur homini donum aliquod quod homo non habuit, id est, quod accipere non meruit, sic & obdurare dicitur Deus hominem, non eius faciendo duritiam, sed non auferendo eam, quam sibi ipse nutrivit. Non aliter & obcæcare dicitur quosdam Deus, non vt in eis eandem ipse cæcitatem faciat: sed quod pro eorum mutilibus meritis, cæcitatem eorum ab eis ipse non auferat. Pleriſque Dei dona dantur, perseverantia verò doni non datur. Et indè est quod quidam principia habent conversionis bona, finè verò malo clauduntur. Electi verò & conversionis dona accipiunt, & perseverantiam doni. Ea ergò causa est quod quidam & benè incipiunt, & benè finiunt.

Quo modò Deus quosdam obdurat & obcæcat.

Mat. 13. 12.

Rom. 9. 18.

2. Cor. 4. 4.

De Prædestinatione *Cap.* 6.

Prædestinatio alia ad requiem alia ad mortem.

GEmina est prædestinatio sive electorum ad requiem sive reproborum ad mortem. Vtraque agitur divino iudicio, vt semper electos superna & interiora sequi faciat: semperque reprobos vt infima & exteriora delectentur, deserendo permittat. Sicut ignorat homo terminum lucis & tenebrarum vel vtriusque rei quis finis sit: ita pleniùs nescit quis ante suum finem luce iustitiæ præveniatur, vel quis peccatorum tenebris vsque in suum terminum obscuretur, aut quis post lapsum tenebrarum conversus resurgat ad lucem. Cuncta hæc Deo patent, hominibus verò latent, quàmvis iustorum conversatio in hac vita probabilis sit, incertum tamen hominibus esse ad quem sint finem prædestinati, sed omnia reservari futuro examini. Mira dispositio est supernæ distributionis, per quam hic iustus amplius iustificatur, impius

Eccl. 9. 2.

pius ampliùs sordidatur. Malus ad bonum aliquandò convertitur, & bonus ad malum aliquandò reflectitur. Vult quis esse bonus & non valet, vult alter esse malus & non permittitur interire. Datur ei quo sit malus qui vult esse bonus. Alius nec vult, nec datur ei vt sit bonus. Iste nascitur in errore & moritur: ille in bono quo cœpit vsq; ad finem perdurat. Tamdiù in bono iste stat, quousque cadat: ille malè diù vivendo in fine salvatur respectuique convertitur. Vult prodesse in bono iustus, nec prævalet, vult nocere malus & prævalet. Iste vult Deo vacare, sed sæculo impeditur. Ille negotiis implicari cupit, nec perficit, Dominatur malus bono, iusto. Et bonus damnatur pro impio, impius honoratur pro iusto, & in hac tanta obscuritate non valet homo divinam scrutari dispositionem, & occultum prædestinationis perpendere ordinem.

De Conversis. *Cap. 7.*

NOn inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus. Scriptum est enim, *Qui perseveraverit vsque in*
Mat. 10.22 *finem, hic salvus erit.* Tunc enim placet Deo nostra conversio: quandò bonum quod inchoamus perseveranti fine com-
Eccl. 2.16. plemus. Nam sicut scriptum est, *Va his qui sustinentiam perdiderunt*, id est, opus bonum non consummaverunt. Indulgentia peccatorũ sciendum, vbi, quandò, vel qualibus datur. Vbi quippè nisi intra Ecclesiam Catholicam? Quandò, nisi
2. Cor. 6.2. ante venturi exitus diem? Quia *ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Qualibus nisi conversis, qui per humilitatem, ad parvulorum transeunt imitationem? de quibus di-
Mat. 19.14. citur, *Talium est regnum cælorum.* Nemo perpendere potest, quanti sit ponderis iniustitia, vel quanti fulgoris radio iustitia clareat. Nisi qui priùs toto mentis nisu convertatur ad Deum quatenùs ipso lumine quo illustratur, & suam fœlicitatem agnoscat, & lumen quod cæco corde non intuebatur intelligat. Tunc autem inattingibilem intelligi posse iustitiam, dùm eam quisque sequi conversus tentaverit. Quia lux non intelligitur nisi cùm videtur. Iudicium quod in hominis potestate consistit, conversionis est gratia, per quam *nosmetipsos iudicamus*, quandò flentes mala nostra punimus, &

bono, quod ex Deo nobis est, solidiùs inhæremus. Tripartitus describitur esse vnusquisque conversi profectus, id est, primus corrigendi à malo. Secundus faciendi bonum. Tertius consequendi boni operis præmium. Nam quod ait Propheta, *Solve fasciculos deprimentes*, mali est emendatio, quod verò adiecit, *Frange esurienti panem tuum*, operis boni est actio. In eo verò quod subiungit, *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum*, operis boni, est retributio. Ergò non proficit facere bonum, nisi correctum fuerit malum. Nec poterit quisquam ad contemplationem Dei proficere, nisi se priùs in bonis actibus studuerit exercere. Multis modis terret Deus homines, vel vt serò convertantur, atque ex indè magis erubescant, quod tamdiù expectati sunt vt redirent. Nam nunc minis, nunc plagis, nunc revelationibus quosdam concutit, vt qui voluntate converti despiciunt, commoti terroribus corrigantur. Plerique ex sola mentis devotione convertuntur ad Deum: nonnulli verò coacti plagis convertuntur, qui ex devotione non convertebantur. Iuxta illud Psalmi dicentis, *In frano & chamo maxillas eorum constringe qui non approximant ad te* Plerique autem dùm devotione non convertuntur, plagæ stimulis feriuntur: qui tamen nec sub verbere sentiunt, vt aliquatenùs corrigantur, sicut Ægyptus cui & pœnas dedit, & emendare nequiit. De talibus enim ait Propheta, *Percussisti eos & non doluerunt, attrivisti eos & renuerunt suscipere disciplinam.* Nonnulli viri sæculares elatione mentis tumentes, postmodùm conversi ad Deum, religiosa sequuntur obedientia Christum: & qui anteà celsitudine mundali tumebant, postea ipsam elationem in studio humilitatis commutant. Quidam sunt qui iam secretè conversi sunt, quorum conversio quia non procedit ad publicum, apud æstimationem humanam quales fuerunt, tales adhuc esse putantur, iam tamen in Dei oculis surrexerunt. Item quidam adhuc humano iudicio stare cernuntur: iam tamen in oculis Dei cæciderunt Multi apud homines reprobi sunt, & apud Deum electi. Item multi apud homines electi putantur, & apud Deum reprobi existunt, Salomone dicente, *Vidi impios sepultos, qui cum adhuc viverent in loco sancto erant, & laudabantur in civitate quasi iustorum operum.* Nullus ergò se putet electum, ne forte iam apud Deum sit reprobus.

Tripartitus conversi profectus.

Esai. 58. 6
Ibidem. 7.
Ibidem. 8.
Psal. 31. 9.
Hierem. 5. 3
Eccl. 8. 10.

De

De primordiis conversorum *Cap.* 8.

TRimodum genus est conversionis ad Deum inchoationis cum dulcedine, medietatis cum labore, perfectionis cum requie. Sed tamen plerumque alij incipiunt à dulcedine, alij à tentationum amaritudine. Omnis conversus ante ex fletu inchoet peccatorum, & sic transeat ad desiderium supernorum. Priùs enim lachrymis purganda sunt vitia quæ gessimus, & tunc mundatâ mentis acie, id quòd quærimus mentis gaudio contemplemur: vt dùm antea flendo peccatia nobis caligo detergitur, mundatis cordis oculis liberè superna inspiciantur. Ante necesse est timore converti ad Deum, vt metu futurarum pœnarum carnales illecebræ devincantur. Deindè oportet abiecto timore ad amorem vitæ æternæ transire. *Perfecta* enim *charitas foras mittit timorem.* Qui autem timet, pœnam habet, & non est perfectus. vnde & Apostolus, *Non enim*, inquit, *accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis*, per quem scilicet iam non peccati pœna servos comprimit, sed amor iustitiæ liberos reddit. Necesse est omni converso, vt post timorem consurgere ad charitatem Dei debeat quasi filius, ne semper sub timore iaceat quasi servus. Tunc enim amorem nostræ conversionis ostendimus, si denuò vt patrem diligimus, quem priùs servili mente verè vt Dominum formidabamus, primordia conversorum blandis refovenda sunt modis, ne si ab asperitate incipiant exterriti ad priores lapsus recurrant. Qui enim conversum sine lenitate erudit, exasperare potiùs quam corrigere novit. Conversus quisque anteà ab opere corrigendus est, posteà verò à cogitatione: vt priùs refrenet pravum actum, deinde appetitum ac delictum, vt quod iam in opere non apparet, in cogitatione nequaquàm perduret. Omnis nova conversio adhuc pristinæ vitæ habet commixtionem, propterea nequaquàm ea virtus procedere ad hominum oculos debet, donec conversatio vetus, funditus, ab animo extirpetur. Quisquis ex deteriore iam melior esse cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne graviùs per vanam gloriam corruat, quam priùs cùm per lapsum vitiorum iacebat.

Quomodò peccatori procedendū in conversione.

1. Ioan. 4. 18.

Rom. 8. 15.

De conflictu conversorum *Cap.* 9.

QVisquis conversus si mox omnes carnis stimulos calcare cupiat, & summa virtutum subire contendat; si adhuc forte aliqua adversa de carnis molestiis tolerat, non frangatur, quia dispensator bonorum novit adversitates reprimere vitiorum, successione virtutum. Tunc magis gravari se quisque impulsu vitiorum agnoscit, dùm ad cognitionem Dei accesserit: sicut populus Israël graviori onere ab Ægyptiis premitur, dùm per Moysen divina illa cognitio aperitur. Vitia enim ante conversionem quasi pacem in homine habent: quādò autem expelluntur, acriori virtute consurgunt. Fiunt autem inimica converso quę peccatori adversa extiterunt. Multos habet conflictus Dei servus ex recordatione operum præteritorum: multique post conversionem etiam nolentes motum libidinis sustinent, quod tamen ad damnationem non tolerant, sed ad probationem, scilicet vt semper habeant proexcutienda inertia hostem, cui resistant, dummodò non consentiant. Vndè & noverint servi Dei se etiam à peccatis iam esse mundatos: sed tamen cogitationum turpium adhuc interpellatione pulsari. Ante conversionem præcedit turba peccatorum, post conversionem sequitur turba tentationum. Illa se obiiciunt ne ad Deum convertamur: ista se ingerunt ne liberius cordis oculis Deum cernamus. Vtriusque tumultus insolentiam nobis gignit, intentionemque nostram sæpè fraude multimodâ intercludit. Vtile est Dei servo post conversionem tentari, quatenùs à tempore negligentiæ sollicitantibus vitiis ad virtutes animum per exercitium præparet meritorum.

Exod. 5. 6. & seq.

Homini conuerso cùm præteritis peccatis multi conflictus esse solent.

De remissa conversione *Cap.* 10.

MVltos remissa conversio in pristinos errores reducit, ac vivendi tempore resolvit: horum ergò exempla quisque conversus evita, ne dùm timorem Dei à tempore incipis, rursus mundanis erroribus immergaris. Tepidus in conversione otiosa verba & vanas cogitationes noxias esse

non

non conſpicit. Quod ſi à torpore mentis evigilaverit, ea quæ levia exiſtimat, confeſtim quaſi horrenda atque atrocia pertimeſcit. Fraus & deſidia in omni bono opere formidanda eſt. Fraudem verò facimus Deo, quoties de ipſius donis & muneribus gloriam propriam, & humanam laudem appetimus, & de bono opere noſtro noſmetipſos non Deum laudamus. Deſidiam verò agimus quoties per torporem languide ea quæ Dei ſunt operamur. Omnis ars ſæculi huius ſtrenuos amatores habet, & ad exequendum promptiſsimos, & hoc proinde fit quia præſentem habet operis ſui remunerationem. Ars verò divini timoris pleroſque habet ſectatores languidos, tepidos, pigritiæ inertia congelatos, ſed hoc proinde quod labor eorum non pro præſenti, ſed pro futura remuneratione differtur. Ideoque dùm eorum laborem mercedis retributio non ſtatim conſequitur, ſpe ipſi penè diſſoluta langueſcunt. Vnde & magna illorum gloria prædicatur, qui bonæ converſionis principia, augmento ſolidiore conſumant, atque eo ad promerendam retributionem clariores præparantur, quo firmiùs duri itineris laborares & inchoant & conſummant. Quidã primo converſionis calore ad virtutes ſeſe accingunt accedente verò progreſſu dùm immoderatè terrenis rebus incumbunt, pulvere infimi appetitus obſcurantur. Vnde & Dominus de bonis ſeminibus in ſpinis iactis dicit, *Quod autem cecidit in ſpinis hi ſunt qui audiunt verbum Dei, & à ſolicitudine ſæculi vel fallacia divitiarum ſuffocant verbum*, & ſine fructu efficiuntur. Nuper converſi nequaquàm debent in curis exterioribus provehi. Nam ſi implicentur, confeſtim quaſi plantata arbuſcula, & necdùm radice præfixâ concutiuntur pariter & areſcunt. Valet interdùm converſis pro animæ ſalute mutatio loci. Plerumq; enim dùm mutatur locus, mutatur & mentis affectus. Congruũ eſt enim inde etiam corporaliter avelli, vbi quiſque illecebris deſervivit; nam locus vbi pravè quiſque vixit, hoc in aſpectu mentis opponit quod ſemper ibi vel cogitavit, vel geſſit.

Cur amatores huius ſæculi magis ſtrenui eſſe ſolent quàm amatores Dei.

Luc. 8. 14.

De exemplis ſanctorum *Cap.* II.

AD converſionem ſeu correctionem mortalium, multum proſunt exempla bonorum. Mores enim inchoantium non poſſunt proficere ad benè vivendum, niſi perfectorum informentur exemplis patrum. Reprobi autem non attendunt documenta bonorum, quæ imitentur in meliùs, ſed proponunt ſibi exempla malorum, quibus ad ſuorum morum perverſitatem vtantur in peiùs. Ob hanc vtilitatem ſcribuntur ſanctorum ruinæ & reparationes, vt ſpem faciant ſalutis humanæ, ne quiſquam poſt lapſum pœnitendo deſperet veniam, dùm conſpicit ſanctorum reparationem fuiſſe etiam poſt ruinam. Sciant flagitio dediti ad quam vtilitatem eorum exempla proponantur ſanctorum, ſcilicet vt aut ſint qui imitentur ad reparationem, aut certè ex eorum comparatione duriùs de inobedientia puniantur. Propterea virtutes ſanctorum ad exemplum noſtrum Deus propoſuit, vt quanto de imitatione eorum conferri poſſunt nobis iuſtitiæ præmia, tanto de perſeverantia mali ſint graviora tormenta. Si enim ad bonum incitamentum divina, quibus admoneremur exempla deeſſent, prolege nobis ſanctorum exempla ſufficerent. At contra dùm & nos Deus præceptis ſuis admoneat, & vitæ ſanctorum boni operis nobis exempla proponat, nulla eſt iam de reatu excuſatio: quia & lex Dei ad aures noſtras quotidiè pulſat, & factorum documenta bonorum cordis noſtri intima provocant. Etſi pravorum ſæpè ſecuti ſumus exempla, cur non imitemur ſanctorum digna & Deo placita facta? Et ſi apti fuimus imitari iniquos in malum, cur pigri ſumus imitari iuſtos in bonum? Orandus eſt Deus, vt virtutes quas præparavit ſanctis ad coronam, nobis ad profectum ſint poſitæ non ad pœnam. Proficient autem ad profectum noſtrum ſi tot exempla voluerimus imitari virtutum. Certè ſi ea potiùs averſati quàm imitati fuerimus, ad damnationem noſtram erunt, quia ea legendo implere negleximus. Multi vitam ſanctorum imitantur & de moribus alterius effigiem virtutis ſumunt: tanquàm ſi imago quælibet intendatur, & de eius ſimilitudine ſpecies picta formetur, ſicque fit ad imaginem ſimilis ille qui ad ſimilitudinem vivit imaginis. Qui ſanctum

virum

virum imitatur, quasi exemplar aliquod intuetur, seque in illo quasi in speculo prospicit, vt adiiciat quod deesse virtutis agnoscit. Minùs enim seipsum homo ex semetipso consiederat: sed dùm alterum intendit, id quod minùs est luminis adiicit. Perfectorum est iam virorum non quemlibet sanctorum imitando, sed ipsam veritatem intuendo, ad cuius *imaginem* facti sunt iustitiam operari. Et hoc indicat quod scribitur, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: quia ipsam intelligendo imitatur divinitatem, ad cuius factus est *similitudinem*. Iste ergò tantus est, vt non egeat homine demostratore iustitiæ, sed ipsam contemplando imitetur iustitiam. Exempla sanctorum quibus ædificatur homo, varias faciunt consectari virtutes, humilitatis ex Christo, devotionis ex Petro, charitatis ex Ioanne, obedientiæ de Abraham, patientiæ de Isaac, tolerantię de Iacob, castimoniæ de Ioseph, mansuetudinis de Moyse, constantiæ de Iosue, benignitatis de Samuele, misericordiæ de David, abstinentiæ de Daniele, sic & cætera facta piorum, quo labore, quo moderamine, quâve intentione vel compunctione gerantur, vir sanctus imitando considerat.

Gen. 1. 26.

Exempla sanctorum ad diversas virtutes nos excitant.

De compunctione cordis *Cap.* 12.

COmpunctio cordis est humilitas mentis cum lachrymis exoriens de recordatione peccati & timore iudicij. Illa est conversis perfectior compunctionis affectio, quæ omnes à se carnalium desideriorum affectus repellit, & intentionem suam toto mentis studio in Dei contemplationem defigit. Geminam esse compunctionem, quâ propter Deum anima cuiusque electi afficitur, id est, vel dùm operum suorum mala considerat, vel dùm desiderio æternæ vitæ suspirat. Quatuor esse qualitates affectionum, quibus mens iusti tædio salubri compungitur, hoc est, memoria præteritorum facinorum recordatio futurarum pœnarum, consideratio peregrinationis suæ in huius vitæ longinquitate, desiderium supernę patriæ, quateaùs ad eam quantotius valeat pervenire. Quisque dùm peccatorum memoria compungitur ad lamenta, tũc Dei se præsentia sciat visitari: quandò id quod se amisisse recolit, interiùs erubescit, suoque iudicio pœnitendo iam punit. Nam tunc *Petrus flevit*, quandò in *eum Deus respexit*. Vnde

Compunctio cordis vnde concipitur.

Luc. 22. 61. & 62.

Psalmi-

Psalmista, *Respexit*, inquit, *& commota est & contremuit terra.* Psal. 76.19
Gressus Dei sunt in corde hominis interioris, quandò bona desideria surgunt, vt calcentur mala. Quandò ergò ista in corde hominis fiunt, sciendum est tunc esse Deum per gratiam cordi humano præsentem, vnde se tunc magis homo acuere ad compunctionem debet quandò sentit Deum interiùs operantem. Quomodò mens hominis iusti ex vera compunctione rapiatur, & qualiter infirmata revertatur, degustatæ lucis magnitudine illum nosse posse qui iam aliquid exinde gustavit Sunt qui non ex vera cordis compunctione sui accusatores sunt, sed tantum ad hoc esse se peccatores assignant, vt ex ficta humilitate confessionis locum inveniant sanctitatis.

De cõfessione peccatorũ & pœnitẽtia *Cap.* 13.

EX eo vnusquisq; *iustus* esse incipit, ex quo *sui accusator* ex- Prov. 18.17
titerit. Multi autẽ contra semetipsos peccatores fatentur, & tamen semetipsos à peccato non subtrahunt. Magna iam iustitiæ pars est semeipsum nosse, homo qui pravus est, vt ex eo divinæ virtuti subdatur humilius, ex quo suam infirmitatem agnoscit. Benè se iudicat iustus in hac vita, ne iudicetur à Deo damnatione perpetua Tunc autem iudicium de se quisque sumit, quandò per dignam pœnitentiam sua prava facta condemnat. Amaritudo pœnitentiæ facit animum & sua facta subtilius discutere, & dona Dei quæ contempsit flendo commemorare. Nihil autem peius quàm culpam agnoscere, nec deflere. Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator, sive quia per negligentiam bonum non fecit, seu quia malum per audaciam perpetravit. Quod enim oportuit non gessit, & gessit quod agere non oportuit. Ille pœnitentiam dignè agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit, condemnando scilicet ac deflendo quæ gessit, tantò in deplorando profusius, quantò extitit in peccato proclivius. Ille pœnitentiam dignè agit, qui sic præterita mala deplorat, vt futura non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lavet laterum crudum, quem quantò magis laverit, tantò amplius lutum facit. Quàmvis quisque sit peccator & impius si ad pœnitentiam convertatur, consequi posse veniam creditur. Nullus enim de bonitate Dei dubitat, sed sola accipientium pravitas con-

Cognitio sui magna pars iustitiæ

conferri sibi indulgentiam abnegat. In hac vita tantùm pœnitentiæ patet libertas, post mortem verò nullam correctionis esse licentiam. Vnde & Dominus dicit, *Me oportet operari opera eius qui me misit donec dies est. Veniet autem nox quando nemo potest operari.* Hinc & Propheta, *Date*, inquit, *Domino Deo nostro gloriam antequàm contenebrescat*, id est, antequàm mors æterna præveniat. In hac vita dùm estis, Deum per pœnitentiam glorificate. Adhuc in hoc sæculo pœnitentiam operantibus Dei misericordia subvenit. In futuro autem iam non operamur, sed rationem nostrorum operum ponimus. Per id deteriorantur plerumque iniqui, quod per patientiam Dei spatium accipiunt emendandi: quia illi mora vivendi non vtuntur ad pœnitentiam, sed ad peccandi vsurpant audaciam. A malo autem in deteriùs vadit, qui tempus sibi ad pœnitendum indultum, ad libertatem pravi operis vertit. Festinare debet ad Deũ pœnitendo vnusquisq; dũ potest, ne si dũ potest noluerit cùm tardè voluerit, omninò non possit. Proinde Propheta ait, *Quærite Dominũ dùm inveniri potest, invocate eũ dum propè est.* Et vbi *inveniri potest*, nisi in hac vita in qua etiam & *propè est omnibus invocantibus se?* Nam tunc iam longè erit quandò dixerit, *ite in ignem æternum.* Modò autem non videtur & *propè est*: tunc videbitur & propè non erit: quia & videri poterit, & non *poterit inveniri.* Si quandò quisque peccare potest, pœnitet, vitamque suam vivens ab omni crimine corrigit, non dubium quod moriens ad æternam transeat requiem. Qui autem pravè vivendo pœnitentiam in mortis agit periculo: sicut eius damnatio incerta est, sic remissio dubia. Qui ergò cupit in morte certus esse de indulgentia: sanus pœniteat, sanus perpetrata facinora defleat. Sunt qui pœnitentibus securitatem citò pollicentur, quibus benè per Prophetam dicitur, *Curabant contritionem filiæ populi mei, cum ignominia dicentes pax, & non erat pax. Cùm ignominia* igitur *curat contritionem*, qui peccanti & non legitimè pœnitenti promittit securitatem. Vnde & sequitur, *Confusi sunt quia abominationem fecerunt*, id est, *confusi sunt* non pœnitendo, sed pœnas luendo. Aliter enim confunditur coram iudice reus, dùm plectitur, atq; aliter qui de malo opere erubescens corrigitur. Ille enim quia reprehensus est, confunditur: iste, quia se malum fecisse memoratur. Quàmvis per pœnitentiam propitiatio peccatorum sit, sine metu tamen homo esse non debet, quia pœnitentis

Ioan. 9. 4.

Hier. 13. 16.

Esai. 55. 6

Psal. 144. 18

Mat. 25. 41

Hier. 6. 14

Ibidem, 15.

Secura non est pœnitentia qua de mùm in periculo mortis agitur.

De peccatis remissis non oportet esse sine metu.

tentis satisfactio divino tantùm pensatur iudicio non humano. Proinde quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. Neq; enim vnquàm oportet pœnitentem habere de peccatis securitatem. Nam securitas negligentiam parit: negligentia autem: sæpè incautum ad vitia transacta reducit. Dùm per pœnitentiam expulsa fuerint ab homine vitia, si forte post hæc intercedente securitate quælibet culpa subrepserit, confestim delectationes pristinæ vitiorum mentem avidiùs irrepunt: pulsanteſq; hominem in consuetis operibus graviùs pertrahunt: ita vt *sint nouissima hominis illius peiora prioribus.* Mat. 12.45

De desperatione peccantium *Cap.* 14.

Ad Deum itur per affectus bonos & recedituꝛ ab eo per malos affectus.

NOn per locorum spatia, sed per affectum bonum vel malum itur recedituꝛve à Deo. Neque enim gressu pedum, sed gressu operum vel morum elongamus vel appropinquamus ad Deum. Perpetrare flagitium aliquod, mors animæ est: contemnere pœnitentiam & permanere in culpa, descẽdere in infernum post mortem est. Ergò peccare ad mortem pertinet, desperare verò in infernum descendere. Vnde & scriptura ait, *Impius dum in profundum malorum venerit, contemnit,* Prov. 18.3. Sæpè diabolus eos quos converti ad pœnitentiam aspicit, immanitate sceleꝛum percussos ad desperationem deducit: vt subtractâ spe veniæ, trahat in diffidentiam, quos non potuit retinere perseverantes in culpa. Sed pœnitens prævidere debet callidas contra se hostis insidias, sicque Dei iustitiam metuat, vt tamen quàmvis in magnis sceleribus de misericordia eius confidat. Ampliùs lætatur Deus de anima desperata, & aliquandò conversa quam de ea quæ nunquàm extitit perdita: sicut de prodigo filio qui *mortuus fuerat & revixit, perierat & inventus est,* de cuius regressu magnum fit gaudium patris. Luc. 15.24.

Gaudium Dei super conversione peccatoris.

Non aliter coram Deo & angelis copiosius est gaudium de eo qui à periculo liberatur, quàm de eo qui nunquàm novit peccati periculum. Quantò enim contristat res perdita, tantò magis si fuerit inventa lætificat: sicut in Evangelio pastor, ille exultat, qui perditam ovem inventam humeris suis gaudẽs reportat. Nullus desperare debet veniam, etiamsi circa finem vitæ ad pœnitentiam convertatur. Vnumquemq; enim Deus de suo fine, non de vita præterita iudicat. Hoc quippè & legis testimonio edocetur: quod homo de suo extremo iustificatur, Ibidem 5.

quan-

Exo. 34.20 quandò Deus pro asini primogenito ovem iussit offerri, hoc
est, immunditiam vitæ prioris mutandam per innocentiam
Levit.7. 3. boni finis. Vnde ex cauda iubetur offerri in hostiam, id est, vi-
ta extrema in pœnitentiam. Multi superna respersi gratia in
extremis suis ad Deum revertuntur per pœnitentiam, & quæ-
cumq; mala gesserunt, quotidianis fletibus purgant, atque in
bonis factis mala gesta commutant, quibus iustè totum quod
deliquerant ignoscitur, quia ipsi quod malè gesserunt pœni-
tendo cognoscunt. In vita hominis finis quærendus est: quo-
niam Deus non respicit, quales antea viximus, sed quales cir-
ca finem vitæ erimus.

De his qui à Deo deseruntur *Cap.* 15.

DEserente Deo, nullum pœnitere, Deo respiciente sua v-
numquemq; facta videre & plangere, & vnde ceciderit
cogitare. Nonnulli autem ita despiciuntur à Deo, vt deplora-
re sua mala non possint etiamsi velint. Consilio immundorũ
spirituum, hoc est, quia ipsis negatum est post prævaricatio-
nem regredi ad iustitiam, obserare aditum pœnitentiæ homi-
nibus cupiunt, ne vel ipsi revertantur ad Deum: eosq; socios *Deserti à Deo tradun tur potestati dæmonum.*
in perditione habere contendunt, quibuscumq; fraudibus in-
sistentes, vt aut deserantur â Deo, aut flagelli immanitate
desperent. Ingemiscendum est iugiter, & postposita securita-
te lugendum: ne Dei secreto & iusto iudicio deseratur homo,
& perdendus in potestate dæmonum relinquatur. Nam reve-
ra quem Deus deserit dæmones suscipiunt. Dominici contem-
ptores præcepti, statim vt avertuntur à Deo, à malignis spiri-
tibus occupantur, à quibus etiam vt mala faciant persuaden-
Nahum.1.8 tur. Hinc est illud propheticum, *Inimicos Dei persequuntur te-*
nebræ, quæ intelliguntur dæmones. Vnde & in Psalmo legi-
Psal.77. 49 tur. *Immissiones per angelos malos.* Quidam reproborum in po-
testate dæmonum occulto Dei iudicio & iustissimo redigun- *Deus iustè*
Esa. 34.17. tur. Esaia testante, *Ipse misit eis sortem & manus eius divisit eis eam* *quosdam*
in mensura, vsq; in æternum possidebunt eam. Quidam electorum *electos finit*
dimittuntur divina iustitia incidere in errorem peccati: sed *labi in pec-*
tamen miseratione eius reducti denuò convertuntur. De tali *catum, &*
Esai.57.18 bus enim per Prophetam Dominus loquitur, *Et dimisi eum, &* *misericordi-*
reduxi eum, & reddidi ei consolationem. Nonnunquàm etiam re *ter post ad*
vertens Deus ad hominem, quem deseruerat, rursus affligens *se reducit.*

visitat: & per lamenta lachrymarum ac pœnitentiæ afflictionem à peccatis expurgat (dicente Iob ad Deum) *Propter superbiam*, inquit, *quasi leænam capies me, reversusq; mirabiliter me crucias.* Revertens enim Deus hominem *cruciat*: quandò quem peccantem deseruerat, flagellando iterùm visitat. Malis actibus contra nos ampliùs cœlestem iracundiam nequaquàm provocare debemus, quin potiùs si pœnitendo digna Deo acta gesserimus, severitatem eius in clementiam commutabimus. Nam ille qui nos malos tolerat, non dubium est quod conversis clementer ignoscat. Nam quod servatur nobis tempus pœnitentiæ vt non simul morte obruamur præcipiti: sed detur locus satisfactionis hoc totum de Dei procedit clementia, vt nos non damnet crudeliter, sed expectet ad pœnitentiam patienter. Iob. 10. 16.

VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI

In Cantica Canticorum

LIBER PRIMVS

De Gratia Dei contra Iulianum.

SCripturus (iuvante gratia superna) in Cantica Canticorum, primò admonendum putavi lectorem, vt opuscula Iuliani Celanensis Episcopi à Campania, quæ in eundē librū confecit, cautissimè legat: ne per copiā eloquentiæ blandientis, in cœnum incidat doctrinæ nocentis. Sed, vt dici solet, ita carpat botrum, vt & spinam caveat, id est, in dictis eius sanos sensus scrutetur, & eligat, vt non minùs vitet insanos. Vel potiùs illud faciat Maronis, *Qui legitis flores, & humi nascentia fraga, Frigidus ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.* Hoc est, ab eius se per omnia lectione compescat, cùm habet eos, qui eundem librum & sanis

nis sensibus, & simplicioribus verbis exposuerunt. Est enim homo vt rhetor peritissimus, ita *gratia Dei* post Pelagium, impugnator acerrimus: vt apertius scripta eius, quibus contra strenuissimum eiusdem Gratiæ propugnatorem Augustinum insanivit, ostendunt. Cuius causa duelli, primum de amore libellum composuit, sub obtentu, quasi hunc à fœdissima foret voluptate secreturus, re autem vera suam confirmaturus hæresim: qua (vt breviter plura constringantur) docet nos per arbitrium liberæ voluntatis, posse bona facere quæ volumus, quàmvis per auxilium gratiæ Dei faciliùs ea perficere queamus: Quomodò viantes, iter & pedibus quidem peragere valemus, sed minore (absque dubio) labore cum nobis equi quibus vehamur affuerint. Immemor Apostolicæ admonitionis, quâ dicit *cum metu & tremore vestram salutem operamini.* *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle & perficere.* Et quod est gravius, impugnator eius, qui non ait: Sine me modicum quid potestis: sed *sine me*, inquit, *nihil potestis facere.*

Iulianus rhetor. Dogmata Iuliani. I.

Phil. 2. 12. & 13. Ioan. 15. 5.

Docet clausa legis sacramenta solos intueri posse eos quos oculatos & eruditio reddidisset, & pietas: Oblitus gratiæ Dei, quæ etiam illiteratis & idiotis, scripturarum arcana revelavit: dicente Evangelista, *Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas.* Quos idiotas fuisse testatur idem Evangelista cùm ait, *Videntes autem Petri constantiam & Ioannis, & comperto quod homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur.* II.

Luc. 24. 45. Act. 4. 13.

Dicit sanctum nobis ac generosum amorem, ab ipso lucis exordio, naturâ conciliante insitum, & ad vltimam vsque senectutem solis viribus animi innixum, sine vllo damno sui persistere vigoris: Incredulus profectò Domini sententiæ, *Quia sine illo nihil possumus facere:* Sed & Apostolici sermonis, *Quia in multis offendimus Deum omnes.* Et mirum, vbi didicerit Iulianus sanctum nobis ac generosum amorem, ab ipso lucis exordio natura conciliante insitum, cùm natus de patriarcharum stirpe Apostolus dicat, *Fuimus & nos aliquandò natura filij iræ.* Quomodò autem natura, nisi quia peccante primo homine ac sanctum deserente amorem, vitium pro natura adolevit? Mirum, vbi invenerit, vel inveniri posse putaverit Iulianus hominem, saltem vnum, in quo amor sanctus, solis animi viribus innixus, vsque ad senium sine damno sui persisteret vigoris, cùm ille qui præ amore præcipuo dignus erat in sui conditoris sinu recumbere, inter eos qui eius gratia struū- III.

Ioan. 15. 5. Iacob. 3. 2. Ephes. 2. 3.

tur, invenire potuit nullum: quin potiùs humili confessione testatus sit, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. Ioan. 1. 8

IIII. Dicit amorem nostrũ, sicut de corpore trahere quod est perturbatus & rapidus, ita de animo, qui sit sublimis atq; continuus. Quod etiã vtrunq; veritati probatur esse contrarium. Si autem amor noster de corpore & non de animo potiùs traheret, quod est perturbatus & rapidus, & non diceret Dominus, *Ab intus enim de corde hominum cogitationes malæ procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritia, nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia autem mala ab intus procedunt, & coinquinant hominem.* Mat. 15. 19 & 20. Et rursum, si noster amor, non de quotidiana Dei gratia, sed de natura vel viribus animi haberet vt esset sublimis atq; continuus, non diceret Apostolus de suis sanctis laboribus, quibus vtiq; per amorem sublimem atq; continuũ insistebat, *Sed abundantiùs illis omnibus laboravi, non autem ego sed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15. 10. Et iterùm, *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. 5. Sed etsi non à Domino, verùm à seipso bona sua opera, in quibus absq; vlla contradictione amor sublimus atq; continuus arcem tenet, habebat, frustrà Domino pro his, quæ non dedit, gratias egit, dicens: *Deo autem gratias, qui nos semper triumphat in Christo Iesu.* 2. Cor. 2. 14

V. Dicit eundem, quàm diù nihil de gentilitatis voluntate desiderat, quasi ad solius animi moveri arbitrium, & in actibus suis habere iocunditatem, vt perturbationis immunem, ita etiã libertate gaudentẽ. Quod est apertè dicere, quia exceptis quæ ad carnis stimulos pertinent, in arbitrio sit animi nostri situm, cui se amori, vel quantum subdiderit, quòcq; idem amor, solo animi motu dispensante, id est, nulla Dei gratia actus operum quoq; bonorum perfectionem liberam, & nulli obnoxiã perturbationi possideat. Quod quantum à verò distet, patenter quisq; prudens intelligit. Quare enim tanta multitudo fidelium *diligere* quærens *conditorem, ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum* quemq; *vt seipsum*, non semper hoc quod cupit obtinet, nisi quia amor idem non ad animi movetur arbitrium, vt Iulianus existimavit, sed vt novit Paulus *charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis?* Ideòque non æqualis est in omnibus, quia habemus singuli donationes gratiæ, quæ datæ sunt differentes. Quare autẽ tan-

Amor Dei est ex Deo. Mat. 22. 37 & 39. Rom. 5. 5.

tantis sæpè non solùm deforis, sed & de ipsa mente nascentibus præpedimur adversis, nec omnia quæ desideramus, bona valeamus perficere, nisi quia fallitur, qui dicit amorem nostrum pro solo animi arbitrio, in actibus suis habere iocunditatem vt perturbationis immunem, ita etiam libertate gaudentem? verum canit Psalmista, qui ait, *A Domino gressus hominis dirigitur, & viam eius cupit nimis. Cùm ceciderit iustus non conturbabitur, quia Dominus confirmat manum eius.* Vbi apertè designat, quia nec intra crebra Dominicæ protectionis auxilia à perturbatione vitiorum esse valemus immunes: neq; in omnibus actuum nostrorum gressibus, de naturæ libertate, sed de divina debemus directione gaudere. Fruſtra autem Iulianus genitalem vult exceptam voluptatem, quæ sola ad animi nostri non moveatur arbitrium. Quasi non iracundiæ, vel superbiæ, philargiriæ, gastrimargiæ, cenodoxiæ, cęteraq; huiusmodi rabies, multò laborioſius quàm libidinis incentiva devincantur. Quæ & ante tempora pubertatis, nostrum animum perturbatura adveniunt: & edomita sæpè, vel per naturam cessante libidine nihilominùs ipsa nos impugnare non cessant.

Psal 36. 23 & 24.

CAPVT II.

DIcit, adiutorium Sancti spiritus præcedentibus nostris studiis ac meritis dari, atque ad hoc dari, vt genus humanum arctiùs diligamus. Quod ipsius verbis ponere per ordinem libuit. *Cùm igitur*, inquit, *sapientis animus, qui voluptatem subiicit dignitati amoris, & incitat & ordinat appetitum, nunquàm fines transit officij: sed ad eam magnitudinem atque pulchritudinem studiis procedit ac meritis, vt generosum eius ignem gratia sancti spiritus incipiat ventilare: tunc fit illa charitas, quæ non propinquos solùm aut cives, sed ipsum genus humanum gremio suo conatur amplecti.* In qua vna sententia quot & quantæ sint blasphemię, facilè catholicus lector animadvertit. Patet enim quid humanæ arbitrio libertatis, quid gratiæ tribuat spiritali: quia animum hominis per se sapientem fieri, per se dignitatem sancti & generosi amoris habere, per se huic amori voluptatem subiicere carnis, per seſe & incitare ad virtutes, & ordinare appetitum posse testatur: in tantum, vt nunquàm fines transeat officij illius, quo idem amor excolendus est. Qui ipsum animum suis studiis ac meritis, ad eam magnitudinem ac pulchritudinem procedere dicit, vt Sancti spiritus sit dignus auxilio. Cuius

Iulianus.

jus videlicet spiritus adventu, non ita ait iuvari animum, quomodò flamma vel fax, cùm accenditur caliginosam iuvat domum quam illustrat, sed ita potiùs, quomodò ardentem, sive lucentem ventus iuvat ignem vt ampliùs clarescat, qui quidē & sine flatu venti accendi atque ardere, ac magnam consumere sylvam poterat: sed tamen vento impellente, magis gis magisq; flammescit. Hoc enim significat dicendo: *vt generosum eius ignem gratia sancti spiritus incipiat ventilare.* Tanta animi bona præmiserat, & post omnia hæc, incipere in ea gratiam sancti spiritus dicit, quasi supervenientem auxiliatricem, & non prævenientem inspiratricem, atque authorem in nobis studiorum meritorumq; bonorum. Qua tamen eius ventila-
Iulianus. tione, quid in generoso animi sapientis igne agi credat, intuere. *Tùm sit illa*, inquit, *charitas quæ non propinquos solum aut cives, sed & ipsum genus humanum gremio suo conatur amplecti.* Videsne gò qui tantum virium nostro animo tribuit, quia spiritui gratiæ tribuat, quam & sero in auxilium ipsi animo advenire, & tunc ei non illam charitatem qua Deus, sed illam solummodò qua genus humanum diligatur, infundere dicit: oblitus vel incuriosus Apostolicę fidei, quæ dicit: *Quia charitas* Rom. 5. 5.
Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Prolixi est operis cunctas eius, quas in libro hoc posui, ineptias, in medium proferre ac testimoniis refellere veritatis. Sufficiant hæc pauca exempli gratia posuisse, ex quibus possunt cætera quàm sint detestanda, coniici.

CAPVT III.

POst hæc autem & huiusmodi innumera, quibus primum librum cōtra gratiam Dei disputando complevit, non minore secundū librum eiusdem hæresis peste conmaculavit. Denique exponens quod dictum est: *Quia meliora sunt vbera tua* Cant. 1. 1.
vino, de natura lactis fœdissimè philosophatus est: moxque fœdiùs multò, qualitatem naturæ illius ad confirmationem sui erroris transferre conatus. Quod quia totum ponere, & horrori & nimis longum est, partē ponere satis duximus. Inse-
Iulianus. rens se ergò personis eorum, contra quos sub nomine Manichæorum pugnabat, ait inter cætera. *Asserebat namq; opiniones nostras adhuc prorsus spumantium æstus errorū ducere, vt calumniam verteremus in ipsum authorem: & levandi reatus gratia, quem crimina nimirum voluntatis vrebant, ipsam naturam corporis subdebamus*

debamus infamiæ, incapaces bonitatis, & plenos iniquitatis in lucem istam nos venire iurando. Denique *nullum ferè ad iustitiam, quid dico ratione, sed ne sacræ quidem legis institutione perduci.* Deprecabatur *namq; hæc opinio naturam carnis & sanguinis. Sed postquam salutare mysterium,* Dei *& hominum mediator arripuit vt consummatissimæ virtutis daturus exemplum, naturam hominis mortalis assumeret, ostendit omnia crimina morum fuisse non seminum.* Deniq; *voluntatibus ad meliora conversis, non solum legis, sed etiam evangelica præcepta posse compleri.* Quibus sermonibus eius breviter respondendum. Quia nequaquam in authorem naturæ nostræ calumniam vertimus, cùm nos in iniquitatibus conceptos, & esse in delictis natos dicimus: sed fatemur, quia in primis naturæ nostræ parentibus ad eius similitudinem facti sumus, vt immortales & sine peccato, in delitiis paradisi iuuante gratiâ eius viveremus: quam videlicet beatissimam vitæ primitivæ munditiam, si custodire curarent ipsi protoplasti, & non magis hosti crederent quàm authori, vsque hodie progenies ex eis sancta & impolluta, delitias paradisi, mortis simul & peccati nescia, incoleret. At dùm nullâ necessitate naturæ, verùm solâ vagæ mentis incuriâ peccato consensere, moxq; iusto conditoris iudicio de loco paradisi voluptatis exclusi, ac morte mulctati peccati quod temerè contraxerant, stirpi generiq; suo reliquêre contagium: Factum est vt peccati quod ipsi spôtè commiserunt, nos etiam nolentes reatu constringeremur: ita vt ne parvuli quidem qui nil boni vel mali velle possunt, ab hoc possint immunes existere, nisi donante gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Vndè probatur falli Iulianus, cùm dicit, Reatum nobis solo crimine voluntatis accensum: & sicut pòst apertiùs suum sensum aperuit dicens: *omnia crimina morum esse non seminum.* Seminum sunt namque, quæ ex Adam originalia traximus. Morum verò sive voluntatum seu fragilitatis & ignorantiæ, quæ ipsi per nos crimina addimus. Probatur falli, cùm reprehendit eos, qui naturam nostri corporis, non eam quæ protoplasti sancta & immortalis creata est: sed illam quæ post eorum prævaricationem viciosa effecta est, subdunt infamiæ, dicentes. *Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea bonum.* Et quod idem Apostolus ait: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc tantum sibi invicem adversantur, vt non quæ vultis, illa faciatis.* Probatur falli, cùm vituperat eos, qui nos in lucem istâ

Primus status hominis.

Peccatum originale.

Rom. 7. 18. Gal. 5. 17.

incapaces bonitatis, & plenos iniquitatis venire testantur. Verè enim profitemur omnes homines in lucem istam plenos iniquitatis, ex reatu primæ prævaricationis venire, incapaces autem bonitatis, absit vt nos nasci iuremus. Sed hæreticus, vt artificiosiùs deciperet infirmos, iunxit mendacio perfidiæ veritatem catholicæ professionis. Probatur falli, cùm iurare nos dicit nullum ad iustitiam non solùm ratione, sed ne sacræ quidem legis institutione perduci. Quinimò fatemur, & ratione, & doctrinâ sanctæ legis, ad iustitiam nos auxiliante Domino perduci. Absque gratia verò illius nec per naturalis subsidia rationis, nec per diuinæ legis scita, nos posse iustificari: A postolo teste, *Quia litera occidit, spiritus autem vivificat.* 2. Cor. 3. 6 Id est, litera præcipiens occidit, si non assit spiritus, qui præcepta literæ donet impleri. Et spiritus vivificat, donando vt perfici litera possit. Quod autem ait de Domino, vt consummatissimæ virtutis daturus exemplum, naturam hominis mortalis assumeret: secretiùs hæresis suæ virus evomuit, quia dicit, Venientem in carne Dominum non dona nobis, sed exempla contulisse virtutis. Vndè dicit post modicum, de ipsius inquam susceptione carnis, morum peccata damnavit: non naturam videlicet carnis, sed opera commutando, vt iustificatio legis sub exemplo ipsius compleretur in nobis.

Gratiæ necessitas.

CAPVT IV.

Iulianus. ITem in expositione verficuli, *collum tuum sicut monilia.* Cùm *pulchra* (inquit) *per naturam cervix gemmarum insignitur, ornatu, fœlicitatem sine dubio auget industrias & quasi se digna conveniunt, honor videlicet monilium & cervicum venustas.* [*Sic ergò & in te, cuius generositatem doctrina componit: vt virtutes quas natura inchoet, disciplina consummet.* Pro eo vt diceret, gratia inchoet, gratia consummet, gratia coronet. Item post innumera huiusmodi, quæ in ipsis eius opusculis pius lector facillimè deprehendet, in explanatione versiculi, quo dictum est, *Apprehendam te, & inducam in domum matris meæ, ibi me docebis,* patentiùs quæ contra fidem vesana sentiret, intimavit dicens de Domino. *Iam in ipsâ infantiâ multa qua discere debeamus, ostendit. Primò ipsum esse opificem vniversorum, ex masculi & fœminæ coniunctione nascentium, qui sibi sine ministerio viri corpus ex virgine fabricasset.* Deindè *nullum peccatum esse homini congenitum: quandoquidem ille & carnis veritate* Cant. 1. 9. Cant. 8. 2.

Iulianus.

te circundatus, & maculæ immunis extiterit. Postremo originem nostram non posse, nisi impiè diaboli operibus ascribi quæ Deo verò non solum conditore, sed etiam habitatore gauderet. Non solùm autẽ hæc dicendo errorem struit, sed hoc ipsum etiam interveniente agit exemplo. Nam peccatum esse homini cognitum testatur scriptura, quæ dicit: *Eccl. 40. 1.* *Grave iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrẽ omnium.* Imò hoc ab ipsâ conceptione esse homini coævum testatur beatus *Iob 14. 4.* Iob, cùm Domino supplicans ait. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Et quæ poterit esse consequentia, vt ideò dicatur nullum peccatum hominibus ex masculi & fœminę coniunctione nascentibus esse congenitum, quoniam filius Dei qui sibi sine ministerio viri corpus ex virgine fabricavit, & carnis veritate circundatus, & maculæ immunis extitit? Quæ est ratio consequens, vt homo purus innocentiam suæ nativitatis astruat exemplo nati in carne *mediatoris Dei & hominum*, cùm de illius nativitate *Luc. 1. 35.* dixerit virgini matri archangelus. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei:* Nostræ autem parenti post reatum *Gen. 3. 16.* prævaricationis dixerit iustus iudex. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: In dolore paries filios, & sub viri potestate eris.* Sed neque hoc quod dicit *originem nostram non posse nisi impiè diaboli operibus ascribi quæ Deo vero non solum conditore, sed etiam habitatore gauderet*, aut catholicè aut consequenter fecit. Quia nimirùm diabolus etsi peccatum protoplastis intulit, nec tamen eis naturalis procursum bene dictionis abstulit, quã *Gen. 1. 28.* audierant. *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Non ergò illâ impietate decipimur, quam nobis improperat Iulianus, vt originem nostram diaboli operibus ascribamus, quam primordialis opere benedictionis à Deo conditam scimus. Absit autem vt originem nostram post prævaricationis malum, Deo dicamus esse gavisam ante remedium secundæ regenerationis quæ fit *ex aqua & spiritu sancto*, donante *gratia Dei per Iesum Dominum nostrum.*

CAPVT V.

PAuca hęc de pluribus, ex prędato opere Iuliani ad cautelam legentium annotasse necessarium duximus: quorum admoniti exemplis, vigilantiùs in reliquâ eius lectione, quæ non minùs noxia sæpè salutaribus dicta interserit, circumspiciant. Nam & in aliis opusculis eandem suam hæresim, quâvis multùm reclamante sanctissimo ac doctissimo antistite Augustino, affirmare non dubitat. Denique in libro, quem de bono constantiæ scripsit, bonum naturæ libertatemque nostri arbitrij (vt ipse autumat) contra perfidiam Manichæi, magnâ instantiâ defendit: vt autem veritas probat, magna pervicacia contra fidem cœlestis gratiæ durat. *Hæc namque est* (inquit idem) *constantia, quæ maximè asserit arbitrij potestatem ac bonum, eiusque naturæ & humani animi motus liberos, dum ostendit omnementis bonam voluntarium, nec vlli vnquam casui obnoxium.* Motus autem me non solùm carnis, sed nec animi habere liberos docent, non apostolicæ tantùm literæ, verùm etiam ipsæ meæ cogitationes, quæ volentem me sæpissimè, conantemque (vt de cæteris taceam) fixâ mente ac desiderio infatigabili, devotioni orationis incumbere non sinunt. Qui, si motus animi liberos haberem, ita vellem continuè tempore orationis animum precibus intentum retinere, quomodo membra corporis facillimè soleo quoties volo, quocunq; vel situ vel loco orationis componere. Et paulò post, *Ipsa enim armat* (inquit idem) *egregium cuiusque & accendit animum, dum libertatis suæ semper admonet, dumque omnes ab eo repellit metus.* Quanto enim melius expugnaret Manichæum, si diceret. Quia gratia Dei fecit egregium cuiusq; electi animum, & accendit ad studia virtutum, dùm illum infirmitatis suæ semper admonet, & quia sine ipsa nihil facere potest: dumq; omnem ab eo fiduciam suæ repellit virtutis, ac Deo canere suadet: *Fortitudinem meã ad te custodiam.* Et iterum post multa, quibus libertatem nostræ voluntatis prædicat, ait. *Etenim sicut præclarè à doctissimis atque orthodoxis disputatum est, nemini verè vnquam noceri nisi à seipso potest: nec est prorsus aliquid quo quisquam invitus fiat miser. Quid tandem virtus timebit, nisi defectum sui, quo homini in æternum nocetur?* Quæ nequaquam stare sententia nisi apud hæreticos potest: quia constat nimirum quod peccatum Adæ

Liber. Iul. de bono constan.

Iulianus.

Iulianus. *Psal. 58.10*

cunctis

cunctis hominibus nocet: nòn quidem à seipsis, verùm ab illo qui primi facinore reatus totum genus humanum (nisi quem gratia Christi liberat) perpetuò damnavit. Nocet hæreticorũ malitia illis, quos catholicam scire ac tenere fidem desiderantes, in interitum nescientes, nolentesque detrahit. Verùm timens Iulianus, ne si in tanto hoc volumine totum, quod rectè viveremus, libertati nostrę voluntatis tribueret, quasi apertus gratię Dei hostis detestaretur, atque anathematizaretur ab omnibus, fecit & huius, hoc in loco mentionem: Et hoc ità occultè, vt non omnes eam virtutes dare, sed vnam in nobis solummodò iuuare diceret, & firmare constantiam. *Divina enim gratia est* (inquiens) *amare & firmare constantiam, qua cæteras possit custodire virtutes, & contra omnia quæ resistunt, defendere virtutem.* Vbi & cautissimo vsus est verbo, vt non diceret eam donare, quasi anteà non habitam, nobis constantiam: sed potiùs iuuare ac firmare, quasi à nobis iam exortam, vt ventus flammam ignis, quam non ipse accendit sed aliundè accensam vt clarius flammescat, adiuuat, & ne extingui debeat flando confirmat. Sicut ab ipso libro de amore plenius sensum suum dilucidasse monstrauimus. Circa huius autem libelli finem manifestè prodit ipse Iulianus, quâ intentione in huiusmodi assertionibus per cuncta quæ considerat opuscula laboraret. *Scandalum* (inquiens) *Manichæo est, eo quod commentitum, id est, abnegantes Dominum nostrum, qui est verus, fatemur, † offendit quia naturam bonam, quia liberum hominis asserimus arbitrium.* Sed & in libro, quem ad demetriadem virginem Christi de institutione virginis scripsit, hæc eadem de potentiâ liberi arbitrii, quomodò sentiat, pandit. Quem videlicet librum nonnulli nostrum studiosè legentes, sancti & catholici doctoris Hieronymi esse temerè arbitrantur: minimè pervidentes quod & suauitas eloquentiæ demulcentis, & hæresios perversitas seducentis manifestè probat hoc illius opusculum non esse. Quin potiùs ipse fidem eius, vel magis perfidiam in dialogo Attici & Critobuli, quem vivente Pelagio ædidit, cùm adhuc Iulianus ab eo puerulus, quasi in caverna colubri, nutriebatur regulus, diuinis expugnarit ac protriverit eloquiis. In hoc ergò Iulianus libro, & in aliis se opusculis eandem suam hæresim confirmasse declarat, ità scribens. *Quoties mihi de institutione morum, & sancta vita conversatione dicendum est, soleo prius huma-*

Iulianus.

† *Aliàs fatemur offendere.*

Hiero. tomo quarto epist. 1.

Epist ad demetriad. 2

na natura vim, qualitatemque monſtrare, & quid efficere poſsit oſtendere. Et paulò poſt, *Quem ergo,* inquit, *exhortationis ordinem,* Ibidem. *cùm in aliis quoque opuſculis tenuerim, tùm hic maximè ſervandum fuit, vbi eo plenius bonum naturæ declarari debet, quo vita inſtituenda perfectior.* Item in proceſſu libri eiuſdem, *Quam enim* (inquit) cap.3. *multos Philoſophorum & audivimus & legimus, & ipſi vidimus caſtos, patientes, modeſtos, liberales, abſtinentes, benignos, honores ſimul mundi ac delitias reſpuentes, & amatores iuſtitiæ non minus, quàm ſapientiæ. Vnde quæſo hominibus alienis à Deo iſta, quæ Deo placent? Vnde hæc illis bona niſi de naturæ bono? Et cùm iſta; quæ dixi, vel vnum ſimul omnia, vel ſingula ſingulos habere videamus, cùmque omnium vna natura ſit, exemplo ſuo invicem oſtendunt omnia in omnibus eſſe poſſe, quæ vel ſingula inveniuntur in ſingulis. Quod ſi etiam ſine Deo homines oſtendunt quales à Deo facti ſunt, vide quid Chriſtiani poſsint, quorum in melius in Chriſto inſtaurata natura eſt, & qui divinæ gratiæ iuuantur auxilio.* Et poſt multa huiuſmodi Cap.6. loquens de B. Iob: *O virum* (inquit) *ante Evangelia evãgelicum, & Apoſtolorum ante apoſtolica præcepta diſcipulum: qui aperiens occultas naturæ divitias, & in medium proferens ex ſe, quid omnes poſſumus,* Cap.8. *oſtendit.* Item poſt pauca, *neque nos* (inquit) *ita defendimus naturæ bonum, vt eam dicamus malum facere non poſſe, quam vtique boni ac mali capacẽ etiã profitemur: ſed ab hac eam tantummodò iniuria vendicamus ne eius vitio ad malum videamur impelli, qui nec bonum ſine voluntate, nec malum faciamus; & quibus liberum eſt vnum ſemper agere, cùm ſemper vtrumq; poſſumus. Vnde enim alij iudicaturi ſunt, alij iudicandi, niſi quia in eadem natura diſpar voluntas eſt? Et quia* Ibid. *cùm omnes idem poſſumus, diverſa facimus?* Et paulò poſt, *Adam* Ibid. *de paradiſo electum, Enoch raptum de mundo eſſe* commemorans, adiecit, *nec enim à iuſto Deo, aut ille puniri meruiſſet, aut hic eligi, niſi vterque vtrumque potuiſſet. Hoc de Cain & Abel fratribus, hoc etiam de Eſau & Iacob gemellis intelligendum eſt, ac ſciendum ſolam* Ibid. *voluntatis eſſe cauſam, cùm in eadem natura merita diverſa ſint.* Et rurſum poſt pauca, *neque verò* (inquit) *alia cauſa nobis quoque difficultatem benevivendi facit, quam longa vitiorum conſuetudo, quæ nos cùm inficit à parvo, paulatimque per multos corrumpit annos, tùm poſteà obligatos ſibi & addictos tenet, vt vim quandam videatur habere naturæ.* Item poſt multa, quibus optimè virginem Deo dicatam inſtituit, (& reverà multùm vtile ac ſalubre opus perficeret, ſi eam divinæ gratiæ in omnia

nia ſuffragia flagitare, & non animi ſui libertate, viribuſque fidere doceret: quomodo etiam in illo, quem de bono conſtantiæ ſcriptum ab eo diximus librum, multùm prodeſſet virtutum ſtudioſis, ſi non virulenta intermiſceret vitia errorum. Sed ſi modicum fermentum (Apoſtolo teſte) totam maſſam corrumpit, quanto magis venenum quam maximum?) *Adſcribimus* (inquit) *iniquitatem iuſto, pio crudelitatem, dum eum primo impoſsibile aliquid præcepiſſe conquerimur. Proinde pro his damnandum ab eo putamus hominem, quæ vitare non potuit.* Cap. 16. Et paulò poſt, *Nec impoſsibile aliquid potuit imperare qui iuſtus eſt: nec damnaturus eſt hominem ob ea, quæ non potuit vitare, qui pius eſt.* Ibid.

CAPVT VI.

IN his ſingulis, quas ex vno eius excerpſi libello ſententiis, quanti ſint errores facilè cuivis docto patet. Quas ideò tam multas coacervatim poſui, vt pluribus errorum probamentis convincerentur hi, qui hunc librum à catholico beati Hieronymi calamo ſcriptum contendunt: cautioreſque erga eius lectionem redderentur, quem hæreticum eſſe didiciſſent. Quibus etiam ſententiis pariter omnibus ſtrictim reſpondere commodum duxi, vtpotè quæ cunctis (vt dixi) clariùs luce quam ſint nefandæ, pateſcant. Quod ergò dicit, *multos philoſophorum patientiam, caſtitatem, modeſtiam, aliaſque de natura bono habere virtutes*: conſtat, quia quicunque philoſophorum Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam neſcierunt, hi nullam veram virtutem, nec vllam veram ſapientiam habere potuerunt. Inquantùm verò vel guſtum aliquem ſapientiæ cuiuslibet, vel virtutis imaginem habebant, totum hoc deſuper acceperunt, non ſolùm munere primæ conditionis, verùm etiam quotidianâ eius gratiâ, qui creaturam ſuam nec ſe deſerentem deſerens, dona ſua provt ipſe iudicaverit hominibus, & magna magnis, & parva largitur parvulis. Quod verò dicit, *omnia in omnibus poſſe eſſe, quæ vel ſingula inveniuntur in ſingulis*: Contradicit ſcripturæ quæ ait, omnia autem membra non eundem actum habent, & multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, habentes donationes ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis differentes. *At cùm mortale hoc induerit immortalitatem*, tunc demũ

Cap. 3. *Nulla vera virtus, aut ſapientia ſine gratia Dei.* Ibid.

poſ-

possunt esse omnia in omnibus bona virtutum: Et ne tunc quidem de naturæ bono, sed per gratiam eius, de quo scriptū est: *Vt sit Deus omnia in omnibus* Sed & quotidiana nostræ fragilitatis documenta probant non omnia in omnibus esse posse: vbi tam multi inveniuntur, qui summâ nitentes instantiâ, nequaquam ad eas quas alios vident habere, possunt pervenire virtutes. Quòd *homines sine Deo* dicit *ostendere, quales à Deo facti sunt.* A Deo longè veritate abest, vt nec homines Deo proximi valeant ostendere in hac duntaxat vita, quales à Deo protoplasti facti sunt. Quis enim sapientia vel vita maior esse poterit, eo qui priusquam carnis debitum solveret, vsque in paradisum, vel tertii cœli ad adyta raptus, civium supernorum & conversationem contemplatus est, & audivit colloquia? Qui tamen dicit. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Quod parentes generis humani, quàm diù naturæ bonum intemeratum custodire, constat dicere non potuisse. Quod *Christianorum naturam in melius dicit instauratam esse per Christum: & eos diuinæ gratiæ iuuari auxilio*: si de his solummodò, quæ in remissione peccatorum per baptisma nobis donata sunt, vult intelligi, hæreticum est. Si autem & de quotidianâ eius gratiâ, quâ nos in mente & corpore instaurare & iuuare non cessat, catholicum est. Quòd dicit *beatum Iob aperuisse in virtutibus suis eximijs occultas naturæ divitias, & ex se quid omnes possemus ostendere*: Quanto melius diceret, quod aperuit ineffabiles divinæ gratiæ divitias, & in se quia hæc omnibus quibuscunq; vellet, dare posset, ostenderet. Quod dicit, *nos vitio naturæ ad malum non impelli, qui nec bonum sine voluntate nec malum faciamus*: repugnat Apostolo dicenti, *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne meâ bonum, Nam velle adiacet mihi perficere autem bonum non invenio: Non enim quod volo bonum hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.* Quod dicit *liberum nobis esse vnum semper agere, cum semper vtrunq; possumus*: Contradicit Prophetæ, qui Deo supplex loquitur dicens: *Scio Domine, quia non sit hominis; via eius: nec viri est vt ãbulet, & dirigat gressus suos.* Sed & Apostolo maiorem se facit, qui dixit: *Ego igitur ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati.* Quod dicit, *non aliunde alios iudicare, alios iudicari, nisi quia in eadem natura dispar voluntas sit, & quia, cùm omnes idem possimus, diversa faciamus:* Contradicit catholicæ fidei: quæ etiam parvulos esse iudicandos confitetur eos, qui in eadem natura positi, priusquã

1. Cor. 15. 14.
Ibid. 28.
Ibid.
2 Cor 12 4 Rom. 7. 22 & 23.
Ibid.
Cap. 6.
Cap. 8.
Rom. 7. 18. & 19.
Ibid.
Iob 4.
Ibid.
Rom. 7. 25.

aliquid boni maliúe facere aut velle aut saltem nosse poterant, sine baptismo rapti sunt. Quòd *Esau & Iacob, cæteroſq; tales, sola voluntatis causa* dicit *esse discretos, vt in eadem natura merita haberent diuersa:* Contradicit Apostolo, qui de eisdem loquens ait. *Cùm enim necdum nati fuissent, aut aliquid egissent bonum aut malum, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quod dicit, *Non aliam causam nobis difficultatem bene viuendi facere, quàm longam vitiorum consuetudinem:* Contradicit Scripturæ, quæ dicit, *Graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum.* Quòd dicit, *Dominum non impossibile aliquid præcepisse, qui iustus est:* Verum profectò dicit, si ad eius respicit auxilium, cui Catholica vox supplicat, *Deduc me in semita mandatorum tuorum.* Si verò viribus animi sui fidit, refellit eum veridica eiusdem iusti conditoris sententia, qua dicit, *Sine me nihil potestis facere.* Quòd dicit, *Eum qui pius est nõ damnaturum esse hominem pro eo quod vitare non potuit:* Contradicit eiusdem pij redemptoris & iusti Iudicis sententiæ: qua etiam de paruulis ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest videre regnum Dei.* Quamuis, vt sanctus Augustinus ait, mitissima prorsus pœna vel damnatio erit omniũ, qui præter peccatũ quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt. Nec tamen tales à damnatione prorsus esse possunt immunes cùm manifestè dicat Apostolus. *Quia regnauit mors ab Adã vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt.* Et quasi quæreretur, quare regnauerat in omnes qui non peccauerunt, mox rationem reddit adiungens, *In similitudinem præuaricationis Ada*, id est, non propter sua propria peccata, sed quia sui similes genuit pręuaricator Adam. Dicendum ergo nobis in hac parte quæstionis, quod dixisse audiuimus eundẽ Apostolũ Paulum, qui de Esau & Iacob geminorũ ex vno concubitu nascentiũ dispari sorte disputans ait. *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moyses enim dicit. Miserebor, cui miserebor, & misericordiam præstabo cui misertus fuero. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis Dei est,* &c. vsque dum plurimũ hac quæstione lassatus ita cõclusit. *O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei? quã incomprehensibilia sunt iudicia eius: & inuestigabiles vias eius?* Hæc de opusculis Iuliani ad cautelam legentiũ prælibare, cõmodum rati sumus.

Rom. 9. 11. 12. & 13. — Ibidem. — Mal. 1. 2. — Ibidem. — Eccl. 40. 1. — Cap. 16. — Psal. 118. 35. — Quo sensu verum quod Deus impossibilia non prohibeat. — Ioan. 15. 5. — Ioan. 3. 3. — Ibidem. — Rom. 5. 14. — Rom. 9. 14. 15. & 16. — Rom. 11. 33.

ECCLESIÆ LVGDVNENSIS LIBER

De tenenda immobiliter Scripturæ ſanctæ veritate, & Sanctorum orthodoxorum Patrum authoritate fideliter ſectanda.

CAP. 1.

INTER omnia pericula & innumeras calamitates atq; miſerias, quibus Eccleſia huius regni terribili & occulto Dei iudicio inceſſanter affligitur atque vaſtatur, ita vt regni vnitas ſit diſciſſa, ac dilacerata, Sacerdotum generalia & ſaluberrima concilia intermiſſa, legum ſeueritas & iudicum vigilantia ſubtracta, ſpecialis doctrinæ ſtudia, quibus fides & ſcientia Dei quotidie enutriri ac proficere debuit, pene vbique extincta; exortum eſt magis dolendum ac lugendum malum, vt videlicet contemptâ veritate Scripturarum ſacrarum, calcatâ authoritate beatiſſimorum atque orthodoxorum Patrum, per quos Eccleſia Dei ædificatur & illuſtratur, præſumant aliqui etiam de rebus præcipuè ad fidem pertinentibus ex proprij ſenſus temerariâ præſumptione; quæ apertiſſimè contraria ſunt diuinæ veritati, & ipſi docere, & alijs tenendum ſtatuere atque conſcribere: Cum & ipſe omnipotens Deus *ſpeculatori*, id eſt, vnicuique Paſtori Eccleſiæ, ea ſola quæ ab ipſo audierit annuntianda præcipiat dicens: *Speculatorem te dedi domui Iſraël: & audies ex ore meo verbum & annuntiabis eis ex me.* Et beatus Apoſtolus Petrus ſimiliter conteſtatur & dicit, *Si quis loquitur quaſi ſermones Dei*, & beatus Paulus id ipſum admoneat & inculcet dicens, *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci*, huiuſmodi enim *doctrina varia atque peregrina*, in quibus non eſt vnitas veritatis, ſed introductio diuerſi & profani erroris, ſignificantur in lege Moyſi per varia genera

Origo hæreſeos ex contemptu Scripturæ ſacræ & ſanctorum Patrum.

Exod. 3. 17.

1. Pet. 4. 11.

Heb. 13. 9

Leuit. 13. 2. & ſeq.

nera leprarum, quæ non solum cæteras corporis partes
Ibid. 29. contaminant atque corrumpunt, sed etiam *in capite & barba germinant*. Cum vel de ipso Domino IESV Christo vel de viris Apostolicis atque Ecclesiasticis, qui ei principaliter adhærent, & faciem eius ornant, indignum aliquid sentitur. Quoniam sicut Apostolus docet, *Omnis viri caput Christus est*: Et iuxta Psalmistæ vocem, *Vnguentum in capite primū*
Psal. 132. 2. *descendit in barbam barbam Aaron, vt descendit etiam in ora vestimenti eius*. (Quapropter omni studio & vigilantia pietatis cauenda est immunditia erroris: & humiliter & fideliter obtemperandū Apostolo sub persona Timothei ad vnumquemque errorem Ecclesiæ dicenti: *O Timothee depositum cu-*
1. Tim. 6. 20. & 21. *stodi deuitans profanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes circa fidem exciderunt:* habemus namque magnum *depositum* fidei & doctrinæ veritatis ex diuinis Scripturis, & sanctorum Patrum dictis, velut pretiosum & multiplicem thesaurum diuinitus nobis ad custodiam commendatum. Quem intermissione Domino auxiliante debemus inspicere, extergere, polire atque excutere ac diligentissimè seruare, nè per incuriam & ignauiam nostram aut puluerem sordescat, aut *ærugine vel tinea*
Matt. 6. 19. *demoliatur*, aut malignorum spirituum insidijs, velut à nocturnis & occultis furibus *effodiatur ac diripiatur*. Quia &
3. Reg. 14. 26. *Sesac Rex Aegypti*, per quem significatur *Princeps huius mundi* armamentarium veri Salomonis spoliare quæritur. Et trecenta scuta aurea exportans, id est, veræ & meræ fidei
Ibid. 27. mysterium de corde negligentium diripiens, pro aureis
2. Tim. 3. 5. ærea fabricari compellit, vt faciat nos, quod absit, *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*.

Inhærendū Scripturæ sacræ & doctrinæ sanctorum Patrum.

Hæc idcirco dicimus, quia peruenit ad nos, id est, Ecclesiam Lugdunensem, quædam schedula, studio fidelium & bonorum virorum, qui & suæ & aliorum salutis deuotè ac laudabiliter solicitudinem gerunt, in nostram notitiam perlata, atque vt ad eam sedulò respondere deberemus, attentius cōmendata. In qua insunt quatuor capitula maximè nouarum definitionum, nuper, vt comperimus, in quodam fratrum nostrorum Episcoporum conuentu tractata, digesta atque conscripta, velut ad reprimendam & retundendam cuiusdam garruli & inquieti hominis loquacitatem, qui nouarum vt fertur quæstionum auidus & indisci-

CAP. 2.

plinatus ventilator, & alijs non paruam perturbationem, & sibiipsi ærumnam miserrimæ cladis induxit. Quorum capitulorum series sicut ad nos perlata est, ita se habet.

I.

DEus omnipotens *hominem* sine peccato *rectum* cum libero arbitrio *condidit*, & in paradiso posuit, quem in sanctitate iustitiæ permanere voluit: *Homo libero arbitrio male vtens peccauit & cecidit, & factus est massa perditionis humani generis*. Deus autem bonus & iustus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam. Cæteros autem quos iustitiâ & iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit; pœnam autem illis, quia iustus est, prædestinauit æternam: Ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantum dicimus, quæ ad donum pertinet gratiæ, aut retributionem iustitiæ. *Eccl. 7. 30.*

II.

LIbertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus, & habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia: & habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratiâ; liberum autem habemus arbitrium, quia gratiâ liberatum & gratiâ de corrupto sanatum.

III.

DEus omnipotens *omnes homines* sine exceptione *vult saluos fieri*, licet non omnes saluentur, quod autem quidam saluantur, saluantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum. *1. Tim. 2. 4.*

IV.

CHristus IESVS Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit vel erit cuius naturam in illo assumpta non fuerit: ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur.

Quia

Quia vero omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium & ad non credentium ea *fide*, *quæ per* humanæ salutis *dilectionem operatur*, respicit partem: quia poculum quod confectum est infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.

Gal. 5. 6.

Hæc igitur cum legissemus, & adiuncto nobis fratrum nostrorum, Deo donante, benè studentium, & rectè intelligentium collegio, pia & fidei attentione singula pertractassemus, grauiter perculsi & confusi animo, vidimus in eis & Scripturæ sanctæ certissimam veritatem, & beatissimorum Patrum precipuèque sancti Augustini reuerendam, & in omni Ecclesia Catholica receptissimam authoritatem nouo conatu & ausu nimis temerario impugnari: Et quantum in ipsis fuit, improuidè atque insolenter labefactari. Vnde ipsa charitate prouocati & commoniti, per quam in vno Christi corpore omnes vnum esse debemus, vt sicut Apostolus dicit, *Inuicem pro se sollicita sint membra, & siue gloriatur vnum membrum, congaudeant omnia membra*: hâc, inquam, charitatis affectione visum est nobis atque complacuit, vt hæc qualiacunque sunt, & ad commonitionem nostram, & ad eorum qui legere voluerint ædificationem & confirmationem, compendioso & lucido, prout Dominus aspirare dignatur, sermone scriberemus. Quicquid in eo dicendum putauimus, non nostro sensu aut præsumptione, sed manifestissimis Scripturarum testimonijs, & præfatorum sanctorum Patrum venerabili authoritate firmantes. A quorum vestigijs & vnitate, absit vt vel nos, vel illi quorum charitate compulsi hæc dicimus, recedamus, ne ab ipsis diuisi etiam ab ipso Domino diuidamur: qui illis specialiter dicit, *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit*. Quos nimirum tantæ in Ecclesia sua esse voluit gratiæ & gloriæ, vt confidenter cum Apostolo dicere possint, *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Dominum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis*, quique etiam per Phinees Sacerdotem nobis sollicitè mandauit, tantum vt à Domino & à nostro consortio non recedatis, *ædificato altari præter altare Domini Dei nostri quod extructum est ante tabernaculum eius.*

Rom. 12. 5.

1. Cor. 12. 25. & 26.

Luc. 10. 16.

1. Thess. 4. 8.

Iosue. 22.

Augustini auctoritas reuerenda.

Non recedendum à doctrina Patrum.

CAP. 37 Primi itaque Capituli textus sic dicit: *Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiso posuit, quem in sanctitate iustitiæ permanere voluit* &c. Sicut sup.

Vt ergo his verbis & huiusmodi definitioni commodius & manifestius respondeamus, hoc nos primum in eis mouet, quod absque vlla commemoratione gratiæ Dei, sine qua nulla rationalis creatura, scilicet nec angelica nec humana, vnquam potuit aut potest vel poterit in iustitia & sanctitate esse, manere atque persistere, ita primus homo definitur, liberi arbitrij à Deo conditus, atque in paradiso constitutus, tanquam per ipsum tantummodo arbitrium liberum *in sanctitate & iustitia* potuisset permanere. Quod in prædictis verbis Deus solummodo voluisse dicitur; Non vt fieri posset dono suæ gratiæ inspirasse vel adnuisse. Hoc namque non esse plenè & Catholicâ pietate definitum & Scripturæ sanctæ authoritas, & beati Augustini diligens disputatio, & aliorum Sanctorum atque orthodoxorum Patrum lucidissima definitio ostendit. In libro quippe Geneseos, vbi primo die sub nomine *lucis*, naturæ angelicę creatio intelligitur, ita scriptum est: *Et dixit Deus: fiat lux: & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit inter lucem & tenebras, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.* Si ergo hoc iuxta sensum sanctorum Patrum de Angelis rectè intelligitur dictum, manifestum est quia in *verbo* suo, quod *in principio erat Deus apud Deum*, constituerit & fecerit Deus Pater, vt illi Angeli electi mox vt sunt creati existerent eodem eius verbo illuminati, & fierent *lux in Domino*, qui per seipsos & inseipsis nihil aliud quam *tenebræ* esse potuissent. Sicut sunt vtique omnes refugæ Angeli, qui decepti lumine gratiæ conditoris nihil aliud in seipsis nisi *tenebræ* remanserunt. Vnde etiam de eorum impio dominatu, vnde per sanguinem vnici Filij Dei liberati sumus Apostolus dicit, *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ.* Et alibi ait: *Nam & ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, manifestè ostendens alios esse *Angelos lucis* qui Deo illuminante *in veritate* perstiterunt: & alios angelos tenebrarum, de quorum Principe Dominus dicit: *Et in veritate non stetit.* Facti sunt ergo, non tantum vt essentialiter essent, sed etiam diuinâ gratiâ illuminante

Gratia diuina adiutorium Angelo & homini necessarium etiam in primo statu ad bonum faciendum.

Explicatio illa lucis mystica est, non litteralis.

Angeli mali à Deo per superbiam recedendo facti sunt tenebræ.

Gen. 1. 3. 4. & 5.

Ioan. 1. 1.

Ephes. 5. 8.

Coloss. 1. 13. 2. Cor. 11. 14.

Ioan. 8. 44.

nante *lux & dies in Domino* essent. Qui verò ex illa illuminante veritate à cæterorum societate per superbiam ceciderunt, meritò *tenebræ & nox appellari* meruerunt; hanc *lucem vidit Deus quia bona est*, cum eam sibi placentem suo iudicio approbauit, *tenebras* autem illas non laudauit, quia nec approbauit: sed tantum iusto iudicio, vt in suæ ruinæ damnatione persisterent, ordinauit. Hoc de Angelis sanctis etiam in Psalmo ostenditur vbi dictum est: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Nam si per *verbum Domini*, id est, vnigeniti Filij virtute *cœli firmati sunt, & spiritu oris eius*, id est, per virtutem Spiritus sancti omnes cœlorum virtutes vel creatæ sunt vt essent, vel firmatæ vt *in veritate* persisterent, clarè omnino eos & spiritu Dei conditos, & eiusdem gratia in æterna beatitudine solidatos. Sic & primus homo liberi arbitrij à Deo conditus quamdiu *scuto bonæ voluntatis Dei*, id est, diuinæ gratiæ protectus est atque munitus, beatam vitam duxit cum Deo, postquam autem de sua virtute præsumendo, & contra creatorem se extollendo auersus est ab illo, *eius indignationem iram*, id est, iustæ damnationis pœnam incurrit. Quam postea in illis qui ex eius propagine per Dei misericordiam saluantur, iustè se incurrisse intelligens, *humiliatus sub potenti manu Dei* ad ipsum sine intermissione clamat & ipsum deprecatur, vt liberari & sanari mereatur. Hoc totum verissimè ita esse, ex persona eiusdem hominis bene conditi, benigne adiuti, miserabiliter lapsi, verè conuersi & lachrimabiliter supplicantis his verbis Psalmista implorat dicens: *Quoniam ira in indignatione eius & vita in voluntate eius: ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ad te Domine clamabo & ad Dominum meum deprecabor.* Quia homo tunc certe habuit *vesperum*, cum ei peccanti sol iustitiæ occidisset. In qua nocte cæca ex ipso descendente demoratur in fletu genus humanum cui *ad matutinum lætitia*, matutina Christi resurrectione promittitur, vt per eam ex morte ad vitam reparetur.

Psal. 32. 6.

Psal. 5. 13.

1. *Pet.* 5. 6.

Psal. 29. 6. & *seq.*

Hanc eius fælicem & beatam in paradiso vitam lucidissimo & dulcissimo sermone beatus Augustinus in libro decimo quarto de Ciuitate Dei describit. *Viuebat itaque homo in para-*

lib. de ciuit. Dei. c. 26.

Conditio primi hominis.

in paradiso sicut uolebat, quamdiu hoc volebat quod Deus iusserat. Viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus. Viuebat sine vlla egestate, ita semper viuere habens in potestate; cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, lignumq; ne illum senecta dissolueret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vlla molestia se illis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus aut frigus, ita in eius habitatore, nulla ex cupiditate vel timore accidebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter latum: gaudium verò perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta, atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas: Concors mentis corporisq; vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus præmebat inuitum. Item idem Doctor beatissimus de eadem primi hominis à Deo accepta gratia & propria culpa amissa in libro de Correptione & Gratia ita astruit dicens: *Istam gratiam habuit homo primus, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset: & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non potest, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius arbitrio libero, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est nisi adiuuetur ad omnipotenti bono. Quod adiutorium si homo ille per liberum arbitrium non deseruisset, semper esset bonus: sed deseruit & desertus est.* Et post aliquanta idem Doctor subiungit: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat adiutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet: vt autem vellet in eius libero reliquit arbitrio: sed quia noluit permanere profecto eius est culpæ, cuius meritum fuisset si permanere voluisset.* De gratia quoque sanctis Angelis diuinitus collata, in qua alij manserunt & ex qua alij corruerunt, ita adiungit: *Angeli sancti qui per liberum arbitrium, cadentibus alijs, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt. Tantam scilicet beatitudinis plenitudinem qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adiutorium vel Angelo vel homini cum primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique suâ culpâ cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Si enim nos de Scripturis sanctis nosse potuimus,*

Gratia status innocentiæ.

1. Tim. 1. 5.

lib. de corr. & gratia cap. 11.

Ibidem Cap. 10.

potuimus, sanctos Angelos iam nullos esse casuros, quanto magis hoc ipsi reuelatâ sibi sublimius veritate nouerunt. Nobis quippe beata sine fine vita promissa est, & aqualitas Angelorum. Ex qua promissione certi sumus, cum ad illam vitam post iudicium venerimus, non inde nos esse lapsuros. Quod si de seipsis Angeli nesciunt, non aquales sed beatiores erimus. Veritas autem nobis eorum promisit aqualitatem. Certum est igitur hoc eos nosse per speciem, quod nos per fidem, nullam scilicet ruinam cuiusquam sancti Angeli iam futuram. Hac Dei gratiâ sanctos Angelos indigere beatus etiam Ambrosius in expositione Psalmi centesimi octaui decimi ita confirmat dicens: *Aliter eget misericordia Archangelus, aliter homo. Angeli enim natura non vtique ita corrupte la obnoxia est, vt natura generis humani, & ideo ille eget misericordiâ Dei nè possit errare, & auersâ à se Dei gratiâ labatur in vitium. Homo autem etsi iam firmiore proposito est, tamen propter contractorum seriem peccatorum misericordiam quarit. Itaque etsi misericordia vterque indigeat, aliter tamē Angelo misericordia, aliter homini debetur.* Hunc primi hominis statum libero scilicet arbitrio præditum, sed diuinâ gratiâ, vt bonũ in quo conditus fuerat seruare posset adiutum, beatissimi Patres præfati sancti Doctoris sententiâ secuti venerandi cõcilij sui authoritate ita commendarunt. *Natura humana etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo se ipsam creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde cum sine Dei gratia salutem non posit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* His itaque de prima quæstione breuiter adnotatis, quisquis sincerè & purè & catholicè, de illa primi hominis siue angelica conditione vel beatitudine sentire cupit, attendat fideliter diuinam authoritatem, attendat fidelissimos Ecclesiæ Patres fidelissimè disputantes, attendat etiam concilijs aggregatis id ipsum firmissimè definientes: & non iuxta impium Pelagianum errorem credat primũ hominẽ solo suo arbitrio in bono quod acceperat permanere potuisse: sed etiam ipsum quamdiu stetit diuina gratia adiutum fuisse: Nec omnipotentem Deum vt idem homo in sanctitate & iustitia permaneret tantummodo voluisse, sed vt permanere posset etiam adiutorium dedisse.

Matt. 22. 30.

Serm. 8.

Conc. Arausic. can. 19.

Post hæc subiungitur in iam dicto primo Capitulo ità: CAP. 4
Homo libero arbitrio male vtens peccauit & cecidit, & factus est massa perditionis totius generis humani. Deus autem bonus &

iustus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam. In quibus verbis quod dictum est de Deo bono & iusto, quia *elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinauit ad vitam,* probamus quidem quod electos suos omnipotens *Deus per gratiam suam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam,* vt & ipsi vitæ æternæ, & vita æterna ipsis sit prædestinata: vtrumque enim est verum, & dilucidè ab Apostolo positum: ait namque de prædestinatione electorum ad vitã: *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit:* Et quod eisdem electis vitam æternã prædestinauerit: Ita alio loco dicit, *In spem vitæ æternæ quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora æterna.* Sed hoc nos mouet, cur in hac definitione quâ per gratiã Dei & electi ad vitam æternam, & vita æterna ijsdem electis creditur præparata, ipsos tamen electos absque vlla commemoratione gratię secundum præscientiã suam Deus elegisse dicatur: quasi gratiæ sit quod electi perueniunt ad vitã, gratię quod vita æterna illis est præparata. Vt autem eligerentur non fuisse gratiam, sed tantummodo præscientiam. Quod manifeste contrarium est Catholicę fidei: quia omnipotens Deus in electione eorum quos prędestinauit, & vocauit ad vitam æternam, non eorum merita præsciuit: tanquã ideo eos elegisset, quia ex semetipsis bonos futuros præsciret: sed ipsa electio vt ex massã perditionis *vasa misericordiæ* fierent absque vllo bono merito, sola gratia fuit per quam discreti sunt *à filijs perditionis*, & adoptati in filios vitæ resurrectionis. Hanc namque electionẽ non meritorum sed gratiæ: in qua non alicuius bona præscita sunt opera, sed sola tantum diuinâ misericordiâ præparata commendat nobis diligẽter Apostolus de duobus geminis Isaac & Rebeccæ ita dicens: *Cum enim necdum nati essent, aut aliquid egissent bonum vel malum, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi Esau autem odio habui.* Manifestè enim hoc odium Dei in Esau ex merito fuit originalis peccati: illa vero dilectio Dei in Iacob, cum eodem damnationis merito teneretur obligatus, ex sola gratuita misericordia extitit: sicut idẽ Apostolus continuò subiungit

Prædestinatio electorum non est facta ex præuisis meritis hominum.

Rom. 8. 30.

Tit. 1. 2.

Rom. 9. 10. 11. 12. & 13.

Gen. 25. 23.

Mal. 1. 2. & 3.

Rom. 9. 14. & 15. Exod. 33. 19. git dicens: *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Absit: Moysi enim dicit, Miserebor cui misertus ero, & misericordiã præstabo cuius miserebor.* Hanc veræ gratiæ & nullius meriti electionem etiam ad Timotheum scribens, ita inculcat: *Sed conlabora Euangelio secundum virtutem Dei qui nos liberauit, & vocauit vocatione sanctâ: Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo* IESV *ante tempora secularia.* Non itaque secundum præscientiam meritorum elegit Deus ex massa perditionis quos fecerat filios adoptionis: sed gratis elegit quos ab illa iusta damnatione æqualiter omnibus debita, misericorditer liberauit.

2. Tim. 1. 8. & 9.

Sequitur in eodem Capitulo: *Cæteros autem quos iustitiâ & iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit: pœnam autem illis quia iustus est prædestinauit æternam. Ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ ad donum pertinet gratiæ aut ad retributionẽ iustitiæ.* In quibus verbis mirum est quomodo asseritur omnipotens Deus cæteros, id est, reprobos iusto iudicio suo in massa perditionis reliquisse, nec tamen prædestinasse, sed tantum præscisse perituros. Si enim iustum iudiciũ Dei iam in illis præcessit, & eodem iusto iudicio in massa perditionis sunt deputati, quomodo non tali iudicio iã perditionis destinati & prædestinati? Ita dum in hac definitione diuini iudicij veritas negatur, ipso etiam negantium testimonio confirmatur. Quomodo enim præsciuit tantummodo, & non prædestinauit, quod ipsorum confessione iusto iudicio iam decreuit? Cur veram & perfectam prædestinationem iusti iudicij Dei, quo æterno consilio suo vel iustos ad vitam vel iniquos prædestinauit ad pœnam? In parte audet homo accipere, & in parte negare? Quasi omnipotens Deus qui iusto iudicio suo de electis esset facturus, & præscierit & prædestinauerit. Quid autem eodem iusto iudicio de reprobis esset gesturus præscierit tantum nec prædestinauerit: cum vtrâque parte vnum sit iudicium, vna iustitia qua vel iustis præmia vel iniquis supplicia retribuuntur. Nam si hæc prædestinatio diuini iudicij esset merito alicui violenta, vel iniusta, vel præiudiciaria, meritum iniustum Deum argueret. Imo de illo *apud quem non est iniquitas* nullatenus credi deberet. Cum autem manifestissimè non sit violenta, quia

CAP. 5.

Reprobi sunt prædestinati ad supplicium post præuisam peccatum.

nullum compellit vt malus sit, & aliud esse non possit, non sit iniusta, quæ illos tantummodo qui suo vitio in malis perseuerauerint punit. Non sit præiudiciaria, qui non præiudicat aliquem, vt quasi eius sententiâ & non suo merito pereat. Quid in ea reprehenditur vel quasi blasphemum putatur, in qua sola æquitas, sola iustitia inuenitur: hoc namque erga homines diuina prædestinatio, quod & diuina præscientia agit: præsciuit enim Deus malos futuros, sed ipsâ suâ præscientiâ non eos compulit fieri malos. Prædestinauit iusto iudicio suo eos qui in malis perseuerauerint puniendos. Nec tamen eâdem prædestinatione suâ, vt mali essent vel in malis perseuerarent coëgit. Et hæc est apud illum æquitas, vt qui volentes perstiterunt in malis, nolentes puniantur in supplicijs. Seipsum ergo homo mutet, seipsum dum tempus est corrigat & emendet, quia omnipotentem atque æternam præscientiam & prædestinationem mutare vel destruere non valet. Si quis enim neget esse apud Deum præscientiam & prædestinationem, manifestè infidelis est; si quis dicit quod præscientia & prædestinatio eius aliquem compellat vt malus sit, & aliud esse non possit, horribiliter blasphemat. Qui autem fideliter confitetur & præscientiam & prædestinationem æternam esse apud Deum, nec tamen aliquem per hæc ad malum cogi, sed tantummodo qualis quisque futurus sit præsciri, & prout gesserit iudicari, iste prorsus Catholicè sentit. Certè in professione fidei Catholicæ, *Quam nisi quisque integram inuiolatamq; seruauerit, absque dubio in æternum peribit: & quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit*, omnes vno ore confitemur, quod *in aduentu* vnigeniti filij Dei de cœlo *omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem: & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum*. Manifestè ergò quod de vtraque parte tam electorum quam reproborum hic confitemur, vtrumque est verum, vtrumque iustum, vtrumque in æterno & iusto iudicio Dei prædestinatum. Nam si non est prædestinatum, quomodo hoc tam firmiter credimus, tam indubitanter confitemur futurum? Se igitur, vt iam dictum est, vnusquisque dum facultas datur Deo

Diuina præscientia & prædestinatio neminem compellunt ad peccatum.

Veteres Calumniste.

Symbol. S. Athan.

tur Deo auxiliante mutet in melius. Hoc enim proculdubio vult, qui quotidie clamat & admonet dicens: *Declina à malo & fac bonum.* Et iterum, *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos dicit Dominus exercituum.* Nam in illo *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, & qui per Prophetam dicit, *Ego enim Dominus & non mutor*, quod suum est plenè & perfectè confiteri debemus, quia eius plenitudini & perfectioni nihil possumus addere vel auferre. Et ideo plenam & perfectam prædestinationem iusti iudicij Dei tam in parte electorum, quam in parte reproborum, sicut omnino vera est, veraciter confiteamur: nemini misericordiam Dei negantes, nemini conuersionis gratiam derogantes, nemini aditum indulgentiæ claudentes: sed omnibus in iniquitate permanere volentibus vtilem & salubrem terrorem incutientes. Hanc enim vtriusque partis certissimam & immobilem prædestinationem Dei declarat nobis Apostolus dicens: *Abraha namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens: Nisi benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te*, vbi & post paululum subiungit: *Homines per maiorem sibi iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum: vt per duas res quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium haberemus, qui confugimus ad tenendam propositam nobis spem.* Ecce in parte electorum, qui promissi sunt vt essent Abrahæ filij, & hæredes noui & æterni Testamenti, omnipotens *Deus qui neminem habet maiorem, iurat per semetipsum.* Et quid intelligendum sit per hoc iusiurandum docet nos Apostolus, videlicet quod hoc modo *voluerit Deus hæredibus pollicitationis suæ abundantius ostendere immobilitatem consilij sui: vt per duas res*, id est, pollicitationis & iurationis suæ, *quibus impossibile est mentiri Deum*, siue promittentem, siue promissa sua iurantem, *fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam nobis spem.*

Psal. 36. 27. *Zach.* 1. 3. *Iacob.* 1. 17. *Mala.* 3. 6. *Hebr.* 6. 13. & 14. *Ibid* 16. 17. & 18.

Ergo hæc diuina Iuratio nihil est aliud nisi immobilis consilij Dei æterna & incommutabilis prædestinatio. De quo immobili consilio Dei dicit Psalmista: *Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione*

CAP. 6. *Diuina iuratio quid.*

Psal. 32. 12.

& generationem. Et ipse Dominus per Esaiam testatur: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*. Sicut ergo hic per Dei iurationem ad Abraham factam docente Apostolo *immobilitatem consilij*, id est, prædestinationis eius intelligimus: ita & ibi intelligere debemus, vbi de æterno Christi sacerdotio Deus iurasse introducitur, dicente Psalmistâ, *Iurauit Dominus & nõ pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: & vbi iterum in Psalmo de promissione Dei ad beatum Dauid facta dicitur: *Iurauit Dominus Dauid veritatem & non frustrabit eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Si ergo in his omnibus *immobilitas consilij* & prædestinationis Dei per ipsius iurationem intelligitur in saluatione electorum, ita è contrario intelligendum est in damnatione reproborum: vbi de eis omnipotens Deus dicit: *Ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam*. Nempe & hic iurisiurandi *immobilitas* interponitur, vt nullus eorum de quibus tam terribiliter iuratum est, *in requiem Dei introiturus* credatur. Nec tamen iniustè: quia in impietate *secundum duritiam suam, & cor impœnitens* perdurare voluerunt, permittente ipso Domino: *Ipsi verò non cognouerunt vias meas*, & deinde subiungente: *Quibus iurauí in ira mea si introibunt in requiem meam*. Huic iurationi simile est illud quod de contemptoribus conuiuij sui ipsa veritas in Euangelio comminatur dicens: *Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabit cœnam meam*. Veritatis enim dixisse proculdubiò iurasse est. Talis est & illa Dei iuratio apud Esaiam Prophetam, vbi post onus Babylonis & regni Assyriorum, qui erant sæuissimi hostes populi Dei per quos sicut beatus Ioannes Apostolus in Apocalypsi ostendit, significatur tota ciuitas diaboli, id est, omnis multitudo reproborum, interponit Deus iusiurandum de certissima talium perditione, dicente Prophetâ: *Iurauit Dominus exercituum dicens, si non vt putaui ita erit: & quomodo mente tractaui ita eueniet, vt conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum: hoc consilium quod cogitaui super omnem terram, & hæc est manus extenta super vniuersas gentes: Dominus enim Deus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus est extenta, & quis auertet eam?* In quibus verbis mirabiliter & grauiter ostenditur & immobilitas prædestinationis

Esa. 46. 10.

Heb. 6. 17.

Psal. 109. 4.

Psal. 131. 11.

Psal. 94. 11.

Luc. 14. 24.

Apoc. 1. 82.

Esai. 14. 24. *& seq.*

ſtinationis Dei, & ipſius prædeſtinationis effectus. Cum tanta & tam grauia mala pereuntibus comminatus ſub iureiurando dicit, *Si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui ſic eueniet:* id eſt, ſicut cogitaui *& mente tractaui* in æterni conſilij prædeſtinatione, *ita erit & ſic eueniet* in ipſarum rerum adimpletione. Quod etiam ſequentia Prophetæ verba magnificè & clariſſimè oſtendunt, dicentis ex perſona Dei: *Hoc conſilium quod cogitaui ſuper omnem terram, & hæc eſt manus extenta ſuper vniuerſas gentes.* Et mox ex perſona ſua addentis: *Dominus enim Deus exercituum, decreuit, & quis poterit infirmare? & manus eius extenta, & quis auertet eam?* Profecto enim in his verbis per *conſilium* quod *cogitauit Deus ſuper omnem terram*, æterna eius prædeſtinatio; & per *manum extentam* eiuſdem conſilij intelligenda eſt adimpletio. Et vt cognoſcamus nullum conſilio & effectui prædeſtinationis poſſe reſiſtere, dicitur: *Dominus enim Deus exercituum decreuit:* vtique in æterno conſilio prædeſtinando, *& quis poterit infirmare?* intelligatur nullus. Cum enim dicitur: *Dominus enim Deus exercituum decreuit*, quid eſt aliud, *decreuit*, niſi *prædeſtinauit, præfiniuit, ſtatuit, præfixit, præordinauit?* Ex quo manifeſtè intelligimus quid ſit prædeſtinatum, videlicet & præfinitum, ſtatutum, præfixum, præordinatum. Hic namque ſermo, id eſt, *decreuit*, etiam in Actibus Apoſtolorum ſimili re atque eodem ſenſu ponitur: vbi multitudo fidelium vnanimiter leuantes vocem in oratione dixerunt ad Deum: *Conuenerunt enim in hac ciuitate aduerſum ſanctum puerum tuum* IESVM *quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iudæorum facere quæ manus tua & conſilium decreuerunt fieri.* Vbi enim Latinus Interpres ad ſenſum transferens numero plurali poſuit, in Græco ſingulari numero legitur, *quæ manus tua & conſilium prædeſtinauit fieri.* Sicut etiam hoc ipſum teſtimonium in libro de Prædeſtinatione Sanctorum B. Auguſtinus poſuiſſe inuenitur. Idipſum enim verbum in hoc loco Græcè legitur quod & in Epiſt. ad Romanos, vbi ſcriptum eſt, *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit:* vbi enim nos Latinè dicimus, *prædeſtinauit*, ibi & in illa epiſtola, & in hac ſententia de Actibus Apoſtolorum Græcè poſitum eſt προώρισεν: Quod vt iam dictum eſt alij propriè tranſtulerunt, *prædeſtinauit*, alij *definiuit*, alij *decreuit*, vel plurali

Quid prædeſtinatio importet.

Act. 4. 27. & 28.

Rom. 8. 30.

plurali numero *decreuerunt*; vbi & illud est valde mirum, quia sicut in Propheta legitur, & *consilium Dei & manus extenta*: ita & hic ponitur *facere quæ manus tua & consilium decreuit*, siue *decreuerunt fieri*. Quod idcirco tam diligenter dicendum putauimus, vt prædestinauit, & decreuit & definiuit, vel præfiniuit id ipsum significare intelligatur.

Conuenerunt ergo aduersus sanctum puerum IESVM *quem vnxit Deus, Herodes & Pontius Pilatus facere quæ manus & consilium Dei prædestinauit, decreuit & præfiniuit fieri*. Sed quæcunque omnipotens Deus Pater vnigeniti Filij sui passione *prædestinauit fieri*, illi fecerunt malitiâ & impietate. Ille *prædestinauit* misericordiâ & benignitate, illi vt nomen Christi delerent, ille vt eius Sanguine peccata mundi abluerent. Prædestinata sunt illa omnia vt in eius passione fierent, prædestinatum est & per quos fierent: quia videlicet & iusto iudicio Dei, merito præcedentium peccatorum digni iudicati sunt, qui ita excæcarentur, vt per eos talia complerentur. Sicut & Iudas ideo prædestinatus est, vt eundem Dominum Christum traderet, qui dignum se præbuit, qui tale facinus expleret.

Hanc æternam & incommutabilem prædestinationem Dei de vtraque ciuitate, id est, electorum & reproborum, B. Esaias Propheta in fine sæculi adimplendam miris laudibus & exultatione prosequitur dicens: *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen*. *Esa. 25. 1.* Et mox de ciuitate impiorum, *Quia posuisti*, inquit, *ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinã, domum alienorum, vt non sit ciuitas & in sempiternum non ædificetur*: *Ibid. 2.* vbi & de ciuitate piorum continuo adiungit: *Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustarum timebit te: quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua: spes à turbine, vmbraculum ab æstu*. *Ibid. 3. & 4.* Has duas partes electorum videlicet & reproborum mensura æquitatis iusti iudicij Dei alteram perdendam, & alteram saluandam mirabiliter etiam in libro Regũ legimus designatas, vbi de B. Dauid scriptum est: *Quia percussit Moab, & mensus est eos funiculo coæquans terræ. Mensus est autem duos funiculos: vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum*. *2. Reg. 8. 2.* Quis enim non agnoscat verum Dauid esse Dominum IESVM Christum, Moabitas verò omnem multitudinem infidelium

qui

qui alieni sunt à populo Dei: quorum dum alios iusto & occulto iudicio suo præordinat ad mortem æternam, alios verò eligit & vocat ad vitam æternam, quid quàm æquissima iudicij sui mensura *duos metitur funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum?* Sed & in libro Esther idipsum de vtraque parte, & electorum scilicet & reproborum, & fidelium & infidelium sub figura duarum sortiũ magnificè figuratur, vbi de Deo scriptum est: *Et duas sortes esse præcepit, vnam populi Dei, & alteram cunctarum gentium: venitq; vtraque sors in statutum ex illo iam tempore coram Deo:* Per sortem namque diuini iudicij dispositio rectè intelligitur, dicente Salomone: *Sortes mittuntur in sinum, sed à domino temperantur.* Et omnipotens Deus *duas sortes esse præcepit, vnam populi Dei*, id est, omnium electorum, *& alteram cunctarum gentium*, omnium videlicet reproborum: & vtrasque partes iudicij sui sorte distinxit, vt alij essent in partes sortis Sanctorum, alij vero in partes sortis impiorum.

Esther 10. 10. & 11.

Prou. 16. 33.

Esse etenim *duas sortes*, id est, *sortem Sanctorum, & sortem impiorum* apertè Scriptura nos docet cum dicit Apostolus de prima: *Qui dignos nos fecit in parte sortis Sanctorum in lumine. qui eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ, quæ est vtique sors populi Dei.* Et de altera in libro Ecclesiastico legimus, *Anima enim nequã disperdet eum qui se habet, & in gaudium inimici dat illum, & deducet illũ in sortem impiorum*, manifestè scilicet reproborum. Sed & in alijs Scripturæ sanctæ locis sors pro iusti retributione iudicij, in parte reproborum reposita inuenitur, sicut in Esaia ad plebem reprobam Deus dicit: *Hæc est pars tua, sorsq; mensuræ tuæ.* Et de inimicis populi Dei idem Propheta ait: *Hæc est pars eorum qui vastauerunt nos, & sors diripientium nos. Venit* ergo *vtraque sors*, id est, *& populi Dei*, & eorum qui alieni iudicantur à populo Dei *in statutũ*: videlicet vt quemadmodum statutum est in occulto iudicio Dei de vtrisque sortibus, id est, ciuitatis Dei & ciuitatis diaboli ipsis rebus expleretur ex illo iam tempore quo ab ordio mundi vsque ad finẽ sæculi, hæ duæ ciuitates mixtæ corpore, mente diuisæ tẽporaliter currunt, donec ad debitos fines perueniant, vel vitæ æternæ, vel mortis perpetuæ: hoc autem totum *venit in statutũ coram Deo*, qui solus nouit quam iustè istâ disposuerit: & quã veraciter atque efficaciter vsque ad finem sæculi compleantur.

Coloss. 1. 12. & 13.

Eccl. 6. 4.

Esa. 57. 6.

Esa. 17. 14.

Sors alia Sanctorum, alia impiorum.

Hanc distinctionem diuinij iudicij & prædestinationis, *duorum* videlicet *funiculorum*, & *duarum sortium*, quarum vna est populi, & altera omnium impiorum ita æternaliter esse dispositam prædictus liber Ecclesiasticus mirabiliter ostendit dicens: *In iudicio Dei opera ipsius ab initio, & ab institutione ipsorum distinxit partes illorum.* Et alibi dicit: *Homines omnes de solo & ex terra vnde creatus est Adam: in multitudine disciplina Domini separauit eos, & immutauit vias eorum: & ex ipsis benedixit & exaltauit, & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit. Et ex ipsis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à separatione ipsorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud & disponere. Omnes vias eius secundum dispositionem eius.* Huic sententiæ simile est illud quod beata Iudith in oratione sua ad Deum dicit: *Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti, & hoc factum est quod ipse voluisti, & tua iudicia in tua prouidentia posuisti.* Quam verò æterna sint eius præscientia & prouidentia & prædestinationis iudicia, idem liber alibi ostendit dicens: *Domino enim Deo antequam crearentur, omnia fuerunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. Opera omnis carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis eius, à sæculo & vsque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius. Non est dicere, quid est hoc, aut quid est illud? Omnia enim in tempore suo quærentur. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab eo vllus sermo. Magnalia sapientiæ suæ decorauit, qua est ante sæculum, & vsque in sæculum, neque abiectum est, neque minuitur, & non eget alicuius consilio. Via illorum coram ipso sunt semper; non sunt absconsa ab oculis ipsius, & omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei: & oculi eius sine intermissione inspicientes, in vijs ipsorum.* Certè ipsa æterna & incommutabilis veritas Dominus noster IESVS Christus de lege & Prophetis firmissimè inculcat dicens: *Dico enim vobis, quia donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit ex lege donec omnia fiant.* Et iterum: *Facilius est cœlum & terram transire quam de lege vnum apicem cadere.* Et de verbis noui Testamenti, in quibus vtique non sola illa quæ ore proprio locutus est, sed etiam omnia quæ & per sanctos Apostolos & Euangelistas dixit intelligere debemus, ita affirmat dicens: *Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc donec omnia fiant: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Quicunque ergo verba vtriusque

Eccl. 16. 26. *Eccl. 33. 10. & seq.* *Iud. 9. 4. & 5.* *Eccl. 23. 29.* *Eccl. 39. 24. 25. & 26.* *Eccl. 42. 20. 21. & 22.* *Eccl. 17. 13. & 16.* *Matt. 5. 18.* *Luc. 16. 17.* *Mar. 13. 30. & 31.*

Testamenti,

Testamenti, siue de parte electorum, siue de parte reproborum dicta sunt, fideliter legit vel audit, ita debet ea accipere & tenere, tanquam verè æternaliter apud Deum prescita & præordinata ac præfinita, vt omnino aliter esse non possit. Quid verò illustrius & magnificentius de vtriusque partis & reproborum scilicet & electorum, & infidelium & fidelium, quorum alij ne mysterium Dominici aduentus, & priusquam *manifestaretur in carne*, & postea vsque ad finem sæculi agnoscere possent, merito superbiæ excœcari & expelli, alij per gratiam & pietatẽ fidei illuminari meruerunt, vel iusta reiectione, vel gratuitâ electione, dici aut cõmendari potuit, quam quod ipse Dominus *magni consilij Angelus*, id est, paternæ ac suæ volũtatis æternæ fidelis testis ac nuntius in Euangelio Deum Patrem glorificans, eiúe super iustis iudicijs suis gratias agens declarat atque annuntiat dicens: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: & mox vtrumque & excoecationem videlicet superborum, & illuminationem humilium ad æternum & incommutabile Patris consilium atque iudicium cum summa laude & exultatione referens subiungit dicens: *Ita Pater quoniam sic fuit placitum ante te*: & ne se ab huius æterni cõsilij atque iudicij consortio separasse putaretur, postquã solitâ pietate ad Patrem tanquam ad verum suę generationis authorem omnia retulit, subiunxit etiam de se & ait: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, id est, & illa de quibus dictum est, *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus*, & illa de quibus adiunctũ, *& reuelasti ea paruulis*, vt etiam meo scilicet, quod vtique & Patris est, consilio atque iudicio vel discernantur vel damnentur, vel liberentur. *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed iudicũ*, inquit, *omne dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Hoc est admirabile & ineffabile mysterium æterni iudicij, tam in parte electorũ, quam etiam reproborũ. Quod etiam beatissimus Isaac Patriarcha repente sibi plenius ac profundius in duobus suis geminis reuelatum, velut cum Apostolo mente excedens & *incõprehensibilia Dei iudicia atque inuestigabiles vias* contemplatus *expauit*; vt scriptum est, *stupore vehementi, & vltra quam credi potest, admiratus est.* Neque enim hoc tantopere stupuisse ac miratus esse credendus est: si cœcus & pius pater aut verisimilitudine, aut propriâ affectione

Matt. 11. 25.

Ibid. 26.

Ibid. 27.

Ioan. 5. 22. & 23.

Gen. 27. 33.

Discretio electorum & reproborum in Iacob & Esau figurata.

fectione in discernendis filijs vel falli potuit, vel errare, sed subito reuelationis ictu cor eius illuminatum, ad memoriam reduxit, quid adhuc eisdem geminis in vtero matris positis, cum iuxta Apostolum *Nihil egissent bonum aut malum*, & tamen ambo vna & pari originalis reatus damnatione tenerentur adstricti, sola diuinij iudicij discretione dictum fuerit, *Quia maior seruiet minori*, quod postea manifestius per Prophetã Deus inculcat dicens: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hac itaque subita spiritus illustratione sanctus Patriarcha recolens & intelligens vidit in duobus *vno concubitu* satis, pari primę præuaricationis conditione damnatis, necdum natis, necdum proprio actu quicquam boni vel mali promeritis, mirabile & terribile iudicium Dei, videlicet vt vnum gratis diligeret & eligeret, alterum iustè odisset ac reprobaret: & velut *figulus potestatem habens ex eadem massa faceret aliud quidem vas in honorem, & aliud in contumeliam.* Vidit certè in illis duobus incommutabile consilium Dei, cum nec volente & satagente, ac desiderante patre, potuisset vllatenus quod prædictum & prædestinatum fuerat mutari: sed diuino dispositio ac præfinito rei ordine, etiam per nescientem ille præferretur, ille benediceretur, qui adhuc in vtero constitutus arcano Dei iudicio & dilectus fuerat, & prælatus. Vidit hoc in illis duobus tam grande & profundum mysterium consilij Dei: & quod in illis vidit ipso reuelationis instinctu, etiam in totius humani generis discretione ab initio vsque ad finem sæculi fieri cognouit, siue in duobus populis circumcisionis & præputij, siue in omni generaliter plenitudine electorum seu reproborum, videlicet quod omnes ex vna massa iustè damnata descendant. Quod omnipotens *figulus* æterno & immutabili consilio iudicij sui *ex eadem massa*, alios *faciat* per iustitiam *vasa iræ*, alios per gratiam *vasa misericordiæ*: & ita Dei consilium atque iudicium ratum sit atque immobile, vt tamen nemo nisi iustè damnetur, nemo nisi misericorditer liberetur. Vidit hoc impenetrabile profundum iudiciorum Dei sanctissimus Patriarcha in duobus geminis designari, in vniuersitate generis humani expleri, & tanquam cum Propheta exclamans: *Domine audiui auditum tuum & timui, consideraui opera tua & expaui, stupui*

Rom. 9. 11.

Gen. 25. 23.

Mal. 1. 2. & 3.

Rom. 9. 21.

Habac. 3. 2.

Gen. 27. 33. *stupuit stupore vehementi & vltra quàm credi potest admiratione perculsus est*. Sicut & Psalmista super eadem profunditate admiratus atque obstupefactus clamat: *Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*. Psal. 91. 6. Nec frustra Apostolus ad Romanos scribens, & de altitudine præscientiæ & prædestinationis diuinæ attentissimè disputans, vt quicunque saluantur non suis meritis aut viribus, sed omnino solâ Dei gratiâ saluari intelligantur iuxta sempiternum propositum voluntatis suæ, quos voluit præscientis, prædestinantis, vocantis, iustificantis & glorificantis; non frustrà, inquam, de talibus disputans & vehementer inculcans, cum pleraque postea & alia posuisset, istud velut præcipuum & maximum elegit testimonium vel exemplum, de præfatis videlicet geminis, quod primo loco poneret ad tam profundum mysterium probandum & commendandum. Totum namque in eo breuiter comprehenditur cum ait, *Vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori*. Rom. 9. 11. 12. & 13. Gen. 25. 23. Ibi enim est *electio* Dei gratuita, id est, absque operibus in Iacob, ibi *propositum* æternæ voluntatis eius, quod vtique sine præscientia & prædestinatione esse non potest: ibi vocatio, quia *Non ex operibus sed ex vocante dictum est, maior seruiet minori*. Et sicut *electio* gratuita est in Iacob de quo dictum est, *Iacob dilexi*: Ita iusta damnatio in Esau, de quo adiungitur: *Esau autem odio habui*. Mal. 1. 2. & 3. Hoc diuinorum mysteriorum in vtramque partem profundum *mysterium*, ex authoritatibus Propheticis & Apostolicis firmissimè tenet Ecclesia, quia nimirum præcipuè pertinet ad commendandam & declarandam gratiam Christi, *vt qui gloriatur in Domino gloriatur*. 1. Cor. 1. 31. *Absconditum* quidem *à seculis* in Deo, sed inter *Scripturas Prophetarum* Ecclesiæ eius, quæ inter cætera quæ ad mysterium Saluatoris pertinent, prædestinatione *patefactum* Apostolicâ, dicente eodem Apostolo in fine præfatæ Epistolæ ad Romanos: Rom. 16. 25. & 26. *Ei autem qui potens est vos confirmare secundum Euangelium meum, & prædicationem* IESV *Christi secundum reuelationem mysterij æternis temporibus taciti quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum*, &c. Ephes. 3. 4. & 5. Et alio loco, *Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod alijs generationibus non est*

Electio gratuita: reprobatio iusta.

agnitum filijs hominum, sicut nunc manifestum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, &c. Et iterum, *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo qui omnia creauit*. Licet enim totum quod de Domini nostri diuinitate atque incarnatione per Apostolos annuntiatur, generaliter *magna pietatis mysterium* sit *temporibus æternis tacitum, nec alijs generationibus filijs hominum agnitũ, & à sæculis in Deo qui omnia creauit absconditum, nunc* autem *per scripturas Prophetarum* & prædicationem Apostolorum *manifestatum*: Tamen etiam specialiter istud de inscrutabilibus diuinis iudicijs & dispositionibus, siue in excœcatione infidelium, siue in illuminatione fidelium apertè præcipuè *mysterium* appellatur: dicente Apostolo: *Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobismetipsis sapientes: quia cœcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret.* *Ibid. 8. & 9.* *Rom. 11. 25. & 26.*

CAP. 8. Hanc Scripturæ Dei veritatem atque authoritatem secutus beatissimus Pater & egregius Doctor Augustinus, & de prædestinatione Sanctorum librum luculentissimũ scripsit, & de prædestinatione etiam reproborum iusto iudicio Dei ad interitum, & ibi & in alijs opusculis suis sæpius memorauit. Sicut in libro de perfectione iustitiæ hominis manifestè ostendit dicens: *Quomodo ergo dictum est, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, nisi quia populum quendam Psalmus ille culpat, in quo nec vnus erat qui faceret bonum, dum volunt remanere filij hominum, & non esse filij Dei cuius gratiâ homo fit bonus vt faciat bonum*: & post paululum: *Hoc ergo*, inquit, *bonum quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum. Sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum. Superbos enim respexit Dei præscientia, protulitq; sententiam.* Item, de Ciuitate Dei, lib. 15. *Ira*, inquit, *Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium quo irrogatur pœna peccato: Cogitatio verò eius & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neque enim sicut hominem, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet: Cuius est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia quam certa præscientia.* In Tractatibus quoque quos in expositionem Ioannis Euangelistæ ad populum loquitur, de hac re ita dicit. Quod verò sequitur,

Lib. de perfect. iust. c. 13. *Psal. 13. 1.* *Ibid.* *Quid ira Dei.* *l. 15. c. 25.*

Propterea

Ioan. 8. 47. Tract. 42. super Ioan. *Propterea vos non auditis quia ex Deo non estis; eis dictum est qui non solum peccato vitiosi erant: nam hoc malum commune erat omnibus; sed etiam praecogniti qui non fuerant credituri. Quapropter praesciebat illos quibus talia dicebat, in eo permansuros quod ex diabolo erant, id est, in suis peccatis atque impietate morituros, nec venturos ad regenerationem in qua essent filij Dei, secundum hanc praedestinationem locutus est Dominus*, &c. Item ibi: Tract. 43. *Isti autem indignantes mortui & morti sempiternæ praedestinati respondebant conuitiosè & dicebant: Modo cognouimus quia dæmonium habes.* Item alio loco exponens verba Domini quibus ait de ouibus suis, Ioan. 10. 28. *Et non rapiet quisquam de manu mea. Quid potest*, inquit, *lupus, quid potest fur & latro? Non perdunt nisi* Tract. 48. *ad interitum praedestinatos.* Item alio loco: *Qui enim*, inquit, *certis & immutabilibus causis omnia futura praedestinauit, quicquid futurus est fecit. Nam & per Prophetam de illo dictum est: Qui fecit quæ futura sunt.* Et alibi: *Filius*, inquit, *perditionis* Tract. Esa. 45. 11. iuxta 70. *dictus est traditor Christi perditioni praedestinatus secundum scri-* 107. *pturam qua de illo in Psalmo centesimo octauo maximè prophetatur.* De diuina quoque præscientia quâ omnia futura vel bona vel mala immutabiliter nouit: nec tamen ea ad peccandum aliquem compellit, in eiusdem tractatibus ita loquitur. Ioan. 17. 12. Psal. 108. 2. & seq. *Non enim propterea Deus quenquam ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit, fecerunt ergo peccatum Iudæi,* Tract. 53. *quod eos facere non compulit cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum sed bonum facere voluissent, non prohiberentur, & hoc facturi præuiderentur ab eo qui nouit quid sit quisque facturus, & quid eis sit pro eius opere reddituros.*

Hanc diuinæ prædestinationis veritatem per scripturas Cyprianus. multipliciter declaratam, & à sanctissimo Doctore fideliter commendatam etiam antiquissimus & beatissimus Doctor & Magister Cyprianus clarissimè docet dicens: *Qui omne iudicium à patre solus accepit, & qui venturus est iudi-* Matt. 10. 32. *caturus, iam iudicij & cognitionis futuræ sententiam protulit prænuntians & contestans confessurum se coram Patre suo confitentes, & negaturum negantes.* Item cum de his qui in persecutione comprehensi pro Christo vsque ad mortem dimicant, & de his qui infirmitatis suæ conscij cautè fecedunt, disputaret, sic ait: *Illic fortitudo promptior, hic solli-*

citudo

citudo securior. Ille appropinquante horâ suâ iam maturus inuentus est, hic fortasse dilatus est, qui patrimonio derelicto idcirco secessit, quia non erat negaturus: Confiteretur vtique & ipse si fuisset detentus. Item alibi cum tempore mortalitatis consolaretur eum qui se dolebat morte præueniri ne se offerre posset ad passionem martyrij; ita dicit: *Primo in loco non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium: nec potes dicere perdidisse quod nescis an mereari accipere,* &c. Item alio loco: *Neque enim,* inquit, *potest perire nisi quem constat esse perituram: Cum Dominus in Euangelio suo dicat: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Matt. 15. 13. Item alibi dicit: *Dominus in persecutione secedere mandauit, atque vt id fieret, & docuit & fecit. Nam cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem negat, sed tempus expectat: qui autem cum non secederet cecidit negaturus remansit.* Matt. 10. 23. Ioan. 10. 39. & 40.

S. Hilarius. Hanc præscientiæ & prædestinationis diuinæ immobilem firmitatem beatus quoque Hilarius ita docet, dicens: *Deo namque complectenti in se omnia futura pro factis sunt. Cuius tam fidelis præscientia est, vt qua nondum gesta sunt, tamen iam ab eo & pro præteritis habeantur & gestis.* Et iterum: *Dignum est enim,* inquit, *vt miserabilem populi casum, & impietati eius debitam pœnam, & post longæ seruitutis sufficientem peccatis grauibus satisfactionem & misericordem in eos Dei indulto reditu voluntatem secundum prouidentem scientiam Prophetæ spiritus loquatur:* Item cum illud de Psalmo exponeret, *Et surrexi & adhuc tecum sum: surrexi,* inquit, *ad resurrectionis gloriam spectat: sed secundum præscientiam Dei, id quod futurum est, tanquam præteritum loquitur: Quia Deo ob scientiam & virtutem qua futura sunt, facta sunt: Vt etiam nosmetipsi facta esse existimamus qua futura esse confidimus.* Item cum exponeret illum locum Psalmi vbi dicitur: *Dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur,* de certo & prædestinato electorum numero sic ait: *Nunquid numerus incertus est qui in libro Dei scribuntur? Ergo nullæ est difficultas in numero, quorum veritas manet in scripto.* Psal. 138. 18. Ibid.

S. Ambrosius. Hanc diuini iudicij in vtramque partem tam bonitatem quam seueritatẽ etiam beatissimus Ambrosius ex verbis Epistolæ ad Rom. in Expositione Psal. 118. ita breuiter confirmat dicens: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat:* Rom. 9. 18.

Hunc

Rom. 9 18. *Hunc*, inquit, *miseratus hortatur, illam non revocat exoratus.* Item alibi: *Deus*, inquit, *omnipotens pater in Moysi facie exacerbavit populum Iudaorum non duritia sed præscientia, nec malitia, sed æquitate atque iustitia. Ipsi enim sibi posuere velamen qui legem intelligere noluerunt.* Item in libris de fide ad Gratianum de eadem re sic dicit: *Hæc consuetudo est Prophetiæ, vt quæ futura sunt vel quasi præsentia vel quasi futura dicantur: Deo enim quæ sunt futura, præsentia sunt: & ei cuius præcognita sunt omnia ventura profectis sunt:*

Esa. 45. 11. *sicut scriptum est, Qui fecit quæ futura sunt.* Beatus etiam Hieronymus Hieronymus iuxta 70. nymus de eadem re disputans in expositione Epistolæ ad Ephesios: ità clarissimè dicit *considerandum quod & hic, id est prædestinatio & propositum simul posita sunt unxta quæ operatur omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ. Non*

Ephes 1. 11 *quod omnia quæ in mundo fiant Dei voluntate & consilio peraguntur: alioquin & mala Deo poterunt imputari; Sed quod vniuersa quæ faciat cum consilio faciat & voluntate, quæ scilicet ratione plena sit & potestate facientis: Nos homines pleraque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus: illi autem nullus resistere potest quin omnia quæ voluerit faciat. Vult autem ea quæ sunt plenaratione*

Ibid. 4. *nis atque consilij.* Item alibi in eiusdem Epistolæ Commentariis: *Quod autem*, inquit, *electos nos vt essemus sancti & immaculati coram ipso, hoc est, coram Deo ante fabricam mundi testatus est, ad præscientiam Dei pertinet, cui omnia futura iam facta sunt, & ante-*

Gal. 1. 15. *quam fiant vniuersa sunt nota: sicut & Paulus ipse prædestinatur in*

Hier. 1. 5. *vtero matris suæ: Et Hieremias in vulva matris suæ sanctificatur, eligitur, roboratur, & in typo Christi Propheta gentibus mittitur.* Et post aliqua: *Non ait Paulus*, inquit, *elegit nos ante constitutionem mundi, cùm essemus sancti & immaculati, hoc est, quia sancti & immaculati non fuimus, vt postea essemus constituit. Non enim eliguntur Paulus & qui eis similes sunt, quia erant sancti & immaculati, sed eliguntur & prædestinantur, vt in consequenti vitâ per opera atque virtutes sancti & immaculati fiant.*

Sed & beatus Leo de vtriusque prædestinationis æterno Leo. apud Deum consilio in sermonibus suis ad populum ita evidenter docet dicens: *In salvandis enim omnibus per crucem Christi communis erat voluntas patris & filij: commune consilium, nec vllâ poterat ratione turbari quod ante æterna sæcula & immisericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum.* Item alio loco: *Cùm ergò omnia quæ in Domino maiestatis iudaica admisit impietas, tanta ante prædicta sint, vt non tàm de futuris quam de præteritis Prophetis-*

cus sit sermo contextus, quid aliud nobis quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo reseratur: apud quem discernenda iam iudicata, & futura iam facta sunt? Cùm enim & qualitates actionum nostrarum, & effectus omnium voluntatum scientia divina præveniat, quanto magis nota sunt Deo opera sua? Et rectè placuit quasi facta recoli, qua non poterant omninò non fieri. Beatus quoq; Antistes & glorioſus confeſſor Fulgentius, de hâc iudicij in vtramque partem præſcientiâ & prædeſtinatione egregium librum ſcribit. Qui ſicut & cætera eius admiranda & veneranda ſcripta ſemper ab Eccleſiâ fideliter receptus, & inter ſcriptores Eccleſiaſticos laudabiliter annumeratus eſt. Et nunc neſcimus quâ ratione immò infidelitate & contentione ſimul cum Beato Auguſtino abiicitur, & ab eis qui catholici videri volunt tales ac tanti viri Dei iniquiſſimè iniuriati & ſpreti velut quiſquiliæ & purgamenta viliſsima conculcantur. Et eſt nimis mirabile immò horribile quomodò vt ſuis adiuuentionibus & ineptiis credatur exigant, cùm ipſi beatiſsimos Patres & illuſtriſſimos Doctores Eccleſiæ abiecerint: Ac per hoc niſi ſe citiùs corrigere ſtudeant veriſsimè hæretici iudicari poſſunt. Qui fidei & charitati & ſinceriſſimæ Patrum doctrinæ non communicant: ſed inſuper cum ipſis Scripturæ ſanctæ cœleſtem authoritatem contemnunt. Nam ſi illum fideliſſimum, copioſiſſimum & florentiſſimum librum beati Fulgentii cum pietate & obedientiâ legere & intelligere ſtuduiſſent, profectò in hâc obſcuriſsimâ quæſtione de præſcientiâ & prædeſtinatione diuinâ Deo aſpirante atque illuminante nulla erroris caligo in eorum cordibus remanſiſſet. Ait namque præfatus Doctor inter cætera in libro iam dicto: *Quod ergo ante gehennam mali pereunt, non eſt diuini operis ſed humani: quod autem in gehenna perituri ſunt, hoc facit Dei æquitas cui nulla placet peccantis iniquitas.* Et iterùm: *Prædeſtinationis*, inquit, *nomine, non aliqua voluntatis humanæ coærcitia neceſſitas exprimitur, ſed miſericors & iuſta futuri operis diuini ſempiterna diſpoſitio prædicatur. Deo namque miſericordiam & iudicium cantat Eccleſia.* Item ibi: *Proinde*, inquit *potuit ſicut voluit prædeſtinare quoſdam ad gloriam, prædeſtinavit adiuſtitiam. Quos autem prædeſtinavit ad pœnam, non prædeſtinavit ad culpam. In illis ergò opera ſua glorificat, in iſtis autem opera non ſua condemnat. Hoc itaq; prædeſtinavit Deus, quod erat ipſe facturus, aut quod fuerat largiturus; illud verò nullatenus prædeſtinavit, quod ſive per gratiam ſive per iuſtitiam*

Laus Fulgentij.

Pſal. 100. 1.

tiam facturum ipse non fuit. Item ibi: *Mala quippe voluntas adoptimum creatorem: iusta verò iniusti quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinavit ad gloriam Angeli hominisque damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinavit. quia homini eam daturus ipse non fuit.* Et iterùm: *Neq; enim est alia eius prædestinatio nisi futurorum operum aterna præparatio, in qua nulla causa mali vllatenus poterit inveniri: quia ex* Psal. 114. 5 *voluntate Dei nunquam processit origo peccati. Misericors enim Do-* Psal. 84. 12 *minus & iustus: De quo alio loco scriptum est: Misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus. In omnibus ergo operibus eius aut iusta veritas custoditur, aut pia misericordia prærogatur.* Item ibi: *Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum iusta punitio. Nunquam igitur Deus hominem ad hoc potuit prædestinare, quod ipse disposuerat & præcepto prohibere, & misericordiâ diluere, & iustitiâ punire.* Itemque ibi: *Deus itaq; omnia hominum opera sive bona sive mala præscivit, quia enim latere nihil potuit, sed sola bona prædestinavit, quæ se in filiis gratia facturum ipse præscivit: mala verò futura opera illorum quos non prædestinavit ad regnum, sed ad interitum, præscivit potentissima deitate, ordinavit & provida bonitate.* Et iterùm: *Præscivit enim voluntates hominum bonas & malas: prædestinavit non malas sed solas bonas: & licet in eius prædestinatione non fuerit, vt malitiam voluntati humanæ dedisset, fuit tamen in eius prædestinatione, quid humanæ voluntatis malitiæ redditurus esset.*

Hæc præfatus venerabilis Doctor in libro quem suprame- Cap. 9.
moravimus iuxtà scripturæ sanctæ veritatem, & præcedentium Patrum reverendam authoritatem, & multa alia quæ ad præsentem quæstionem sufficiunt, claro sermone disseruit: quem nos fideliter disputantem & maiorum vestigia piè sequentem obedienter & sinceriter sequi debemus: quia & hoc ad fidei nostræ integritatem pertinet, vt sicut in cæteris quæ Deo credimus, ità & in hâc parte nihil indignum divinâ maiestate, nihil falsum de divinis iudiciis faciamus. Præsertim eum huius prædestinationis veritas & fidei in nobis ædificet sinceritatem, & nulli præbeat desperationis offensionem: & cunctis qui in suis vitiis perniciosè & pertinaciter vivere delectantur salubberrimum timorem ingerat. Nam de contemptu & abiectione beatissimorum atq; illustrissimorum Patrum, quia multis nimis insolenter atq; irreligiosè conculcantur, quid nobis aliud sentiendum, nisi vt conta hæc magis audia-

Patrib. antiquis adhærendum.

inus, & obſervemus quid ſcriptura de eiſdem ſanctis Patribus præcipit dicens: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos & dicent tibi*: Ne incurramus in illud quod per Salomonem dicitur: *Malum eſt homini deierare ſanctos, & poſt vota retractare*: ſummiſque parentibus ſpiritualibus, quorum fide & doctrinâ in Chriſto generati ac regenerati ſumus, inobeditis & contemptores ſcripturæ quæ dicit: *Audi fili mi diſciplinam patris tui*, id eſt, omnipotentis Dei, *& ne dimittas legem matris tuæ*, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ dogmata & ſtatuta fidelia quæ non tantùm vt legitima, ſed verè vt legem obſervare debemus: quâ per ſpiritum ſanctum edita, minimè dubitamus. Denique de beati Auguſtini libris & ſcriptis in quibus ex neceſsitate novæ, id eſt Pelagianæ hæreſis deſtruendæ & fidei catholicæ defendendæ, inſtantiſsimâ intentione de naturâ & gratiâ, de gratiâ & libero arbitrio, de correptione & gratiâ, de prædeſtinatione ſanctorum & bono perſeverantiæ, de baptiſmo parvulorum iuxta profunditatem ſcripturæ ſanctæ & Evangelicæ atq; Apoſtolicæ doctrinæ regulam multipliciter diſputavit adhuc ipſo vivente ſicut Proſper & Hilarius ad eundem ſcribunt & multò magis poſt obitum eius propter obſcuritatem rerum, & tarditatem minùs intelligentium, multiplex querela maximè inter Gallias exorta eſt: ſed continuò per divinæ miſericordiæ providentiam, & conciliis ac ſtatutis beatiſsimorum Patrum, & decretis atque authoritate apoſtolicæ ſedis Pontificum ſolertiſsimè ſedata atque ſanata: ita vt ſtultis & indiſciplinatis quæſtionibus ſilentium imponeretur, & ſanctiſsimi ac ſinceriſsimi Doctoris authoritas in omnibus Eccleſiis atque in ipſâ ſede apoſtolicâ confirmaretur. Deniq, beatiſſimus Papa Cœleſtinus cuius authoritate & induſtria Neſtoriana hæreſis ſurgens cum ſuo authore oppreſſa eſt, contra tanti viri oppreſſores vel potiùs calumniatores, ſicut in libris canonum inter decreta pontificum Romanorum continentur, ſcripſit ad Epiſcopos Galliarum, tanta reverentiâ & laude illum commendans, vt eiuſdem ſcripturæ iſte ſit titulus: *De ſancto Epiſcopo Auguſtino nuta laudis aſſertio*: & huic titulo ſubiungantur verba prafati Pontificis, quæ ità ſe habent: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vitæ ſuæ atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus: Nec vnquam huic ſimſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros & iam à meis ſemper deceſſo-*

Deut. 32. 7.

Prov. 20. 25

Prov. 1. 8.

Authoritas Auguſtini per Eccleſiã confirmata.

cessoribus haberetur. Benè ergò de eo omnes in commune senserunt, vtpotè qui vbique cunctis & amori fuerit & honori: vndè resistatur talibus quos male crescere videamus. Nefas est hac pàti religiosas animas, quarum afflictatione, quia membra nostra sunt, nos quoque oportet macerari. Matt. 8. 10. *Quamvis maneat illis beatitudo promissa, quicunque* Ibid. 12. *probantur persecutionem propter iustitiam sustinere. Quibus quid promittat Dominus in futurum sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum. Vniversalis Ecclesia quacunque novitate pulsatur, intelligamus hac ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere. Quod ita demùm probare poterimus, si imposito improbis silentio de talibus impositorum querela cessabit.* Hunc igitur beatissimum & fidelissimum patrem semper in communione Sedis Apostolicæ habitum, & ab eius etiam Pontificibus inter magistros fidei doctrinæ venerabiliter receptum, & ab ipsis tam clarè & honorificè contra obtrectantes & obloquentes defensum; ità vt imposito improbis silentio, omnem Deo mussitationem comprimendam ac repellendam decernerent, & tam nos totâ fidei devotione honoremus; toto studio & intentione pietatis sequamur: Et in quibus propter obscuritatem rerum & subtilitatem disputationum minus eum intelligere possumus, vel à Domino intelligentiam postulemus, vel ab eis quos ipse suo dono illuminare dignatus est, humiliter nos doceri patiamur ac deprecemur. Nam quod est magis dolendum, & amore divinæ veritatis penitus detestandum, circunferunt quidam libellum velut ipsius nomine titulatum, quem græco vocabulo Hypognosticon appellant, quem neq; ille sanctus Episcopus, qui vtique vitam ipsius scripsit & indicem omnium librorum sive Epistolarum eius diligentissimè in fine eiusdem scripturæ subiunxit, qui vtique omnia eius scripta optimè noverat, vtpotè ab ipso nutritus, & cum eo multis curriculis annorum conversatus, inter cæteros libros eius memorat. Neque vllus ferè Ecclesiasticus scriptor eius mentionem facere invenitur, & ideò falsâ superscriptione titulatum minimè dubium est. Hunc ergò isti relictis eius authenticis & clarissimis libris, quos vniversa Ecclesia sequitur, confingunt suo errore atque mendacio, velut post omnes libros suos præfatum pontificem vltimum conscripsisse: & asserunt quod quicquid in præcedentibus libris suis de gratiâ & libero arbitrio, de prædestinatione & præscientiâ Dei perperam dixerat, in isto correxit. Quod omninò absit à nobis

Possidius.

vt tam nefarium commentum ſuſcipere patiamur: vt propter iſtiuſmodi librum, qui neque in catalogo librorum eius, neq; in libris retractationum eius, neque in ſcriptis alicuius viri Eccleſiaſtici fortè memoratus reperitur: & manifeſtiſſimè prædicti Doctoris ſenſibus imò catholicæ ſinceritati probatur adverſus: nec ipſo ſtylo vllatenus cum eius eloquio conſonat; abiiciamus clariſsima veritatis dogmata, quæ in veriſſimis & probatiſſimis libris eius, non ſolùm in cæteris mundi partibus, ſed etiam in ipsâ ſede Apoſtolicâ, omnis catholica ſuſcipit & ſervat Eccleſia. Quæ omnia idcircò tam diligenter replicanda credidimus, vt tantum malum de contemptu & abiectione ſanctiſſimorum Patrum, tantum mendacium de libris fideliſsimi & ſinceriſsimi Doctoris, per quod clariſſimâ veritatem reſpuendam & fallaciarum vmbras ac nebulas ſequendas iſti perſuadent, penitùs à noſtris animis repellamus. Quia ſi iſtiuſmodi fallaciam incautè ſuſcipimus, intrat putredo de veneno ſerpentis, & nihil integrum remanebit.

Proferunt & alium libellum velut ſub nomine ſancti Hieronymi de libero arbitrio conſcriptum, quem vtique clarius debent oſtendere, vt probetur ſi verè ipſius eſſe credendus eſt. Nos enim ſcimus eundem ſanctum Hieronymum in quodam opere de libero ſcripſiſſe arbitrio, & poſuiſſe duas quorundâ opiniones quarum vnam ſequitur, alteram omninò reſpuit Eccleſia. Caveamus itaq; inquantum Deo auxiliante poſſumus, mendacia adverſus fidem & veritatem ſurgentia: & maximè hoc tempore, quando terribili Dei iudicio & ignorantia maior in hominibus cœpit ſuccreſcere, & multiplex error liberius pullulare. Sed & ſiquis in ratione fidei vel errat, vel errare putatur, vtique non mendacio vincendus eſt, ſed veritate, ſicut & beatus Auguſtinus ad quendam Scriptorem improvidum Vincentium victorem dicit: *Nos te ita volumus eſſe victorem, vt veritas vincat errorem; non error errorem, & quod eſt peius, maior minorem.*

Hęc de primo capitulo definitionum neceſſariò dicta ſint, vt etſi quid ſurgente obſcurâ & perplexâ quæſtione de præſcientiâ & prædeſtinatione divinâ inconſideratiùs atque inconvenientius dictum eſt, non contentiosè defendatur, nec ſynodali etiam authoritate fulciendum putetur: ſed potius agnitâ divinâ veritate, & receptâ humiliter paternâ authoritate velocius & attentius corrigatur.

Sequi-

Sequitur ſecundum earundem definitionum capitulum cuius verba hæc ſunt. Cap. 10.

Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Chriſtũ Dominum noſtrum recepimus, & habemus liberum arbitrium ad bonum præventum & adiutum gratiâ: & habemus liberum arbitrium ad malum deſertum gratiâ. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratiâ liberatum, & gratiâ de corrupto ſanatum.

Mirum eſt igitur cur hoc tam confuſè & abſtrusè ac decurtatè de libero arbitrio definitum ſit, cum Domino largiente abundet in Eccleſia eius ſanctorum atq; orthodoxorum patrum de hac re pleniſſimæ & clariſſimæ definitiones: in quibus nec addendum aliquid fuerat, nec ſubtrahendum, quia & quod fidei catholicæ neceſſarium eſt, pleniſsimè continent, & ſi quid indè ſubtrahatur veritatis integritas violatur. Ex quibus paternis & Eccleſiaſticis definitionibus, exempli gratiâ, hæc pauca proponimus.

CAPVT I.

IN prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſsibilitatem & innocentiam perdidiſſe: & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerantis erexerit. *Cæleſtinus in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ.*

CAPVT II.

QVod nemo niſi per Chriſtum libero benè vtatur arbitrio.

CAPVT III.

QVod omnia ſtudia & omnia opera ac merita ſanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda ſint, quia nemo aliundè ei placeat, niſi ex eo quod ipſe donaverit.

CAPVT IV.

QVod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, vt ſancta cogitatio, pium conſilium omniſq; motus bonæ voluntatis ex Deo ſit: quia per illum aliquid boni poſsumus, ſine quo nihil poſſumus.

CAP.

CAPVT V.

OMnium studiorum omniumque virtutum quibus ab initio fidei ad Dominum tenditur Deum profitemur authorem; & non dubitamus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo vtique auxilio & misericordiâ Dei non tollitur liberum arbitrium; sed liberatur: vt de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est ergà homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona: & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus & agamus.

CAPVT VI.

FAtemur gratiam Dei & adiutorium etiam ad singulos actus dari; eamque non dari secundùm merita nostra, vt vera sit gratia, id est gratis data, per eius misericordiam qui dixit: *Misertebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero.* Rom. 9. 15. Exod. 33. 19

CAPVT VII.

FAtemur esse liberum arbitrium etiamsi divino indiget adiutorio.

CAPVT VIII.

ARbitrium voluntatis in primo homine infirmatum nisi per gratiam baptismi non potest reparari.

CAPVT IX.

ARbitrium voluntatis tunc est verè liberum cum vitiis peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo, vtique homini primo: quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potuit reddi. Vnde veritas dicit: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Ioan. 8. 36.

Ecce

Ecce sanctissimi Patres non negant liberum arbitrium esse in hominibus, sed docent in prævaricatione Adæ naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse.

Non negant liberum humani generis arbitrium: sed docét quod nemo nisi per Christum libero benè vtatur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit.

Non negant liberum arbitrium: sed docent quod auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.

Non negant liberum arbitrium, sed docent quod in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari.

Non negant liberum arbitrium, sed docent tunc esse liberum cum vitiis peccatisque non servit: docent tale datum esse à Deo, docent quod amissum nisi à quo potuit dari, non potuit reddi. Vndè veritas dicit *Si vos plus liberaverit, verè liberi eritis.* Ibid.

Liberum arbitrium omnibus inest.

Cùm hæc ità sint, & liberum arbitrium omnibus inesse hominibus negari nullatenùs debeat, ne tantam multitudinem hominum infidelium quæ extitit ab initio seculi vsque ad adventum Christi, & adhuc existit, & existet vsque ad consummationem mundi excusatos faciamus, quod videlicet non habuerint vel habeant arbitrii libertatem quam in Adam perdiderint, & ideò nec iustè culpentur in malis quæ agunt, nec pro eisdem malis iustè in divino iudicio condemnandi sunt. Contra hunc namque errorem & vanam excusationem B. Augustinus veritatem fidei defendens, ita dicit: *Primò enim Dominus Iesus, sicut scriptum est in Evangelio Ioannis Apostoli: Non venit vt iudicaret mundum, sed vt salvaretur mundus per ipsum: postea verò sicut scribit Apostolus Paulus, Iudicabit Deus mundum, quando venturus est, sicut tota Ecclesia in symbolo confitetur, iudicare vivos & mortuos. Si ergo non est Dei gratia quomodo salvat mundum? Etsi non est liberum arbitrium quomodo iudicat mundum?* Cùm ergò liberum arbitrium habeat totus mundus, & ideò Deus *iudicet mundum*, quomodo in hâc novâ definitione dictum est, quod *libertatem arbitrii in primo homine perdidimus?* Sancti Patres dicunt *liberum arbitrium in prævaricatione Adæ infirmatum*, dicunt *naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse.* Dicunt quod eo, id est, *libero arbitrio nemo bene vtatur sine Christo.* Ioan. 3. 17. Rom. 3. 6.

Dicunt *liberum esse arbitrium etiamsi divino indigeat adiutorio.*

Cap. II. Habent itaque omnes homines etiã qui alieni sunt à Christo liberum arbitrium, sed tale quale isti patres ostendunt, id est in prævaricatione Adæ infirmatum, naturali possibilitate & innocentiâ spoliatum: sine Christo nulli bono vsui aptum.

Quid possit liberum arbitrium per se in infidelibus.

Habent omnes homines naturaliter mentem rationalem & intellectualem qua possunt discernere ac diiudicare, cùm ad rationales annos venerint, inter bona & mala, inter iusta & iniusta. Habent etiam naturaliter insitum arbitrium voluntatis, & eodem arbitrio possint velle mala, possint velle etiã quædam bona: sed humanâ affectione ad humanam societatem atque honestatem pertinentia: quæ eâdem humanâ affectione, vel propter aliqua temporalia commoda appetuntur, vel propter ipsam solummodo vitæ honestatem. Sed huiusmodi humana bona, quæ humanâ affectione potest velle, potest etiam nonnunquam agere humana natura, cùm propter temporalia bona appetuntur, sine dubio cupiditates sunt: cùm propter solam vitæ honestatem, sine dubio inflata & elata sunt: tamen potest ea discernere, potest etiam velle, potest etiam habere, inquantum naturali bono adiuuatur, & Dei dispositione permittitur humana natura. Talia namque bona & in cæteris videri solent hominibus & maximè in multis philosophis gentium, & in magnis viris, qui in republica præclari extiterunt, etiam mirabiliter commendat & laudat historia: de qua vita humana iuxta humanam affectionem & consuetudinem, velut bona & laudabilia B. Augustinus in tractatibus Evangelij secundum Ioannem sic apertè commemorat dicens: *Multi enim sunt, qui secundùm quandam huius vitæ consuetudinem dicuntur boni homines, boni viri, bona fœmina innocentes & quasi observantes ea quæ in lege præcepta sunt, deferentes honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum adversus quemquam testimonium perhibentes, & cætera quæ in lege mandata sunt velut observant, & Christiani non sunt. Quia ergo ista omnia quæ faciunt nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt. Dicant ergo Pagani, bene vivimus: si per ostium non intrant, quid eis prodest vnde gloriantur? Ad hoc enim debet cuiq; prodesse bene vivere, vt detur illi semper vivere. Nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere? Quia nec bene vivere dicendi sunt qui finem bene vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera, & certa*

Tract. 40. super Ioan.

semper

semper vivendi, nisi agnoscat vitam quod est Christus, & per ianuam intret in ovile. Fuerunt quidam philosophi de virtutibus & vitijs subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, qui etiam dicere audederent, hominibus: Nos sequimini, nostram sectam tenete, si vultis beatè vivere: sed non intrarant per ostium, perdere volebant &c. In talibus igitur bonis & viget & excellit humanæ voluntatis arbitrium, in quantum, vt dictũ est, naturali bono adiuuatur. Sed vt ipsum voluntatis arbitrium divinâ affectione divina amet, intelligat, recipiat, exerceat, & perseveranter teneat, non propter aliqua temporalia commoda, sed propter præmia æterna, nec propter solam vitæ præsentis honestatem, sed propter solam vitæ æternæ beatitudinem: vt hoc, inquam, arbitrium voluntatis humanæ possit velle, possit agnoscere, possit accipere, possit habere, nullatenus valet, nisi divinæ inspirationis gratia incitetur, illuminetur & adiuuetur: ac velut ex mortuis ad vitam resuscitetur: quia & revera illa humana vita humanâ affectione acta, hominibus videri potest quasi vita, sed Deo mortua est. Hac ratione & bonum liberi arbitrij in hominibus agnoscitur, & Dei gratia omnimodis necessaria declaratur. Per quam humana natura merito antiquæ prævaricationis infirmata, per fidem Christi regenerata, atque innovata, & ad honorem sui reformata principij, recipiat *possibilitatem & innocentiam quam in Adam perdidit, & per Christum libero benè vti arbitrio*: vt gratiâ possit in eo esse *sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bona voluntatis.* Sicq; efficiatur humanæ voluntatis *arbitrium non ablatum sed liberatum, & de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente providum.* Quod tanto magis per Christum in nobis fit liberum, quanto minus vitiis peccatisq; servierit. Tunc autẽ erit verè & plenè liberũ, quando iam perfectè liberatum in vitæ æternæ beatitudine nullis serviet vitiis & peccatis. Sicq; illa Domini promissio qua ait: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis*, hic inchoatur in innovatione fidelium, ibi perficietur in incorruptione regnantium: si ergò propterea dictum est in hâc definitione: *libertatẽ arbitrij in primo homine perdidimus* quasi post illius hominis transgressionem, nullum in hominibus remanserit liberum arbitriũ, apparet quod non sit consonũ veritati: quia si nullum est humani generis liberum arbitrium, *quomodo iudicabit Deus mundum.* Si autem propterea dictum est quia naturalem possibilitatem & virtutem liberi arbitrij

Quod non possit liberũ arbitrium hominis sine gratia.

Ioan. 8. 36.

Rom. 3. 6.

qualis in illo primo homine condita est, merito illius prævaricationis amissimus, cavendum est omninò ne hoc quod de amissâ eiusdem arbitrij libertate subiungitur, *quam per Christũ Dominum nostrum recepimus*, ita sit dictum quasi ex quo in Christo regenerati sumus, talem statum & virtutem liberi arbitrii receperimus: vt exindè in præsenti vita tales esse possimus, qualis ille homo erat ante peccatum: vt sicut ipse vivebat in paradiso absque vllo peccato, ita & fideles regenerati in Christo absque peccato vivant in mundo: quod manifestè non pertinet ad statum præsentis vitæ, sed ad fœlicitatem vitæ æternæ. Nam in hac vita si dixerimus *quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est*: Et sicut alia scriptura ait: *Non est homo iustus super terram qui faciat bonum & non peccet*. Vnde & Psalmista ad Dominum dicit: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: & quotidie in Dominicâ oratione dicere iubemur, *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Cavendum est igitur, vt iam diximus, ne sub tali prædicatione gratiæ Christi quâ eam quam in Adam perdidimus, iam recepisse dicimur libertatem arbitrij impietas subrepat erroris Pelagiani, vt sicut ille asseruit, *sola virtute liberi arbitrij credatur homo esse posse absque peccato*: maximè cùm in primo capitulo istarum definitionum, ita in primo illo homine liberum arbitrium definiatur, vt omninò Dei gratia taceatur. Quod si simpliciter tantummodò dictum est, vt propter inchoationem gratiæ, quam in regeneratione percipimus, iam libertatem arbitrij quam in Adam perdidisse dicimur, recepisse videamur: Cùm tamen eius plenitudo atque perfectio in futurâ vitâ fideliter expectanda credatur, quid necesse fuit tantâ ambiguitate & confusione verborum clarissimam obscurare veritatem, cùm possent ex præfatorum patrum definitionibus vel vnum vel aliqua capitula assumi & poni quibus & arbitrii libertas & Dei gratia pleniùs ac manifestiùs commendarentur.

In hac vita non vivitur sine peccato. 1. Ioan. 1. 8. Eccl. 7. 2. Psal. 142. 2. Mat. 6. 12.

Cap. 12. Iam quanta absurditas est in eo quod sequitur, vt postquam dictum est *libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus, statim subiungeretur; Et habemus liberum arbitrium ad bonum præventum & adiutum gratiâ; & habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia*: quasi postquam per gratiam Christi Domini regenerati sumus tunc cœperimus habere: sicut liberum arbitrium ad bonum, ita libe-

berum arbitrium ad malum desertum gratiâ: quasi ex illa regeneratione, cum gratiâ prævenimur & adiuuamur habeamus liberum arbitrium ad bonum: & cum eadem deserimur gratiâ, habeamus liberum arbitrium ad malum. Quæ hic ratio & consequentia sensus inveniri potest? Nunquid ante illam regenerationem nullum omninò liberum habemus arbitriũ nec ad bonum nec ad malum? Nunquid illius regenerationis gratia hoc egit in nobis vt exindè acciperemus sicut ad bonum ita etiam ad malum liberum arbitrium? Iam illud quod in eâdem definitione ponitur *liberum arbitrium ad bonum præventum & adiutum gratiâ, & liberum arbitrium ad malum desertum gratiâ*, quomodo intelligi potest? Si enim quando regenerati sumus in baptismo tunc libertatem arbitrii in Adam perditâ, in Christo recepimus, nunquid tunc tantum prævenit & adiuuit nos Dei gratia, aut eadem Dei gratia sicut semel nos adiuuit vt efficeremur liberi ad bonum, ita semel nos deserit, vt efficiamur liberi ad malum? Quæ est ista tam obscura & ambigua ac pene nulla gratiæ prædicatio? Nonne melius erat vt præfatorum Patrum sententiæ quæ de hâc re plenissimè & clarissimè definiunt, assumerentur, vel eorum verbis ista eorum definitio contexeretur: & apertè ibi esset positũ, qualiter nos adveniat & adiuuet hæc Dei gratia, id est, vtrum semel nobis in baptismate tanta tribuatur, quæ ad totum tempus vitæ nostræ sufficiat, an quotidiè imploranda & accipienda sit: & vtrum ea ad aliqua bona, an ad omnia indigemus. Certè nihil horum in hac definitione apparet, & ideò melius fuerat tacere, quam de re tanta tam ineptè & invtiliter loqui. Indigemus namque gratiâ Dei, non solùm ad opus bonum, sicut in hoc capitulo definitur, sed etiam ad ipsum initium fidei, sine qua non possumus accedere ad regenerationis sacramentum: sicut Apostolus dicit de se ipso: *Misericordiam consecutus sum, vt fidelis esſem.* 1. Cor. 7. 2. Et fidelibus loquitur: *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis &c.* Hebr. 12. 2. Et alibi ait: *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum*; indigemus gratiâ Dei in ipso *regenerationis lavacro*: quia sine illa nec indulgentiam peccatorum consequi, nec filii Dei fieri valemus. Dicente eodem Apostolo: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis spiritus sancti.* Tit. 3. 5. Indigemus gratiâ Dei ad omnia & singula bona per singulos dies, dicente Psalmista: *In quacunque* Psal. 101. 3

Ad fidem & cæteros bonos actus gratia est necessaria.

die invocavero te exaudi me. Et iterùm: *In quacunq; die tribulor inclina ad me aurem tuam.* Quam gratiam quotidianam & assiduam Dominus noster Ecclesiæ suæ promittere dignatus est dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Indigemus eâ ad excitandam in nobis bonam voluntatem, sicut Apostolus dicit: *Gratias autem Deo qui dedit eandem sollicitudinem in corde Titi.* Et B. David orat pro populo, quem devotè & alacriter Deo dona offerentem videbat, vt eandem bonam voluntatem quam dederat, in eis Deus conservaret dicens: *Dominus Deus Abraham & Isaac, & Israel patris nostri custodi in sempiternum hanc voluntatem cordis eorum. Et semper in venerationem tui mens ista permaneat.* Indigemus gratiâ Dei ad bona & salubria loquenda, sicut ipse Dominus in Evangelio dicit: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Quia etiam alibi promittit: *Aperi os tuum & ego adimplebo illud.* Indigemus Dei gratiâ ad omnes vias bonerum operum: Paulus Apostolus optare se dicit, vbi ait: *Nam & qui sumus in tabernaculo ingemiscimus gravati in eo quod nolumus expoliari sed supervestiri, vt absorbeatur quod est mortale à vita.* Cùm ergò hæ duæ opiniones in præfato libello de hâc re propositæ & expositæ fuissent subiunctum est protinus valdè vtiliter, & dictum: quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticum nisi contentione hæreticum fiat. Similem quoque sententiam B. Papa Cœlestinus de quibusdam profundioribus quæstionibus in decretis suis posuit, dicens de eis: *Qua sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* Sit ergò inter nos etiam de hac re istiusmodi pia cautela & moderatio, quatenus & sanctis patribus debitus servetur honor, & quolibet quis acquiescat modo ex illis sensibus, qui de hâc sententiâ ab eis positi sunt, non iudicemus esse hæreticum: sed potius vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis & Ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere quod sentit. Itaque in rebus talibus cohibeamus nos ipsos salubri moderatione, vt nec contemnere audeamus, nec quasi necessariò affirmare conemur, memores semper illius Apostolicæ sententiæ: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.* Legamus ergò pacificè, & quantum Dominus donat, intelligamus dogmata Ecclesiasticorum virorum, nec pro aliis doctoribus adversus alios ligitemus: quia & ipsi inter se pacifici

Ibid.

Mat. 28.20

2. Cor. 8.16

1. Paral. 29 18.

Mat. 10.20. Psal. 80.11.

2. Cor. 5.4.

Exempla ad ad Episcopos Galliæ.

De sententiis Patrum & aliorum doctorum cum modestia iudicandum.

1. Cor. 11. 16.

Rom. 14.5. cifici *vnusquisq; in suo sensu abundaverunt, alius quidem sic, alius vero*
1.Cor.7.7. *sic*, expectantes fideliter atque humiliter quod Apostolus promittit dicens: *Etsi quid aliter saputis hoc vobis Deus revelabit.* Nã
Philip.3.15 qui non tranquillè & pacificè moderatur quod sentit, sed statim paratus est ad contentiones, dissensiones & scandala; etiãsi non habeat hæreticum sensum, certissimè habet hæreticum animum. Quam pietatis moderationem, si etiam isti boni viri qui hanc definitionem statuerunt, servare voluissent, melius hanc rem silentio præteriissent, & vnicuiq; de eâ secundùm fidem suam & authoritatem, cui magis acquiescendum putaret, sentiendum permitterent, finitoq; inter eos tam longæ & pernicioſæ contentionis iurgio, pax & vnitas Christi Ecclesiæ reformaretur. Ecce enim aliquis sentiat & dicat, sicut etiam antiquitus & sensum est & dictum: Non dixit Apostolus vni-
1.Tim.2.4. verſaliter & generaliter, & vt isti addiderunt *sine exceptione,*
Ibid.1.& 2 *qui vult omnes homines salvos fieri:* sed specialiter ad eos retulit de quibus suprà dixerat, *pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in sublimitate positi sunt:* vt quod dixit: *omnes homines*, omnia genera hominum voluerit intelligi: omnium scilicet generum, sexuum, conditionum, ordinum, dignitatum. Quid habet hæc intelligentia inconsequens aut contrarium veritati? Item alius dicat & sentiat, sicut etiam à quibusdam maioribus dictum & sensum reperitur. Apostolus cùm superiùs orari iussisset *pro omnibus hominibus, pro regibus & his qui in sublimitate positi sunt*, post illa omnia generaliter de vniverſo genere humano subiunxit, *qui vult omnes homines salvos fieri.* Quid habet mali aut periculi etiam ista intelligentia? Neque enim qui ità sentit putat voluntati Dei quâ *vult omnes homines salvos fieri*, aliquem resistere & contraire, vt non possit implere quod velit, & ambo sibi & iste videlicet & ille; licet diversa sentientes fideliter atq; vnanimiter concordant. Quod quolibet modo dixerit Apostolus de Deo, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, tamen nullus hominum, nisi gratuitâ eius misericordiâ salvetur nullus nisi iusto eius iudicio perire permittatur. Certè illud in hâc quæstione manifestum est, quod etiam si generaliter & indifferenter *omnes homines Deus vult salvos fieri*, in aliorum tamen cordibus benignitate misericordiæ suæ ipse operatur eandem voluntatem suam, vt & ipsi salvari velint, & salvẽtur:
Philip.2.12 & 13. qualibus & Apostolus dicit: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle*

& perficere pro bona voluntate. In aliorum autem cordibus seueritate iusti & occulti iudicii sui non operatur hanc salutarem voluntatem, sed dimittit eos suo arbitrio: vt quia noluerunt credere iustâ vltione damnentur. Et hoc quidem de illis dici potest, qui verbum Evangelij audierunt, sed duritia incredulitatis suæ recipere noluerunt. Quid verò dicendum est de tantâ multitudine impiorum qui fuerunt ab exordio mundi, vsq; ad adventum Christi? Et adhuc non negandi sunt esse in extremis partibus orbis terræ ad quos nullus vnquam prædicator accessit, nullum vnquam verbum Dei audierunt, qui vtique nulla tenùs potuerunt, *credere ei quem non audierunt*, neque *sine prædicante audire*, nec prædicatorem recipere qui nullus ad eos missus est? Nunquid & tales propterea damnabuntur, quia non crediderunt quod nunquam audire potuerunt? Et tamen omninò damnabuntur pro aliis peccatis suis, & principaliter pro illo primo & originali peccato, *in quo omnes peccaverunt:* Non frustrà scriptum est: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.* Et Apostolus dicit: *Dantis vindictam in flammam ignis his qui non noverunt* DOMINUM. Si quis & de talibus interroget, quid in eis egerit voluntas Dei, *qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quid respondebitur? Nonne homo cautus & pius magis eliget tacere, aut certè cum Propheta & Apostolo exclamare, *In iudicia tua abyssus multa*, Et, *O profundum divitiarum sapientiæ & scientiæ* DEI! *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & investigabiles viæ eius!* De hoc ergò capitulo iste sit finis.

Rom. 10. 14 & 15.

Infideles qui nihil de Evangelio audire potuerunt non dãnabuntur propter incredulitatẽ sed propter alia peccata & propter originale.

Rom. 5. 12. Psal. 78. 6. 2. Thess. 1. 8 1. Tim. 2. 4. Psal. 35. 7. Rom. 11. 33

Se-

Sequitur Definitio quarta ita & vltima, eſtque ſe habens.

CHriſtus Ieſus Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt fuit, vel erit, cuius natura in illo aſſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, vel erit homo pro quo paſſus non fuerit, licet non omnes paſſionis eius myſterio redimantur. Quod autem non omnes paſſionis eius myſterio redimantur, non reſpicit ad magnitudinem & pretij copioſitatem, ſed ad infidelium & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, reſpicit partem: quia poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt infirmitate noſtra & virtute divina, habet quidem in ſe vt omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur. Et in hâc novâ & inuſitatâ quæſtione tres nobis quæſtiones proponuntur: Prima, quod dicitur, quia nullus homo eſt, fuit, vel erit cuius natura in Chriſto aſſumpta non fuerit.

Cap. 13.

Gal. 5. 6.

Secunda, quod affirmatur, quod nullus eſt, fuit, vel erit homo pro quo Chriſtus paſſus non fuerit, licet non omnes paſſionis eius myſterio redimantur.

Tertia, quod adiungitur, quia eiuſdem paſſionis myſterio non redimantur non ſolùm infideles, ſed neque ipſi fideles niſi illi ſoli qui eam fidem habent, quæ per dilectionem operatur.

De primâ ergò quæſtione hoc nobis credendum & tenendum videtur: quia ſuſceptio illa naturæ humanæ in Chriſto non fuit ex neceſſitate originis, ſed ex poteſtate & gratiâ & miſericordiâ & dignatione ſuſcipientis. Cæteri namque homines non ex ſuâ voluntate & poteſtate ſed ex Dei iudicio & diſpoſitione originali neceſſitate & conditione naſcuntur. Dominus autem Ieſus Chriſtus, qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria Virgine non neceſsitate & conditione humanæ originis, ſed poteſtate & miſericordiâ ſuæ voluntatis homo factus eſt. Vndè & B. Evangelista Matthæus cùm ſeriem genealogiæ eius ab Abraham vſque ad David, & à David vſque ad tranſmigrationem Babyloniæ, & à tranſmigratione Babyloniæ vſque ad ipſius nativitatem deſcriberet, cæteras omnes generationes naturali curſu & conditione humanæ procreationis ac propaga-

Natura humana a verbo aſſumpta eſt, non ex neceſſitate originis, ſed ex miſericordiâ aſſumentis.

Matth. 1. 17

tionis digessit dicens: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob,* [Ibid 2.] *Iacob genuit Iudam & fratres eius*: & cætera similiter. Cùm venisset autem ad vnicam & singularem nativitatem Christi, discrevit eam mirabiliter à cæteris omnibus, & ait: *Christi* [Ibid.18.] *autem generatio sic erat*, hoc est, non sicut priores generationes naturali cursu & conditione currentes, ac sibi invicem succedentes, sed singulari potestate & virtute & gratiâ excellens. Et statim eiusdem generationis specialem modum qualiter sit facta subiunxit dicens: *Cùm esset desponsata mater eius Maria* [Ibid.] *Ioseph antequam convenirent, inventa est in vtero habens de Spiritu sancto.* Quod & angelus posteà ad Ioseph loquens, commendat, & dicit: *Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est*: Et [Ibid.20.] adhibito prophetico testimonio docens eum cuius potestatis & virtutis esset qui nascebatur, videlicet, quod verus *Emmanuel* Deus in homine adveniret, ait: *Hoc autem factum est vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: Ecce Virgo in vtero habebit, & quod pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum* Deus. [Ibid.22.& 23. Esa.7.14.]

Quia ergò ista tam divina & tam singularis *generatio* hominis *Christi* non aliquâ naturali necessitate, sed solâ eius potestate & gratiâ & misericordiâ facta est, sic per omnes illas generationes veraciter caro eius descendit, sic ex eis veraciter natus verus *homo factus est*, vt quod ei placuit miserando & sanando ac redimendo indè assumeret, quod autem non placuit reprobaret. Sicut admirabili potentiâ & veritatem naturæ humanæ assumpsit, & eiusdem naturæ vitium non assumpsit: vt illam suscipiendo salvaret, & illud non suscipiendo damnaret. Ita in illo ineffabili incarnationis suæ mysterio electos suos propter quos redimendos & iustificandos ac salvandos advenerat, misericorditer suscepit: Quos autem indignos illâ misericordiâ & redemptione iudicavit, alienos ab illâ mirabili susceptione dereliquit. Denique in illis generationibus vndè caro eius exorta est, & *Abraham*, & *David* ponuntur: Et *Achaz* & *Manasses* pariter annumerantur: & tamen speciali gratiâ *semen Abrahæ* dicitur, Domino ei promittente, quia *in semine tuo benedicentur omnes terra.* Similiter & *semen David* dicente Apostolo: *Qui factus est ex semine* David *secundum carnem.* Dicitur etiam *filius David & filius Abraham* testante Evangelistâ: *Liber generationis Iesu Christi filij Abraham.* Aliquorum autem impiorum, & in suâ impietate perditorum filius nequaquam

Christus in sua incarnatione electos suscepit, reprobos dereliquit.

Genus.

[Gen.22.18 Rom.1.3.]

Filius David.

[Matt.1.1]

quam legitur; licet caro eius non solùm ex iustis sed etiam ex peccatoribus veraciter fuerit assumpta. De quo Apostolus
1 Tim. 1. 15 dicit: *Quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.*

Manifestè ergò constat, quia susceptio illa redemptio fuit, vt qui susceptí sunt, sunt & redempti, & qui redempti, illi susceptí. Vndè & fideles in Christo sunt & Christus in illis. Infideles non sunt in Christo, nec Christus in illis. Solis fidelibus dicit, quos sibi per sacramentum veræ incarnationis &
Ioan. 15. 4. & 5. gratiam redemptionis vnivit: *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis vos palmites. Qui manet in me, & ego in*
Ioan. 6. 57. *eo, hic fert fructum multum.* Item de solis fidelibus dicit: *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum in me manet & ego in eo.* Apostolus quoque de Christo & fidelibus, de eo *qui sanctificat, & qui sanctificantur*, & de veræ incarnationis eius mysterio, quam ex Adam veraciter traxit, & per quam cre-
Heb. 2. 11. dentibus naturaliter vniri dignatus est, dicit: *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.* Propter quam causam
Psal. 21. 23 non confunditur fratres vocare dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis &c.* Quos ergò suscepit, ipsos & *sanctificavit*, ipsos
Rom 8 29. & *fratres* suos fecit, *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Nam si diligenter consideretur, nescimus si etiam de quolibet homine convenienter dici possit, *quod omnium hominum naturam nascendo assumpserit.*

Cùm enim natus est, assumpsit vtique naturam parentum de quibus est genitus. Assumpsit naturam progenitorum de quorum stirpe est propagatus. Assumpsit naturam primi hominis, vnde totius humani generis origo processit. Secundum hoc ergò vtcunque dici potest, quilibet homo nascens, omnium hominum suscepisse naturam, quia ex illo originem trahit, ex quo omnium natura principium sumpsit. De quo primo homine Adam etiam Dominus noster Iesus Christus verisimè carnis substantiam traxit. Vndè & ab Apostolo
1. Cor. 15. *secundus Adam* dicitur, & seipsum *filium Adam*, hoc est *filium ho-*
45. & 47. *minis* assiduè commendat. Et Lucas Evangelista per septuaginta & septem generationes ab ipso Christo vsque ad Adam
Luc. 3. 23. & seq. ascendens veram ex illo eius incarnationem fideliter demonstrat. Quia ergò mysterii & redemptionis & pietatis fuit illa in Christo naturæ humanæ susceptio, idcircò in illo sacratis-

simo die natalis eius ex virgine inter ipsa sacræ oblationis mysteria orat Ecclesia dicens: *vt tuâ gratiâ largiente per hæc sacrosancta commercia in illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia.* Et præcedenti die cùm sacræ vigiliæ celebrantur ita incipit oratio: *Deus qui nos redemptionis nostræ annuâ expectatione lætificas.* Itemque ipso dominicæ Nativitatis die: *Concede quæsumus omnipotens Deus, vt nos vnigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta servitus tenet.* Et super oblationem: *Oblata tibi munera nova vnigeniti tui nativitate sanctifica, nosque à peccatorum nostrorum maculis emunda.* Et in conclusione missarum: *Huius Domine sacramenti semper novitas natalis instauret, cuius nativitas singularis humanam depulit vetustatem.* Hanc gratiam Dominicæ incarnationis, quod est verè mysterium nostræ redemptionis beatus Gregorius piè commendans, ait quodam loco in expositione libri beati Iob: *Interpellat autem pro nobis Dominus non voce sed miseratione: quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo servavit.* Similiter & beatus Hilarius exponens illa verba Domini quibus ait: *Qui manducat meam carnem & bibit sanguinem meum in me manet & ego in eo:* idipsum diligenter commendat dicens: *Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit; eius tantum in se assumptam habens carnem qui suam sumpserit.* Sed & beatus Leo mirabiliter hoc mysterium exponit atque commendat ità dicens: *Nascens itaque Dominus Iesus Christus homo verus, qui nunquam esse desiit Deus verus nova creatura in se fecit exordium: & in ortus sui forma dedit humano generi speciale principium, & ita se nobis, nosque inseruit sibi, vt Dei ad humana descensio, fieret hominis ad divina prouectio.* Et alibi: *Terra enim carnis humanæ, quæ in primo fuerat prævaricatore maledicta, in hoc solo B. Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum, cuius specialem originem in regeneratione consequimur. Et omni homini renascenti aquâ baptismatis instar est vteri virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem, qui replevit & Virginem: vt peccatum quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.* Item alio loco: *Renovat nobis hodierna festivitas nati Iesu ex Maria Virgine sacra primordia, & dum salvatoris nostri adoramus ortum invenimus nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi origo est populi Christiani; & natalis capitis natalis est corporis: habeant licet singuli quique vocatorum ordinem suum: & omnes Ecclesiæ filii temporum successione distincti, vniversa tamen*

Gregorius.

Hilarius.

Ioan. 6.57.

Leo.

tamen ſumma fidelium fonte orta baptiſmatis ſicut cum Chriſto in paſſione crucifixi, in reſurrectione ſuſcitati, in aſcenſione ad patris dexterum collocati: nam cum ipſo ſumus in hac nativitate congeniti. Quicquid enim hominum in quacunque mundi parte credentium regeneratur in Chriſto interciſo originalis tramite vetuſtatis, tranſit in novum hominem renaſcendo. Nec iam in propagine habetur carnalis patris, ſed in germine Salvatoris: qui ideo filius hominis factus eſt, vt nos filii Dei eſſe poſſimus: vt ſuſceptus à Chriſto Chriſtumque ſuſcipiens, non idem ſit poſt lavacrum qui ante baptiſmum fuit, ſed corpus regenerati corpus ſit crucifixi. Hæc communicatio dextera eſt excelſi. Et alio loco: *Non enim aliud agit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quam vt in id quod ſumimus tranſeamus: & in quo commortui & conſepulti & conreſuſcitati ſumus, illum per omnia & ſpiritu & carne geſtemus.* Item alibi: *Nihil namque redemptor noſter non ad noſtram ſalutem aut egit aut pertulit, vt virtus quæ inerat capiti ineſſet & corpori. Nam primum ipſa illa ſubſtantiæ noſtræ in deitate ſuſceptio qua verbum caro factum, & habitavit in nobis, quem hominum miſericordiæ ſuæ niſi infidelem reliquit exſortem? Et cui non communis natura cum Chriſto eſt ſi aſſumentem recipit, & eo ſpiritu eſt regeneratus quo ille primogenitus.* Audiamus hæc verba fideliſsimorum & beatiſsimorum patrum & adiuuante Domino diligenter intelligamus & teneamus; Agnoſcentes veraciter quod illa humanæ naturæ in Chriſto ſuſceptio infideles huius miſericordiæ reliquit exſortes. Et eis ſolis præſtitit vt habeant communem naturam cum Chriſto, qui aſſumentem recipiunt, & illo ſpiritu ſunt regenerati, quo ille eſt progenitus. Ceſſetque iſta ſupervacuitas quâ dicitur & definitur, *quod nullus hominum fuit, eſt, vel erit cuius non naturam ille ſuſcepevit*: quia ſicut Apoſtolus docet: *Magnum eſt pietatis ſacramentum quod manifeſtatum eſt in carne iuſtificatum eſt in ſpiritu &c.* vſque *aſſumptum eſt in gloria.* Hæc de primâ quæſtione dicta ſint.

Pſal. 76. 11

Ioan. 1. 14.

1. Tim. 3. 16.

De ſecunda verò qua in illis capitulis definitum eſt: *Quod nullus hominum fuit, eſt, vel erit, pro quo Chriſtus paſſus non fuerit*: quid aliud reſpondere poſſumus niſi vt primum ipſos qui hoc definierunt ſedulò interrogemus & admoneamus vt vigilanter & fideliter penſare ſtudeant, ne fortè minus conſiderando quod dicendum erat, contra fidem & conſcientiam ſuam talia dixerint & ſcripſerint. Nam vt taceamus de his

Caput. 14. An Chriſtus ſit paſſus pro omnibus qui ante eius aduentum mortui ſunt

qui nunc sunt, vel adhuc vsque ad finem sæculi futuri sunt, in quibus vtique & Antichristus erit, certè de illâ innumerabili multitudine impiorum qui fuerunt ab initio mundi vsque ad adventum Christi, & in sua impietate mortui in æternis pœnis sunt condemnati, nec ipsos qui hęc dixerunt credere putamus quod pro eis in sua impietate mortuis, & æterno iam iudicio condemnatis, Dominus passus esse credendus sit. Si enim pro eis passus esse creditur, cur non etiam pro diabolo & angelis eius similiter passus esse credatur? Quia sicut de eisdem refugis & immundis spiritibus scriptum est, quod Deus angelis peccantibus non pepercerit, sed rudentibus inferi detractos sub caligine tradidit in iudicium cruciandos reservari. Et idcircò verisimè creduntur irrevocabili divino iudicio ad pœnas & interitum perpetuum prædestinati. Ita & illi homines impii in suâ impietate mortui eodem irrevocabili divino iudicio iam erant pœnis perpetuis condemnati. Sicut ergò pro illis impiis & damnatis angelis nullatenus *Dominus Iesus Christus* dicendus *est passus*, ita pro istis impiis & damnatis hominibus absit omninò vt *passus esse* credatur. Quia hoc nimis est contrarium divinæ veritati, nimis adversum catholicæ fidei, quæ indubitanter credit & docet quod Dominus noster suam passionem & mortem atque ad inferos descensionem illis solis iam defunctis, & quamvis apud inferos, tamen in locis tranquillitatis & lucis constitutis exhibuit, qui in fide futuri adventus eius ac redemptionis suæ per passionem & descensionem ad eos Domini pio desiderio expectabant. De quibus & beatus Ioannes Baptista imminente iam suâ passione & morte quia & ipse vnus erat ex talibus sollicitè eundem Dominum interrogabat per discipulos dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* De talibus namque piis & beatis defunctis, quales fuerunt ab initio mundi vsque ad adventum Domini sancti Patriarchæ & Prophetæ & cæteri antiqui iusti, qui ita crediderunt & prænuntiaverunt venturum, & humanum genus suo sanguine redempturum, sicut nunc omnis Ecclesia eum venisse credit & confitetur, & iam in libro Ecclesiastico ipsa Dei sapientia, qui est vtique Dominus noster Iesus Christus promittit

Iuda. 6.

Descensus Christi ad inferos pro credentibus in ipsum liberandis.

Mat. 11. 3.

dicens

Eccl. 24. 45 dicens: *Penetrabo in inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Deo.* Itemque alio loco de eiuſdem deſcenſione ad inferos, & eorum liberatione à quibus expectabatur illic, ſcriptura dicit: *Recordatus eſt* Dominus *ſanctus Iſrael mortuorum ſuorum olim dormientium in pulvere terræ: & deſcendam ad eos oſtendere illis ſalutare ſuum.* Vndè & per Oſeæ Prophetam ipſi morti & inferno ita minabatur

Oſea. 13. 14 dicens: De *manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Quod totum quomodò fideliter & catholicè intelligendum ſit exponit mirificè B. Gregorius ità dicens: *Quod ante paſſionem dixit in reſurrectione ſua Dominus implevit,* Si exaltatus fuero à terra omnia traham

Ioan. 12. 32 ad me. Omnia enim traxit *qui de electis ſuis apud inferos nullum reliquit:* Omnia *abſtulit vtique electa. Neque etenim infideles quoſq; & pro ſuis criminibus æternis ſupplicijs deditos, ad veniam Dominus reſurgendo reparavit; ſed illos ex inferni clauſtris rapuit, quos ſuos in fide & actibus recognovit. Vndè rectè etiam per Oſea dicit:* Ero mors tua ô mors: ero morſus tuus inferne. *Id namque quod occidimus agimus vt penitus non ſit. Ex eo enim quod mordemus par-*

Oſea 3. 14. *tem abſtrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis ſuis funditus occidit mortem:* mors mortis *extitit: Quia verò ex inferno partem abſtulit & partem reliquit non occidit funditus, ſed momordit infernum. Ait ergò:* Ero mors tua ô mors: *ac ſic apertè dicat, quia in electis meis te funditus perimo.* Ero morſus tuus inferne, *quia ſublatis eis, te ex parte transfigo.* Hæc fideliſſimus Doctor iuxta fidei catholicæ regulam firmiſsimè tenenda & ſequenda propoſuit. Vndè ceſſet hæc nova & inaudita definitio, imò nova & inaudita præſumptio, vt *nullus hominum* etiam impiorum, & apud inferos irrevocabiliter damnatorum *fuerit, pro quo Chriſtus paſſus non fuerit*; cùm pro ſolis illis defunctis, vt iam dictum eſt, paſsionem ſuſtinuerit, qui eum dùm in corpore viverent, fideliter venturum, & mundum ſua paſsione redempturum crediderunt. Hoc itaque eſt Catholicum, hoc fidei Eccleſiæ ab initio commendatum, hoc divina & paterna authoritate firmatum, & ideò abiiciatur procul fallax & inane commentum: de cæteris verò hominibus qui ab eius paſsione vſque nunc fuerunt, aut ſunt, aut vſque in finem ſæculi futuri ſunt, Catholica fides tenet, & ſcripturæ ſanctæ veritas docet, quod pro omnibus credentibus, & per gratiam baptiſmi *ex aqua & ſancto ſpiritu* rege-

Christus passus est pro omnibus credentibus & in ipso regeneratis.

regeneratis & Ecclesiæ incorporatis, verè Dominus & salvator noster sit passus. Neque enim verè aliter *baptizari* potuerunt, nisi *in morte eius*; nec verè *à peccatis suis ablui*, nisi *in sanguine eius*: docente beato Apostolo: *quia quicunque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus.* Et attestante B. Ioanne in Apocalypsi: *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* De his etiam, id est, fidelibus suis *in morte sua baptizatis, & in sanguine suo* peccatorum ablutionem consecutis dicit esse Dominus & salvator: *Sicut novit me pater & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ovibus meis.* Pro illis dicit: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ità exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* De istis dicit Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo.* Et quia sicut idem Apostolus testatur: *Non omnium est fides, non omnes obediunt Evangelio:* Dicit iterùm ipse Dominus: *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Vndè etiam cùm sacramentum corporis & sanguinis suis discipulis traderet, ait: *Accipite, & comedite: Hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur.* Et iterùm: *Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Hos *multos* Apostolus dicit, *omnes*, vbi ait: *Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum homo Christus* (Dominus) *Iesus qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Et hos *omnes* iterùm dicit *multos*, vbi ait: *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, &c.* Iuxtà quem locutionis modum etiam in epistola ad Romanos dicit: *Igitur sicut per vnius hominis delictum in omnes homines in condemnationem: sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ: sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per obedientiam vnius hominis, iusti constituentur multi.* Manifestè enim quos in priori sententiâ dixit *omnes* & *omnes*, hos in sequenti *multos* & *multos*. Sed *in condemnatione* quę per vnum hominem ingressa est in omne genus humanum, ità rectè intelliguntur *multi*, vt accipiantur *omnes*: quia nemo hominum ab illa alienus est nisi per Christi (Dei) gratiam liberetur, *in iustificatione* autem *vitæ* ità rectè accipiantur *omnes* vt ipsi *omnes multis* intelligantur: quia per obediẽtiam

Rom 6.3. Apoc.1.5. Ioan.10.15 Ioan.3.14. & 15. Num 21.9. Ephes.5 25. & 26. 2.Thess.3.2 Rom 10 16. Mat, 20.28 Matt.26.26 Luc. 22.19. Mat.26.28. Luc. 22.20. 1.Tim. 2.5 & 6. Heb.9. 27. & 28. Rom. 5.18. & 19.

Philip. 3. 8. tiam Christi quâ *factus est obediens vsque ad mortem, mortẽ autem crucis*; non *omnes* vtiq; indifferenter, sed *multi* iustificantur. Hãc itaque iustificationem per obedientiam mortis Christi, effusionem pretiosi sanguinis eius etiam illi adipiscuntur, cùm ad *lavacrum regenerationis* veniunt, qui eam postea suo vitio in se *irritam* faciunt: testante Apostolo ac dicente: *Quantò*
Heb. 10. 29. *magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti in quo sanctificatus est pollutum duxerit,*
Heb. 6. 4. 5. & 6. *& spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Et iterùm: *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesq; seculi venturi, & prolapsi sunt, revocari rursus ad pœnitentiam.* Quapropter de omnibus credentibus in Christum, & in Christo regeneratis rectè & veraciter creditur, quod pro eis Dominus Christus sit passus. Hoc namque tota series scripturæ sanctæ veteris ac novi testamenti si diligenter inspiciatur & fideliter consideretur, manifestè atque indubitanter attestatur. Quod etiam magnificè & nimis granditer vniversalis & celeberrima ab ipso Domino & Apostolis traditæ Ecclesiæ commendat authoritas: quæ oblationem corporis & sanguinis Christi, id est mysterium passionis & mortis eius, tantummodò *pro Ecclesia Catholica* toto orbe diffusa, videlicet pro omnium fidelium societate atque vnitate; & pro illis solis defunctis *qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis* fideliter offert. Vnde confidenter ac veraciter in ipsa mysteriorum frequentatione pro fidelibus supplicans ad Deum dicit: *Respice Domine super hanc familiam tuam pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum.* Et hunc ritum Dominicæ oblationis tantæ pietatis & religionis attentione custodit, vt cum illa mysteria offeruntur, nullum omninò infidelem, nullum etiam cathecumenum, nullum nisi gratia baptismatis regeneratum intereſſe patiatur. Tanquàm verè ostendens atque contestans pro illis Dominum in ara crucis oblatum passum ac mortuum & pretiosum eius sanguinem fusum, pro quibus & in altari Ecclesiæ illa sacrosancta & cœlestis oblatio mysterio passionis eius ac mortis offertur. Vnde & quosdam qui illam sacratissimam oblationem vel pro cathechumenis vel quibuscumque innocentibus parvulis viventibus sive defunctis faciendam dixerunt, velut hæreticos

Sacrificium missæ cõtra hæreticos oblatum pro defunctis.

Vtrum pro cathecumenis sive viventibus sive defunctis, nec non parvulis nõ baptizatis offerebatur sacrificium.

Ecclesia detestata est. Sicut Beatus Augustinus in libro quem ad Vincentium Victorē scripsit manifestissimè ostendit dicēs:

De origine animalib. 3 cap. 12. *Noli credere, nec dicere nec docere sacrificium Christianorum pro his qui non baptizati de corpore exierunt, offerendum, si vis esse catholicus: quia nec illud quod de Machabæorum libris commemorasti sacrificium Iudæorum pro his qui non circumcisi de corpore exierant, ostendit oblatum. In qua tua sententia tàm nova & contra Ecclesiæ totius authoritatem disciplinamque prolata verbo etiam insolentissimo vsus es dicens: Pro his itaque oblationes assiduas & offerenda inter Sanctorum sacrificia sacerdotum censeo.* In libro quo-

De origine animæ lib. 2 cap. 15. que quem scribit ad Petrum Presbyterum contra scripta eiusdem Vincentij Victoris, ita eum redarguit: *Tantum enim salutis & felicitatis non baptizatis parvulis tribuit, quantum nec Pelagiana hæresis potuit.* Et post paululùm de eisdem non baptizatis parvulis: *Nec quisquam*, inquit, *pro eis obtulit vel oblaturus est sacrificium, quod iste etiam pro non baptizatis censuit offerendum.* Et post pauca de eodem Vincentio: *Aut omnino*, inquit, *hærebit, aut simul pro omnibus parvulis qui toto orbe terrarum sine Christi baptismo moriuntur, etiã eorum nominibus tacitis quoniam nascuntur, in Ecclesia Christi non incorporatis,*

Ibid. c. 16. *corpus Christi offerendo, corpus Christi esse censebit.* Post hæc subiungit ad iam dictum Petrum Presbyterum loquens: *Absit à te frater, vt hæc tibi placeant. Absit vt ista vel didicisse te gaudeas, vel docere præsumas.* Ex his verbis Sancti Doctoris manifestissimè docemur, vt pro his tantum qui baptismo Christi regenerati incorporantur Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, corpus Christi debeat offerri. Et quisquis pro eis qui minimè sunt regenerati, nec corpus Christi effecti, dicit illud sacrificium offerendum, censet eos esse corpus Christi, qui nunquàm incorporati sunt membris Christi, & tunc primùm cùm regenerantur in oblatione Dominica, etiam specialiter eorum memoriam frequentare incipit, dicens: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cuncta familiæ tuæ quam tibi offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua & spiritu sancto, quæsumus Domine vt placatus accipias &c.* Gratia namque redemptionis Christi, & ante baptismum nullatenus accipitur, neque his qui sine baptismo de corpore exeunt, vllatenùs dari potest: sicut & tota observat Ecclesia. Et Beatus Gregorius ad consulta Augu-

stini

stini respondens, breviter ostendit dicens *Sancti mysterij gratia sicut viventibus atque discernentibus cum magna discretione providenda est: ita his quibus mors imminet sine vlla dilatione offerenda, ne dum adhuc tempus ad prabendum redemptionis mysterium quæritur interveniente paululum mora inveniri non valeat qui redimatur*: pro illis tamen omnibus qui ex aqua & spiritu regenerati, ac per hoc Ecclesiæ incorporati cum pietate dormitionem acceperunt solemniter & generaliter vniversalis servat & prorsus servare debet Ecclesia, vt inter illa sacrosanctæ immolationis mysteria suo loco atque ordine sive nominatis, sive tacitis nominibus fideliter commemorentur: verè namque ad plenitudinem & vnitatem Ecclesiæ pertinent nec ab illa vel morte separari possunt. De quibus in Domino mortuis, & cum Domino viventibus Beatus Ioannes in Apocalypsi scribit: *Beati mortui qui in Domino moriuntur: Amodò dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis: opera enim ipsorum sequuntur illos.* Et Beatus Paulus Apostolus sub nomine *vigilantium* viventes, sub nomine autem *dormientium* defunctos fideles volens intelligi ad Thessalonicenses dicit: *Quoniam non posuit Deus iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum qui mortuus est pro nobis: vt sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.* Et iterùm alibi: *Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur: sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur: sive ergò vivimus sive morimur Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & vivorum dominetur.* Hinc est quod in illa beati actione mysterij ex authoritate vtique divina, & traditione Apostolicâ à sanctis Patribus oratio pro defunctis fidelibus specialiter posita est, quæ ita se habet: *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis &c.* Quod totum ita ab initio in Ecclesia & ab Ecclesia vniformiter ac legitimè observatum esse commendat diligentissimè Beatissimus Pater Augustinus in libro de cura pro mortuis agenda, ita dicens: *Non sunt prætermittenda supplicationes pro spiritibus mortuorum quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; vt quibus ad ista desunt parentes aut filij, aut quicumque cognati vel amici, vna ab eis exhibeatur piâ matre communi.*

2. Mace. 12. 45.

Lib. 12. Regist.

Apoc. 14. 13

1. Thess. 5. 9. & 10.

Rom. 14. 7. 8. & 9.

Et post aliqua: *Quæ cum ita sint*, inquit, *non existimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum sive eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus. Quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint: sed eis tantum pro quibus dum vivunt comparatur vt prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur ad quos hæc beneficia possint & debeant pervenire. Melius enim superfuerunt ista eis quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt.* Ex his igitur omnibus diligenter ac fideliter consideratis certissimè & clarissimè ostenditur pro omnibus fidelibus Christi qui fuerunt, aut sunt, vel erunt factam esse passionem Christi. Pro fidelibus Christi factam esse passionem Christi pro corpore Christi immolari corpus Christi. De his verò qui adhuc in infidelitate atque impietate detinentur manifestum est ex hac regula fidei, quod quicumque ex ipsis per Dei gratiam fuerint ad fidem conversi & in Christo regenerati etiam pro ipsis confitendum sit factum esse quod pro omnibus fidelibus factum constat. De cæteris verò qui in ista infidelitate atque impietate suâ perseverantes sunt perituri, si de scripturæ sanctæ authoritate quod etiam pro talibus *Dominus passus sit*, certissimis & clarissimis testimoniis nobis demonstrare potuerunt boni viri qui talia definierunt, dignum omninò est vt credamus & nos. Si verò non potuerint, cessent contendere pro eo quod non legunt. Pudeat eos definire quod nesciunt. Timeant statuere quod nullum Sanctorum Patrum concilium, nullum Apostolicæ Sedis Pontificum, nullum Ecclesiasticorum dogmatum decretum hactenùs inveniant statuisse. Quod & si quid à sanctis & venerabilibus Ecclesiæ doctoribus vel scriptum vel dictum vnde huiuscemodi sensus occasio sumi posse videatur, inveniunt: salvâ eorum debitâ reverentiâ cohibeant se potiùs, & summittant se humiliter divinæ authoritati: & rem tam obscuram, tamque invisitatam divinæ reservent humiliter maiestati. Hoc namque & Paschalis agni sacra illa epulatio mysticè nobis commendat, cùm dicitur: *Si quid residuum fuerit igni comburetis*, sicut Exo. 12. 10. Beatus Gregorius exponit dicens: *Quod ex agno remanet comburimus, quando hoc quod de mysterio Incarnationis eius intelligere vel penetrare non possumus, Potestati Spiritus sancti humiliter reservamus,*

An Christus sit passus pro infidelibus.

vamus, vt non superbè quis audeat vel contemnere, vel denuntiare quod non intelligit, sed hoc igni tradat, cum Sancto spiritu reseruat.

CAP. 15.

Iam de tertia quæstione, quâ definitum est: *quia sicut infideles non redimuntur mysterio sanguinis Christi: ita nec fideles redempti sunt, qui non habuerunt eam fidem, quæ per dilectionem operatur.* Quid necesse est aliquid dicere? Cùm ex his quæ supra iam dicta sunt manifestissimè ostendatur, & omnibus infidelibus nullam esse redemptionem in Christo, & omnes fideles qui fideliter accedunt ad fidem & gratiam *regenerationis*, ibi accipiant veram redemptionem, vel veram regenerationem. Quia nec verè possunt regenerari, nisi eos & à potestate diaboli & à servitute peccati verè constet redimi. Nec verè possūt redimi, nisi *lavacro* indulgentiæ expiati, & à reatu delicti, & à dominatu principis mundi efficiantur absoluti. Nisi quod hoc in ista definitione absurdissimū est, quod Dñs Iesus Christus etiá pro impiis in suâ impietate pereūtibus dicatur passus. Et fidelis quisq; fideliter baptismo eius regeneratus mysterio passionis eius affirmetur non esse redemptus. Nec illud aliquis contra hanc veritatem Evangelicam Et Apostolicam obiiciendum putet, quod inter cæteras maledictiones populi Iudaici, in Deuteronomio continetur ad eundem incredulum populum dictum: *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vita tuæ.* Vel illud quod in Esaia de eodem infideli populo ex persona ipsius Domini Iesu Christi de passione & cruce eius dictum solet intelligi: *Expandi manus meas quotidie ad populum non credentem & contradicentem: Qui ambulat via non bona, post cogitationes suas:* vt quasi ita quis velit accipere, quod illi *incredulo populo* dictum est: *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vita tuæ.* Tanquàm ipsi *incredulo* & infideli *populo* in sua incredulitate & infidelitate permanente, Dominus Iesus Christus qui ante eorum oculos in cruce pependit dicatur *vita*, cum vtique eis non dederit vitam: & dicantur ipsi *non creditури vitæ* suæ, quasi Dominus etiam eorum qui non credunt, nec vnquam eius fide vivificantur, possit dici vita. Et illud de Esaia testimonium sic conetur intelligere, vt dicat; quod Dominus propterea dixerit: *Expandi manus meas quotidie ad populum non credentem & contradicentem:* quasi propter eundem populum in sua incredulitate & contradictione perdurantem,

Qui nam sunt à Christo redempti.

Gal. 5. 6.

Deut 28.66

Esai. 65. 2. Rom. 10. 21

& eius causâ sustinuerit passionem. Vt quasi ex hoc affirmare videatur, quod Dominus etiam pro impiis in sua iniquitate pereuntibus in scripturis passus esse dicatur: quia divinæ scripturæ nullatenùs possunt inter se esse contrariæ: sed quod in earum planioribus locis manifestiùs declaratur, hoc etiam in obscurioribus occultatur, vt ex his quæ in illis clara sunt illuminentur obscura, non ex his quæ obscura sunt, clara obscurentur. Itaque iuxta manifestam, quam superiùs ostendimus de passione & redemptione Christi Evangelicam & Apostolicam veritatem, etiam illud quod in Deuteronomio inter cætera maledicta illi populo infideli dictum est: *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ,* ita fideliter accipiamus dictum, vt agnoscamus maximum fuisse maledictum illius populi, vt merito malitiæ suę excæcati, venientem ad se Dominum Iesum Christum tantis signis & miraculis cognoscere non potuerint. Sicut de eorum tantâ cœcitate ante fuerat prophetatum: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggrava, & oculos eius claude* &c. Et hanc cœcitatem iusto iudicio Dei permansisse in illis vsque dùm Dominum comprehenderent, condemnarent, & morti adiudicatum crucifigerent: sed postea illo resurgente, & ad cœlos ascendente, misso Spiritu sancto, & prædicantibus Apostolis per inspirationem divinæ gratiæ subito ad eorum prædicationem compunctos dixisse: *Viri fratres quid faciemus?* Et continuò accepto consilio baptizatos, ad vitæ suæ quam in cruce ante oculos suos positam agnoscere non potuerant, nec crediderant reconciliatos. Et ideò mirabiliter per Beatum Moysen vtrumque prophetatum, vtrumque significatum est, vt & in passione Domini haberent *vitam ante oculos*, sed nec crederent nec agnoscerent. Et hæc tamen *vita* etiam esset ipsorum tàm infidelium & tàm excæcatorum: quia eos postea fide suâ vivificavit, sicut scriptum est: *Iustus autem ex fide vivit.* Ita in passione suâ Dominus & vita erat ipsorum, & non erat vita ipsorum. Vita namque erat ipsorum, quia erat eos vivificaturus. Non erat vita ipsorum, quia necdùm eos vivificabat, quandò mortui vitam transfigebant. Vnde vt ista cœcitas ab illis auferretur, & fidei illuminatio eis donaretur, in ipsa crucis passione patrem precabatur dicens: *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Similiter & illud quod in Esaia ex ipsius Domini persona intelligitur dictum: *Expandi ma-*

Deut. 28. 66

Esai. 6. 10

Act. 2. 37.

Rom. 1. 17.

Luc. 23. 34.

Esai. 65. 2.

nus

nus meas quotidie ad populum non credentem & contradicentem; eodē sensu accipiendum est: quod perpessus sit ac sustinuerit illum *populum* semper sibi *non credentem & contradicentem*: itavt clamaret: *Crucifige, crucifige eum.* Et dicente Pilato, *Regem vestrum crucifigam?* Iean. 19. 15 *Respondernnt, non habemus regem nisi Cæsarem*: Donec in cruce *exaltatus expanderet manus*, tanquàm virtute passionis suæ *omnia tracturus ad se*, etiam ipsum *populum non credentē & contradicentem*: Rom. 11. 5. in *reliquijs* videlicet quæ ex illo *per electionem gratia salva facta sunt.* Hoc ita futurum ipse prædixerat, quandò ad eos ante passionem suam, tanquàm *ad populum non* Iean. 8. 28. *credentem & contradicentem* dicebat *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Non credendo namq; & contradicendo ad hoc pervenerunt, vt *exaltarent filium hominis* in ligno crucis: Et tunc virtute passionis & gratia orationis eius illuminati cognoverunt eum quem antea non cognoscentes crucifixerant: 1. Cor. 2. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent.* Hunc nobis verum & catholicum sensum beatissimus martyr Cyprianus in libro, quod idola dij non sint, *Cyprianus* diligenter insinuat, dicens de eisdem Iudæis: *Non intelligendo primum Christi adventum, qui in passione præcessit occultus, vnum tantum credunt, qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Iudæorum populus intelligere non potuit delictorum meritum fuit. Sic erant sapientia & intelligentia cæcitate multati: vt qui vitâ indigni essent, haberent vitam ante oculos nec viderent.* Similiter & B. Augustinus in explanationibus Ioannis Evangelistæ docet dicens: *Ecce* Tract. 45. *Dominus Iesus Christus venit, prædicavit: sed quid putamus? Nunquid qui audierunt oves erant? Ecce audivit Iudas, & lupus erat; sequebatur, sed pelle ovinâ tectus pastoris insidiabatur. Aliqui verò eorū qui Christum crucifixerunt non audiebant, & oves erant: ipsos enim* Iean. 8. 28. *videbat in turba cum dicebat: Cum exaltaveritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego sum. Quomodo ergò ista solvitur quæstio? Audiūt non oves, & non audiunt oves, sequuntur vocem pastoris quidam lupi, & ei quædam contradicunt oves: Postremo pastorem occidunt oves. Sed quandò non audiebant oves nondum erant, vox audita eos mutavit, & ex lupis oves fecit.* Libet in fine sanctorum Patrū pauca verba subiungere quam mirabiliter & dulciter prædicent de mysterio redemptionis Christi: de salute etiam illorum iustorum qui fuerunt ante adventum Christi & deinceps omnium fidelium qui eius gratia quâ quotidiè redimantur atque salvan- Iean 1. 1. 9. tur. B. Ambrosius de ipso Domino Iesu Christo qui est *Agnus* *Ambrosius*

Dei

Dei & tollit peccata mundi: quomodò à certo & prædestinato numero qui posint ad eius esum sufficere comedatur ita dicit: *Sanguis Christi cuius ad gratiam nihil minuitur, nihil adiungitur: & si parum sumas & si plurimum hauries, eadem est perfecta omnibus mensura redemptionis. Pascha quoq; Domini, id est, agnum, ita patres epulari iubentur vt secundum numerum animarum epulentur suarum, neq; plures, neq; pauciores: neq; alijs plus dari, alijs minùs secundũ animas singulorũ, ne aut fortiores ampl us sumant aut infirmiores minus. Gratia enim æqualis singulis dividitur, redẽptio dividitur, donũ dividitur. Neq; plures oportet esse, ne quis vacuus spei & redẽptionis recedat. Plures sunt quandò aliqui extra numerũ sunt, sancti* autem numerati sunt omnes, *& capilli eorum. Cognovit enim Dominus qui sunt ipsius. Neque pauciores, ne quis magnitudine gratiæ sit ad recipiendum infirmior. Et ideò omnes æqualitatem devotionis & fidei deferre præcepit in Pascha.* De hac re, id est, redemptione sanguinis Christi etiam B. Leo ita docet: *Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretiũ, vt si vniversitas captivorum in redemptorem suum crederet, & nullum tyrannica vincula retinerent.* Et iterùm: *Ita Dominus Iesus Christus humano generi suâ morte consulit, vt Sacramentum salutis etiã ipsius persecutoribus non negaret qui nimirum vniversè venerat omnibus credentibus omnia peccata dimittere à generali indulgentia nec Iudaicum voluit crimen excludere.* Et iterùm: *Quid enim aliud egit crux Christi quam vt destructis inimicitijs reconciliatur mundus* Deo, *& per sacrificium immaculati agni in veram pacem cuncta revocentur?* Itemque alibi: *offerebatur enim à* Domino *pro salute mundi hostia singularis, & occisio veri agni per tot sæcula prædicata promissionis filio in libertatem fidei transferebatur. Confirmabaturq; testamentum novum & Christi sanguine æterni regni scribebantur hæredes. Ingrediebatur Summus Pontifex sancta sanctorum & ad exorandum Dominum immaculatus sacerdos per verbum suæ carnis intrabat.* Et alio loco: *Incarnatio quippè verbi & occisio ac resurrectio Christi vniversorum filiorum salus facta est: & sanguis vnius iusti, quod nobis donavit qui eum pro reconciliatione mundi credimus fusum hoc contulit patribus qui similiter crediderunt fundendum.* Beatus etiam Hieronymus in expositione Epistolæ ad Galatas cùm de eisdem sanctis loqueretur antiquis: *Nemo*, inquit, *illorum de maledicto quempiam liberavit absque solo* Domino *Iesu Christo, qui pretioso*

Mat 10.30. 2.Tim.2.19

Hieronymus

tioso sanguine suo, & nos omnes, & ipsum Moysen dico & Aaron, prophetas cunctos & Patriarchas de maledicto legis redemit. Nec hoc
2.Cor.5.15. *meo sensu dictum putetis, scriptura testis est, quia* CHRISTVS *gratiâ Dei* PRO OMNIBVS MORTVVS EST, *si autem pro omnibus, & pro Moyse & pro vniversis prophetis : è quibus*
Coloss.2.14 *nullus potuit delere* vetus Chyrographum quod adversum nos
Rom.3.23. scriptum erat & affigere illud cruci : Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Item idem doctor exponens illud
Esa.52.15. quod per prophetam de Domino dictũ est : *Ipse asperget gentes multas mundans*, inquit, *eas sanguine suo, & in baptismate Dei consecrans servituti.* Item in commentariis Evangelij secun-
Mat.20.28 dùm Matthæum cum verba Domini exponeret dicentis : *Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Non dixit*, inquit, *dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed pro multis, id est, pro his qui credere voluerint.* Item Beatus Augustinus in libro de Na- *Augustinus.*
tura & Gratia : *Ea*, inquit, *fides iustos sanavit antiquos, quæ sa-*
1.Tim.2.5. *nat & nos, id est, mediatoris* Dei & hominum hominis Christi Iesu. *Fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis &*
2.Cor.4. *resurrectionis eius.* Habentes ergò eundem spiritum fidei & nos credimus propter quod & loquimur. Item in Tractatibus in Ioannem Evangelistam : *Estote*, inquit, *oves : oves credendo sunt oves, pastorem sequendo sunt oves, exeundo sunt oves: Redemptorem non contemnendo sunt oves, per ostium intrando sunt*
Ioa.10.26. *oves, exeundo & pascua inveniendo sunt oves. Quomodò ergò istis dixit*, non estis ex ovibus meis ? *Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.* Item ibi : *Tota illa eius passio nostra purgatio est, passurus igitur exitia, præmisit obsequia, non solum eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam alio qui eum fuerat traditurus ad mortem:*
Ioa.13.27. Et alio loco : *Quod facis*, inquit, *fac citiùs, non præcepit facinus, sed prædixit Iudæ malum nobis bonum. Quid enim Iudæ petiùs, & quid nobis melius quàm traditus Christus, ab illo contra illum, pro nobis præter illum.* Et alio loco : *Quantum sibi*, inquit, *assumpserat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid posset : quantum sibi assumpserat vt quandò Dominus venisset animam suam pone-*
Ioa.13.37. *re pro amicis suis, ac per hoc & pro ipso, ille hoc Domino offerre confideret, & non pro se posita anima Christi animam suam polliceretur positurum pro Christo.* Et alibi : *Christus salvator, quod est nomen*

eius, fidelibus eius: est quippè impys & damnator, qui dignatur fidelibus esse salvator. Beatus Antistes & Martyr Cyprianus in libro de laude martyrij, & martyrium ostendens à mundi initio prædestinatos qui Christi sanguine aspergerentur & mundarentur: *ô beati*, inquit, *quos à primordio mundi Dñi sanguis infecit, & quos meritò splendor iste nivei amictus induerit, & candor stolæ ambientis ornarit.* Item in libro ad Demetrianum. *Hanc* inquit, *gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio sui sanguinis reconciliando hominem* Deo Patri, *vivificando mortalem regeneratione cœlesti. Hunc, si fieri potest, sequamur omnes huius sacramento & signo censeamur: Hic nobis viam vitæ aperit: hic ad paradisum reduces facit: hic ad cœlorum regna perducit. Cum ipso semper vivemus facti per ipsum filij* Dei: *Cum ipso exultabimus semper ipsius cruore reparati.* Amen.

Cyprianus

TRACT.

TRACTATORIA

PRVDENTII

EPISCOPI TRICASSINI

Quam per Vicarium misit ad ordinationem Anex Parisiensis cum ipse adesse non posset

Patri Venerabili, & cæteris Patribus Fratribusq́, sinceriſſimè diligendis, atq́, Coepiſcopis Reverendis, Prudentius æternam in Domino ſalutem.

QVantum ad meritum peccatorum meorum ſpectat, iuſtiſſimo Dei iudicio, quatenùs verò ad indebitas atque indeficientes eius miſericordias pertinere dinoſcitur, miſericordiſſimo ipſius munere, infirmitatibus pœnè omnibus notis depreſſus, ſancto deſiderabiliq́; veſtro conventui adeſſe prohibeor. Quod autem poſſum, præſentibus litteris atque legato noſtræ Eccleſiæ Præsbytero Arnoldo, mei conſenſus præſentiam eà tenùs exhibeo, vt his qui ordinandus eſt, ſi Apoſtolicæ Sedis omnibus inſtitutis, & beatorum Patrum *Innocentij, Zozimi, Bonifacij, Xiſti, Leonis, Gelaſij, Celeſtini, Gregorij Hilarij, Ambroſij, Auguſtini, Iſidori, Primaſij, Fulgentij, Gregorij, Hieronymi, Caſſiodori, Bedæ*, aliorumq́; ac æquè catholicorum, atq; orthodoxorum virorum ſcriptis & dictis, ac ſpecialiter ſuper quatuor capitulis, quibus omnis Eccleſia catholica adverſus Pelagium, eiuſq; hæreſeos ſequaces pugnavit ac vicit, atq; ad poſterorum memoriam litteris authoritate & veritate pleniſſimis mandavit confitendo ſubſcribere, & ſubſcribendo confiteri voluerit, eius me ordinationi conſentaneum eſſe profiteor. Sin alias, prorſus neque aſſentior, neque fidelibus Chriſti aſſentiendum ſuadeo. Capitulorum verò quatuor præmiſſorum ſeriem, quamvis veſtram prudentiam multò vivaciùs, quam meam extremitatē compertam eſſe non dubitem, ne-

Capitula quatuor de gratia.

cessario tamen breviter annectendâ iudicavi, vt faciliùs quid sentiam cui veritati consentiam, vestra bonitas recognoscat.

1. Videlicet, vt liberum arbitrium in Adam merito inobedientiæ amissum, ita nobis per Dominum nostrum Iesum Christum redditum atq; liberatum confiteatur, interim in spe postmodùm autem in re, sicut dicit Apostolus: *Spe enim salvi facti sumus*; vt tamen semper ad omne opus bonum Dei omnipotentis gratiâ indigeamus, sive cogitandum, sive inchoandum, operandum, ac perseveranter consummandum, & sine ipsa nihil boni nos posse vllatenùs, aut cogitare, aut velle, aut operari sciamus. Rom. 8. 14.

2. Secundò vt Dei omnipotentis altissimo secretoq; consilio credat, atq; fateatur, quosdam Dei gratuita misericordia antè omnia sæcula prædestinatos ad vitam, quosdam imperscrutabili iustitia prædestinatos ad pœnam: vt id videlicet, sive in salvandis, sive in damnandis prædestinaverit, quod se præscierat esse iudicando facturum, dicente prophetâ: *Qui fecit quæ futura sunt.* LXX. Isai. 45. 11.

3. Tertiò, vt credat & confiteatur cum omnibus catholicis, sanguinem Domini nostri Iesu Christi pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fusum, non autem pro illis qui nunquam in eum crediderunt, nec hodieq; credunt, nunquâq; crediturí sunt, dicente ipso Domino: *Venit enim filius hominis non ministrari sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis.* Mat. 20. 28

4. Quartò, vt credat atque confiteatur Deum omnipotentem quoscumq; vult, salvare, & neminem posse salvari vllatenùs, nisi quem ipse salvaverit: omnes autem salvari, quoscumque ipse salvare voluerit. Ac per hoc quicumq; non salvantur, penitùs non esse voluntatis illius vt salventur, dicente Propheta: *Omnia quæcumque voluit Deus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.* Et licet quædam sint alia, quibus in Pelagio dãnatis vniversaliter Ecclesia consenserit satagerit, atq; subscripserit, hæc tamẽ specialiter adversus eum, eiusq; complices per Apostolicã Sedẽ, instantia Beatissimi Aurelij Carthaginẽsis Episcopi, atq; Augustini, cum aliis ducentis quatuordecim Episcopis ab eius praviſſimis sensibus eruta, vindicata, & multis tãm epistolis quam libris toto orbe vulgata, omnis hodieq; gaudet, confitetur, prædicat, & tenet, atq; tenebit Ecclesia. His per omnia consentaneam prædicabilem paternitatem fraternitatemque Psal. 134. 6.

nitatemq; vestrâ gratiâ, supernâ invictam atq; prævalidam, & suo munere gaudentem perpetuo conservare dignetur.

CONCILIVM VALENTINVM III.

Lotharii Imp. iussu in causa Valentini Episcopi celebratum VI. Idus Ianuarias Indictione III. anno Christi DCCCLV. Leonis IV. Papæ anno VIII. Lotharii eiusdem Imperatoris & Caroli Calvi Regis XV.

PRÆFATIO.

REgnante Domino nostro Iesu Christo, anno DCCCLV. ab Incarnatione eius gloriosissimo Lothario imperante XV. Indictione III. mense Ianuario, VI. Idus eiusdē mensis apud vrbem Valentinam in domo Basilicæ S. Ioannis adiacente. Cùm propter causam Episcopi civitatis ipsius criminibus diffamati, ex iussione prefati Pij principis, reverendissimi trium Provinciarum Episcopi in vnum collecti resedissent; id est Lugdunensium, Viennensium, & Arelatensium numero XIV. quibus præfuerunt authore Domino Episcopi Metropolitani, videlicet Remigius Lugdunensis, Agilmarus Viennensis, Rodlandus Arelatensis, collaborante eis quàm maximè Venerabili Ebbone Gratianopolitano Episcopo, adiuncto etiam venerabili cœtu presbyterorum, devotissimis quoque Diaconis adstantibus, Evangelijs in medio positis, post obiectiones Episcopo factas discussas, & finitas, placuit omnibus in sancta Synodo constitutis, ne fratrum conventus absq; ædificatione discederet, hæc pauca in Christi nomine, quæ subter annexa sunt, ad commonitionem sui cæterorumq; fidelium, devota & sollicitâ pietate adnotare.

Quod novitates vocum omni studio vitandæ sint

1. Quia doctorem gentium in fide & veritate fideliter commonentem obedienterque audivimus: *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* 1. Tim. 6. 20. & 21. Et iterùm: *Profana autem & inaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* 1. Tim. 2. 16. & 17. Et iterùm, *Stultas autem & sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites, servum autem Domini non oportet litigare.* Ibid 23. & 24. Et iterùm, *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Phil. 2. Paci, quantum Deus dederit, & charitati studere cupientes, attendentes piùm eiusdem Apostoli consilium, *solliciti servare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Ephes. 4. 3. Novitates vocum & præsumtivas garrulitates, vnde potiùs inter fratres contentionum & scandalorum fomes excitari potest, quam ædificatio vlla timoris Dei succrescere, cum studio omni devitamus. Indubitanter autem doctoribus piè & rectè tractantibus verbum veritatis, ipsisq; sacræ scripturæ lucidissimis expositoribus, id est, Cypriano, Hylario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino cæterisq; in catholicâ pietate quiescentibus, reverenter auditum, & obtemperanter intellectum, submittimus, & pro viribus quæ ad salutem nostram scripserunt amplectimur. Nam de præscientia Dei, & de prædestinatione, & de quæstionibus aliis, in quibus fratrum animi non parum scandalizati probantur, illud tantùm firmissimè tenendum esse credimus, quod ex maternis Ecclesiæ visceribus nos hausisse gaudemus.

De æterna Dei præscientia bonorum & malorum.

2. Deum præscire & præscisse æternaliter, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali sunt gesturi, quia vocem scripturæ dicentis habemus: *Deus æterne qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia ante quam fiant,* fideliter tenemus, & placet tenere, bonos præscisse omninò per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos: malos præscisse per propriam malitiam malos futuros, & per suã iustitiam æternã vltione damnandos: vt secundùm Psalmistã, *Quia potestas Dei est, & Domini misericordia, reddat vnicuique secundum opera sua.* Dan. 13. 42. Psal. 61. 12. & 13. Et sicut Apostolica doctrina se habet, *His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem incorruptionem quærunt, vitam æternam: his autem qui ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Rom. 2. 7. & 9. In eodem sensu idem alibi: *In revelatione,* inquit, *Domini* 2. Thes. 1. 7. & seq.

Iesu

Iesu Christi de cœlo cum Angelis virtutis eius, in igne flammæ dantis vindictam his qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas, cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Nec prorsus vlli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, vt aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, *qui novit omnia antequàm fiant*, præsciit ex sua omnipotenti & incommutabili maiestate. Nec ex præiudicio eius aliquem sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideò perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.

3. Sed & de prædestinatione Dei placuit, & fideliter placuit iuxta authoritatem Apostolicam, quæ dicit, *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* vbi & statim subiunxit, *quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata* siue præparata *in interitum, vt ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen, salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perituroru meritum malum præcedere iustum Dei iudicium, prædestinatione autem Deum ea tantum statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordiâ, vel iusto iudicio facturus erat, secundùm scripturam dicentem: *Quæ fecit quæ futura sunt.* In malis verò ipsorum malitiam præsciisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est. Pœnam sanè malum meritum eorum sequentem, vti Deum, qui omnia prospicit, præsciisse, & prædestinasse, quia iustus est, *apud quem est*, vt Sanctus Augustinus ait, *de omnibus omninò rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia.* Ad hoc siquidem facit sapientis dictum, *Parata sunt derisoribus iudicia & malleis percutientes stultorum corporibus.* De hac immobilitate præscientiæ & prædestinationis Dei, per quam apud eum *facturæ* iam *factæ sunt*, etiam apud Ecclesiasten benè intelligitur dictum: *Cognovi quod omnia opera quæ fecit Deus perseverant in perpetuum.* Non possumus his addere, nec auferre, quæ fecit Deus

De prædestinatione Dei electorum ad vitam & impiorū ad mortem

Rom. 9. 21.
Ibidem 22. & 23.
Esai. 45. 11 iuxta 70.
Prov. 19. 29
Eccl. 3. 14.

Deus vt timeatur. Verùm aliquos ad malum prædestinatos esse divinâ potestate, videlicet vt quasi aliud esse non possint, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica Synodus illis anathema dicimus. *Cap. 25.*

De remptione sanguinis Christi & de quatuor & novem de iis capitulis.

4. Item de redemptione sanguinis Christi propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ita vt quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis qui à mundi exordio vsque ad passionẽ Domini in sua impietate mortui a ternâ damnatione puniti sunt, effusum esse definiant, contra illud propheticum, *Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne:* illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, iuxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsũ non pereat, sed habeat vitam aternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aternam.* Et Apostolus: *Christus,* inquit, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Porrò capitula quatuor quæ à Concilio fratrum nostrorum minùs prospectè susceptа sunt, propter invtilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati: sed & talia decem & novem sillogismis ineptissimè concluſa, & licet iactetur, nulla sæculari litteratura nitentia, in quibus commentum diaboli potiùs, quàm argumentum aliquod fidei deprehenditur, à pio auditu fidelium penitùs explodimus, & vt talia & similia caveantur, per omnia authoritate spiritus sancti interdicimus. Novarum etiam rerum introductores, ne districtiùs feriantur, castigandos esse censemus. *Osea 13. 14.* *Ioa. 3 14. 15. & 16.* *Hab. 9. 28.*

Quod omnes regenerati à peccatis abluti fiant: non tamẽ omnes salvi fiant.

5. Item firmissimè tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium *ex aqua & spiritu sancto regenerata*, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, & iuxta doctrinam Apostolicã *in morte Christi baptizata*, in eius sanguine sit à peccatis suis abluta: quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret & vera redẽptio, cũ in Ecclesiæ sacramentis nihil sit cassũ nihil ludificatoriũ, sed prorsus totũ verũ, & ipsa sui veritate ac *Rom. 6. 3.*

ſinceritate ſubnixum : ex ipſa tamen multitudine fidelium & redemptorum, alios ſalvari æternâ ſalute, quia per gratiam Dei in redemptione ſua fideliter permanent, ipſius Domini ſui vocem in corde ferentes : *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit* : alios quia noluerunt permanere in ſalute fidei, quam initio accceperunt. redemptioniſque gratiam potiùs irritam facere prava doctrina vel vita, quam ſervare elegerunt, ad plenitudinem ſalutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. In utroque ſi quidem doctrinam pij Doctoris habemus : *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto* IESV *in morte ipſius baptizati ſumus*; & *omnes qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, & iterum : *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aquâ mundâ, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem.* Et iterum : *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia*, & iterum : *Irritam quis faciens legem Moyſis, ſine ulla miſeratione, duobus aut tribus teſtibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti polluerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit ?*

Matt. 10. 22 & 24. 13.

Rom. 6. 3.

Gal. 3. 27.

Heb. 10. 22 & 23.

Ibid. 26.

Ibid. 28. & 29.

6. Item de gratia, per quam ſalvantur credentes, & ſine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit, & de libero arbitrio per peccatum, in primo homine infirmato, ſed per gratiam Domini IESV fidelibus ejus redintegrato & ſanato, id ipſum conſtantiſſimè & fide plenâ fatemur, quod ſanctiſſimi Patres authoritate ſacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt ; quod Africana Synodus profeſſa eſt, quod beatiſſimi Pontifices Apoſtolicæ Sedis Catholicâ fide tenuerunt : ſed & de natura & gratia, in aliam partem nullo modo declinare præſumentes ; *Ineptas autem* quæſtiunculas *& aviles* pœne *fabulas* Scotorumque pultes, puritati fidei nauſeam inferentes, quæ periculoſiſſimis & graviſſimis temporibus, ad cumulum laborum noſtrorum, uſque ad ſciſſionem charitatis miſerabiliter & lachrimabiliter ſuccreverunt, ne mentes Chriſtianæ inde corrumpantur, & excidant à ſimplicitate & caſtitate fidei, quæ eſt in Chriſto IESV, penitus reſpuimus, & ut fraterna charitas cavendo à talibus auditum caſtiget Domini Chriſti amore monemus. Recordetur fraternitas malis mundi graviſſimis ſe urgeri, meſſe nimia inimicorum,

De gratia & libero arbitrio.

& paleis levium hominum se durissimè suffocari. Hæc vincere ferveat, hæc corrigere laboret, & superfluis cœtum piè dolentium & gementium non oneret: sed potiùs certâ & verâ fide, quod à sanctis Patribus, de his & similibus sufficienter prosecutum est, amplectatur.

ANNALES BERTINIANI apud Franciscum Ducheſne ANDREÆ filium TOMO III. HISTORIÆ FRANCORVM AD ANNVM CHRISTI 859.

NICOLAVS PONTIFEX ROMANVS DE GRATIA DEI ET LIBERO ARBITRIO, DE VERITATE GEMINÆ PRÆDESTINATIONIS, ET SANGVINE CHRISTI, VT PRO CREDENTIBVS OMNIBVS FVSVS SIT, FIDELITER CONFIRMAT, ET CATHOLICÆ DECERNIT.

BEATI ANSELMI

ARCHI-EPIS. CANTVARIENSIS.

Dialogus de Libero arbitrio.

CAPVT I.

Quod potestas peccandi non pertineat ad libertatem arbitrij.

DISCIP.

CVm liberum arbitrium videatur repugnare gratiæ, & prædestinationi, & præscientiæ Dei: ipsa libertas arbitrij quid sit nosse desidero, & utrum illam semper habeamus. Si enim libertas arbitrij est, posse peccare & non peccare, sicut à quibusdam solet dici: & hoc semper habemus, quomodo aliquando gratiâ indigemus! Si autem hoc non semper habemus, cur nobis imputatur peccatum, quando sine libero arbitrio

arbitrio peccamus? [MAGIS.] Libertatem arbitrij non puto esse potentiam peccandi & non peccandi. Quippe si hoc ejus esset diffinitio: nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium, quod nefas est dicere. [DISC.] *Quid, si dicitur aliud esse liberum arbitrium Dei & Angelorum bonorum, aliud nostrum?* [MAG.] Quamvis differat liberum arbitrium hominum à libero Dei arbitrio & Angelorum bonorum: diffinitio tamen hujus libertatis in utrisque secundum hoc nomen eadem debet esse: licet enim animal differat ab animali sive substantialiter, sive accidentaliter, diffinitio tamen secundùm nomen animalis omnibus animalibus est eadem. Quapropter talem oportet dare diffinitionem libertatis arbitrij, quæ nec plus, nec minus illa contineat. Quoniam ergo liberum arbitrium divinum & bonorum Angelorum peccare non potest non perninet ad diffinitionem libertatis arbitrij, posse peccare. Denique nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas. Quod ut planè intelligas, intende ad ea quæ dicam. [DISC.] *Ad hoc hic sum.* [MAG.] Quæ tibi voluntas liberior videtur illa quæ sic vult & potest non peccare, ut nullatenus valeat flecti à non peccandi rectitudine: an illa quæ flecti aliquo modo potest ad peccandum? [DISC.] *Cur non sit liberior illa quæ ad utrumque se habet, non video.* [MAG.] An non vides quoniam qui sic habet quod decet, & quod expedit, ut hoc amittere nequeat, liberior est, quam ille qui sic habet hoc ipsum ut possit perdere: & ad hoc quod dedecet & non expedit valeat adduci? [DISC.] *Nulli dubium hoc esse puto.* [MAG.] Hoc quoque minus indubitabile dices: quia peccare semper dedecens & noxium est. [DISC.] *Nullus sanæ mentis aliter sentit.* [MAG.] Liberior itaque voluntas est, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quam quæ illam potest deserere. [DISC.] *Nihil mihi rationabilius asseri posse videtur.* [MAG.] An putas, quod additum minuit, & separatum auget libertatem, id aut libertatem esse, aut partem libertatis? [DISC.] *Non hoc putare possum.* [MAG.] Potestas ergo peccandi, quæ addita voluntati minuit ejus libertatem, & si dividatur auget: nec libertas est nec pars libertatis.

Liberior est voluntas quæ peccare non potest quàm quæ peccare potest.

CAPVT II.

Quod tantùm homo & Angelus peccaverunt per hanc poteſtatem & liberum arbitrium : & quamvis potuerunt ſervire peccato, *non tamen* eis *potuit* dominari peccatum.

DISCIP.

Nihil conſequentius. [MAG.] Non pertinet ad libertatem arbitrij, quod hic eſt extraneum à libertate. [DISC.] *Rationibus tuis nullatenus contradicere queo. Sed non parùm me movet : quia & angelica & noſtra natura in principio habuit poteſtatem peccandi, quam ſi non habuiſſet non peccaſſet : quare ſi per hanc poteſtatem quæ ſic aliena eſt à libero arbitrio peccavit utraque prædicta natura : quomodo dicemus eam peccaſſe per liberum arbitrium ? Aut ſi per liberum arbitriũ non peccavit, ex neceſſitate peccaſſe videtur. Nempè aut ſponte, aut ex neceſſitate : aut ſi ſponte peccavit, quomodo niſi per liberum arbitrium? quare ſi non per liberum arbitriũ, utiq; ex neceſſitate peccaſſe videtur. Eſt & aliud, quod in hac peccandi poteſtate me movet. Qui enim peccare poteſt,* ſervus poteſt eſſe peccati: quoniã qui facit peccatũ ſervus eſt peccati : *qui autem ſervus poteſt eſſe peccati, huic poteſt* dominari peccatum : *quomodo libera fuit illa natura aut cuiuſmodi liberum arbitrium illud erat, cui* peccatum dominari *poterat.* [MAG.] Et per poteſtatem peccandi, & ſponte per liberum arbitrium, & non ex neceſſitate noſtra, & angelica natura primitùs peccavit, & *ſervire* potuit *peccato:* & tamen non illi *peccatum dominari* poterat, unde illa non libera, aut ejus arbitrium non liberum dici poſſit. [DISC.] *Opus habeo, ut quod dicis, aperias : quia clauſum eſt mihi.* (MAG.) Per liberum arbitrium peccavit Apoſtata Angelus : ſive primus homo : quia per ſuum arbitrium peccavit, quod ſic liberum erat, ut nullâ aliâ re cogi poſſet ad peccandum, & ideò juſtè reprehenditur : quia cùm hanc haberêt arbitrij ſui libertatem, non aliquâ re cogente, non aliquâ neceſſitate, ſed ſponte peccavit. Peccavit autem per arbitrium ſuum, quod erat liberum, ſed, non per hoc unde liberum erat, id eſt, per poteſtatem, quâ poterat non peccare & *peccato* non *ſervire:* ſed per poteſtatem quam habuit peccandi : quâ nec ad non peccandi libertatem juvabatur, nec ad peccandi ſervitutem cogebatur. Quod autem conſequi tibi videtur, quia ſi potuit

Ioan. 8. 34.

Angelus & primus homo peccaverunt ſponte & per liberum arbitrium, ſed non per hoc unde erat liberum.

ſervus

Rom. 6. 14. *servus esse peccati*, potuit *ei damnari peccatum*: & ideo nec illum, nec ejus arbitrium liberum fuisse. Non ita est: etenim qui suæ potestatis est, ut non serviat, nec alienæ potestatis est, ut serviat, quamvis potestate sua servire possit: quamdiu non illa, quæ est serviendi; sed illa quæ non est serviendi, utitur potestate: nulla res potest illi dominari ut serviat. Nam etsi dives liber possit se facere servum paupertatis, quamdiu hoc non facit, nec ille nomen amittit libertatis nec pauper illi dicitur propriè dominari: aut si dicitur, impropriè dicitur, quia hoc non in ejus, sed in alterius est potestate. Quamobrem nihil prohibet Angelum & hominem ante peccatum liberos fuisse, aut liberum arbitrium habuisse.

CAPVT III.

Quomodo, postquam se fecerunt servos peccati *liberum habuerunt arbitrium.*

DISCIP.

SAtis feciſti mihi, quia nihil certè hoc prohibet ante peccatum. Sed postquam se fecerunt servos peccati: *quomodo liberum arbitrium servare potuerunt?* (MAG.) Licet peccato se subdidissent, libertatem arbitrij tamen naturalem in se interimere nequiverunt: sed facere potuerunt, ut jam non sine alia gratia, quam erat illa quam priùs habuerunt, illa libertate uti non valeant. (DISC.) *Credo: sed intelligere desidero.* (MAG.) Consideremus cujusmodi arbitrij libertatem habuerunt ante peccatum: quia certum est eos liberum arbitrium habuisse. (DISC.) *Hoc expecto.* (MAG.) Ad quid tibi videntur habuisse illam libertatem arbitrij? an ad assequendum quod vellent, an ad volendum quod deberent, & quod illis velle expediret? (DISC.) *Ad volendum quod deberent, & quod expediret velle.* (MAG.) Ergo ad rectitudinem voluntatis habuerunt libertatem arbitrij. Quamdiu namq; voluerunt quod debuerunt, rectitudinem habuerunt voluntatis. (DISC.) *Ita est.* (MAG.) Dubium est adhuc cùm dicitur, quia libertatem habuerunt ad rectitudinem voluntatis, si non addatur aliud. Quæro igitur quomodo habeant illam libertatem ad rectitudinem voluntatis: an ad capiendum eam sine datore, cùm illam nondum haberent: an ad accipiendum nondum habitam, si

Libertas ante peccatum qualis.

daretur ut haberent: an ad deſerendum quam acceperant, & per ſe reſumendum deſertam; an ad ſemper ſervandum acceptam? (DISC.) *Ad accipiendum rectitudinem ſine datore, non puto illos habuiſſe libertatem: quoniam nihil potuerunt habere quod non acceperant. Ad accipiendum verò à datore quam nondum habebant, ut eam haberent non eſt dicendum eos habuiſſe libertatem: quia non eſt credendum eos factos ſine recta voluntate quamvis non negandum ſit eos libertatem habuiſſe recipiendi eandem rectitudinem, ſi eam deſererent, & ab ipſo datore primò illis redderetur, quod in hominibus ſæpè videmus, qui de iniuſtitia ad iuſtitiam ſuperna gratia reducuntur.* 1.Cor.4.7. (MAG.) Unde eſt quod dicis eos poſſe recipere perditam rectitudinem, ſi reddatur: ſed nos illam libertatem quam habuerunt antequam peccarent, quærimus: cùm ſine dubio liberum habuerunt arbitrium, non illam, qua nullus indigeret, ſi nunquam veritatem deſeruiſſet? (DISC.) *Proſequar itaque & reſpondebo ad ea, quæ reſtant de his quæ interrogaſti. Ad deſerendum autem eandem rectitudinem, eos libertatem habuiſſe non eſt verum: quia deſerere voluntatis rectitudinem eſt peccare: & poteſtatem peccandi, nec libertatem, nec partem eſſe libertatis ſupra monſtraſti. Ad reſumendum verò per ſe rectitudinem deſertam, libertatem non acceperunt: cùm ad hoc rectitudo illi data ſit, ut nunquam deſeratur. Ipſa namque poteſtas reſumendi deſertam, generaret negligentiam ſervandi habitam. Quapropter reſtat libertatem arbitrij datam eſſe rationali creaturæ vel naturæ ad ſervandam acceptam rectitudinem voluntatis.* (MAG.) Benè ad interrogata reſpondiſti. Sed adhuc opus eſt ut conſideremus, propter quid illam rectitudinem ſervare debeat rationalis creatura: an propter ipſam rectitudinem, an propter aliud? (DISC.) *Si non illa libertas data eſſet creaturæ, ut voluntatis rectitudinem propter ipſam ſervaret rectitudinem, non valeret ad iuſtitiam: quoniam conſtat iuſtitiam eſſe rectitudinem voluntatis propter ſe ſervatam: ſed ad iuſtitiam prodeſſe arbitrij libertatem credimus. Quare indubitanter aſſerendum eſt rationalem naturam non eam accepiſſe, niſi ad ſervandam rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem.* (MAG.) Quoniam omnis libertas eſt poteſtas: illa libertas arbitrij eſt poteſtas ſervandi rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem. (DISC.) *Non poteſt aliud eſſe.* (MAG.) Iam itaque clarum eſt, liberum arbitrium non eſſe aliud, quàm arbitrium potens ſervare rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem. (DISC.) *Clarum itaque eſt. Sed quamdiu ipſam rectitu-*

Quid liberum arbitrium.

rectitudinem habuit, servare potuit quod debuit. Postquam autem illam deseruit, quomodo potest servare quod non habet? Absente ergo rectitudine, quam servare potest, non est liberum arbitrium, quod eam servare valeat. Non enim servare valet quod non habet (MAG.) Etiamsi absit rectitudo voluntatis, non tamen rationalis natura minus habet quod suum est. Nullam namque potestatem habemus, ut puto, quæ sola sibi sufficiat ad actum: & tamen cum ea desint, sine quibus ad actum minimè perducuntur nostræ potestates, non minus eas quantum in nobis est, habere dicimur. Sicut nullum instrumentum solum sibi sufficit ad operandum: & tamen cùm desunt illa quibus instrumento uti nequimus, instrumentum nos cujuslibet operis habere sine falsitate fatemur. Quod, ut in multis advertas, in uno tibi monstrabo. Nullus visum habens dicitur nullatenus videre posse montem. (DISC.) *Qui montem videre non potest, profectò nullum habet visum.* (MAG.) Habet ergo potestatem & instrumentum videndi montem, qui visum habet: & tamen si mons abest & dicis ei: Vide montem: respondebit tibi: Non possum quia abest: si adesset possum videre. Item si mons adesset & lux abesset: responderet se montem non posse videre, quia non posset absente luce: sed si lux adesset tunc posset. Rursum si visum habenti lux & mons præsens esset, & aliquid visui obstaret: velut si aliquis illi oculos clauderet, diceret se non posse videre montem: sed si nihil visui ejus obsisteret, tunc sine dubio montem videndi potestatem haberet. (DISC.) *Hoc totum omnibus notum est.* (MAG.) Vides ergo, quia potestas videndi aliquod corpus, alia est in vidente, alia in re videnda, alia in medio: idem neque in vidente, neque in re videnda: & ea quæ est in medio, alia est in adjuvante, alia in non impediente, id est, quando nihil quod impedire possit impedit. (DISC.) *Video planè.* (MAG.) Quatuor igitur istæ potestates sunt, quarum si quælibet una desit, aliæ tres sunt: nec singulæ, nec omnes simul aliquid possunt efficere: nec tamen absentibus aliis negamus aut qui visum habet, habere visum, aut instrumentum sive potestatem videndi: aut rem visibilem posse videri: aut lucem posse visum juvare.

Nulla potestas in homine sibi sola sufficit ad actum.

Potestas quadruplex considerantur.

CAPVT

CAPVT IV.

Quomodo potestatem habeant servandi rectitudinem, quam non habent.

MAGIST.

QVarta autem potestas impropriè dicitur: quod enim solet impedire visum, non ob aliud dicitur dare potestatem videndi, cùm non impedit, nisi quia non aufert. Potestas autem videndi lucem, non nisi in tribus rebus est, quia tunc est idem, & quod videtur, & quod adjuvat. Nam hoc est omnibus notum. (DISC.) *Nulli itaque est ignotum.* (MAG.) Si ergo absente re quæ videri possit, in tenebris positi, & clausos sive ligatos oculos habentes, quantum ad nos pertinet, videndi quamlibet visibilem rem potestatem habemus, quid prohibet nos habere potestatem servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, etiam absente ipsâ rectitudine, quamdiu & ratio in nobis est, quâ eam valemus cognoscere, & voluntas, quâ illam tenere possumus? Ex his enim constat præfata libertas arbitrij. (DISC.) *Satisfecisti intellectui meo, potestatem servandi rectitudinem voluntatis rationali naturæ semper inesse, atque hanc potestatem in primis hominis & Angelorum arbitrio liberam fuisse, quibus invitis rectitudo voluntatis non poterat auferri.*

CAPVT V.

Quod nulla tentatio cogat invitum peccare.

SEd *nunc quomodo est humana voluntatis arbitrium hâc potestate liberum, cùm sæpè rectam habens homo voluntatem, ipsam rectitudinem invitus cogente tentatione deserat?* (MAG.) Nemo illam deserit, nisi volendo. Si ergo invitus dicitur volens, nemo deserit illam invitus: ligari enim nomo potest & invitus, quia nolens: potest torqueri invitus quia nolens: potest occidi: velle autem non potest invitus, quia non potest velle nolens velle, nam omnis volens ipsum sum velle vult. DISC. *Quomodo dicitur invitus mentiri, qui mentitur né occidatur: cum ho. non nisi nolens facit? Nam sicut invitus mentitur, sic invitus vult mentiri: & qui invitus mentiri vult, nolens vult mentiri,*

An homo possit invitus velle.

MAG.

[MAG.] Ideo forsitan invitus mentiri dicitur: quia cùm sic vult veritatem, ut mentiatur, nisi propter vitam: & vult mendacium quia propter vitam: & non vult mendacium propter ipsum mendacium, quoniam vult veritatem: & ideò volens & nolens mentitur. Alia namque voluntas est, qua volumus aliquid propter se, ut cùm volumus salutem propter se, & alia cùm aliquid volumus propter aliud, ut cùm volumus absinthium bibere propter salutem. Unde potest forsitan dici, secundum has diversas voluntates: quia invitus & non invitus mentitur. Quapropter cùm dicitur invitus mentiri: quia id non vult, in quantum vult veritatem, non repugnat illi sententiæ, quâ dico, neminem invitum deserere rectitudinem voluntatis, quia mentiendo vult eam deserere propter vitam, secundum quam voluntatem non invitus eam deserit, sed volens, de qua voluntate nunc loquimur: de illa namque loquimur qua vult mentiri propter vitam: non de illa, qua non vult mendacium propter se. Aut idcirco certè mentitur invitus: quia invitus aut occiditur, aut mentitur, id est, invitus est in hac angustia, ut ex necessitate horum unumquodlibet fiat: quamvis enim necesse sit illum aut occidi aut mentiri: non tamen necesse illum occidi, quia potest non occidi si mentitur: nec necesse est illum mentiri, quia potest non mentiri, sed occidi. Neutrum enim est determinatè in necessitate, quia utrumlibet est in voluntate vel potestate. Itaque licet invitus aut occidatur aut mentiatur, non tamen ideo sequitur, ut invitus mentiatur, aut ut invitus occidatur. Est & alia ratio quam frequens habet usus cur invitus & nolens & ex necessitate dicitur aliquis facere, quod tamen volens facit. Nam quod non nisi difficilè facere valemus, & ideo non facimus: dicimus hoc nos facere non posse. Et ex necessitate nos sive invitos deserere quod sine difficultate dimittere nequimus: & idcircò cùm facimus, hoc nos invitos & nolentes, & ex necessitate facere asserimus. Hoc igitur modo qui mentitur ne moriatur, mentiri invitus & nolens dicitur & ex necessitate: quia mendacium vitare non valet sine mortis difficultate. Sicut igitur qui mentitur propter vitam impropriè dicitur invitus mentiri quoniam mentitur volens, ita non peopriè dicitur invitus velle mentiri, quoniam hoc non nisi volens vult. Nam sicut cùm mentitur vult ipsum mentiri, sic cùm vult mentiri, vult ipsum velle.

[DISC.] *Non possum negare quod dicis.* [MAG.] Quomodo itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subijcere non potest? [DISC.] *Nonne simili ratione possumus dicere, voluntatem equi esse liberam, quia appetitui carnis non servit nisi volens?* (MAG.) Non est hoc similiter: in equo namque non ipsa voluntas se subijcit, sed naturaliter subjecta semper necessitate appetitui carnis servit. In homine verò quamdiu ipsa voluntas recta est, nec servit nec subjecta est cui non debet, nec ab ipsa rectitudine ullâ vi alienâ avertitur, nisi ipsa cui non debet, volens consentiat: quem consensum non naturaliter, nec ex necessitate, sicut equus, sed ex se apertè videtur habere. [DISC.] *Satisfeciſti huic obiectioni meæ de voluntate equi. Redi ubi eramus.* [MAG.] An negavimus omnem rem liberam esse ab ea re, à qua cogi non volens, vel prohiberi non potest? [DISC.] *Non video quomodo negem.* [MAG.] Dic etiam quomodo superat recta voluntas, & quomodo superatur? [DISC.] *Velle ipsam rectitudinem perseveranter, est illi vincere, velle autem quod non debet est illi vinci.* [MAG.] Puto, quia tentatio rectam voluntatem nonnisi volentem, aut ipsa rectitudine prohibere, aut ad id quod non debet, cogere potest: ut illam velit, & istud nolit. (DISC.) *Nec ullâ ratione falsum esse video.* (MAG.) Quis ergo voluntatem potest dicere non esse liberam ad servandam rectitudinem, & liberam à tentatione & peccato: si nulla tentatio potest illam nisi volentem avertere à rectitudine ad peccatum, id est, ad volendum quod non debet? Cùm ergo vincitur non alienâ vincitur potestate, sed suâ. (DISC.) *Hoc monstrant ea quæ dicta sunt.* (MAG.) Nonne vides ex his consequi, quia nulla potestas potest vincere rectam voluntatem? Nam si potest, habet potestatem vincendi, & suâ potestate vincitur: sed hoc esse non potest, quoniam voluntas non nisi suâ vincitur potestate. Quare nullatenus potest tentatio vincere rectam voluntatem & cùm dicitur, impropriè dicitur. Non enim aliud intelligitur, quàm quia voluntas potest se subijcere tentationi: sicut è converso cùm imbecillis dicitur posse vinci à forti: non suâ potestate dicitur, sed alienâ, quoniam non significatur aliud, nisi fortis habet potestatem vincendi imbecillem.

Liberum consensum voluntas ex se habet.

Impropriè voluntas recta dicitur vinci à tentatione.

CAPVT.

CAPVT VI.

Quomodo sit nostra voluntas potens contra tentationes, licet videatur impotens.

DISCIP.

QVamvis sic omnia impugnantia voluntati nostræ subijcias, atque nullam tentationem illi dominari permittas, ut in nullo obviare possim assertionibus tuis: non tamen possum dissimulare quandam impotentiam esse in eadem voluntate, quam ferè omnes experimur cum violentia tentationis superamur. Quapropter nisi illam potentiam, quam probas, & illam impotentiam, quam sentimus facias convenire, non potest animus meus in quietem huius quæstionis pervenire. (MAG.) Istam impotentiam quam dicis voluntatis, in quo putas esse? (DISC.) *In eo quia non potest perseveranter rectitudini adhærere.* (MAG.) Si per impotentiam non adhæret, alienâ vi avertitur à rectitudine. [DISC.] *Credo.* (MAG.) Quæ est hæc vis? (DISC.) *Vis tentationis.* [MAG.] Hæc vis non avertit à rectitudine: si ista non vult quod suggerit tentatio. (DISC.) *Ita est. Sed ipsa tentatio, ipsa suâ vi cogit eam velle quod suggerit.* [MAG.] Quomodo cogit eam velle? An ita, ut possit ea quidem nolle, sed non sine gravi molestia, an ita ut nullatenus possit nolle? [DISC.] *Quamvis me fateri oporteat, nos aliquando sic premi tentationibus, ut sine difficultate non valeamus nolle, quod suggerunt: non tamen possum dicere, quod sic nos unquam opprimant, ut quod movent nullatenus nolle possimus.* [MAG.] Nescio quomodo possit dici. Si enim vult homo mentiri, ut non sustineat mortem, ut servet vitam ad tempus: quis dicet impossibile velle eum non mentiri, ut vitet æternam mortem, & sine fine vivat? Quapropter jam dubitare hanc impotentiam servandi rectitudinem non debes, quam dicis in nostra voluntate esse: cum tentationibus consentimus non esse ex impossibilitate, sed ex difficultate. Frequenti namque usu dicimus nos non posse aliquid: non quia nobis est impossibile: sed quia sine difficultate non possumus. Hæc autem difficultas non permittit libertatem voluntatis vinci. Impugnare namque potest invitam voluntatem, expugnare nequit invitam. Hoc itaque modo puto te posse videre: quomodo conveniant potentia voluntatis, quam

ratio veritatis asserit: & impotentia, quàm humanitas nostra sentit. Sicut enim difficultas nequaquam voluntatis interimit libertatem: ita illa impotentia, quam non ob aliud in voluntate dicimus esse: nisi quia non potest tenere suam rectitudinem sine difficultate, non aufert eidem voluntati perseverandi in rectitudine potestatem.

CAPVT VII.

Quomodo voluntas fortior sit quàm tentatio: etiam cùm ab illa vincitur.

DISCIP.

Sicut nequaquam valeo, quod probas, negare: ita nullatenus queo voluntatem fortiorem esse tentationi, cùm ab ea superatur, affirmare. Nam si voluntas servandi rectitudinem fortior esset quàm tentationis impetus: fortius illa volendo, quæ tenet, resisteret quàm illa insisteret. Non enim aliunde scio, me magis vel minus fortiorem habere voluntatem, nisi quia magis vel minus fortiter volo. Quapropter cùm minus fortiter volo, quod debeo: quam tentatio mihi suggerit quod non debeo, quomodo tentatio fortior non sit voluntate meâ non video. (MAG.) Ut video, æquivocatio voluntatis te fallit. (DISC. *Ipsam vellem æquivocationem cognoscere.* MAG. Sicut visus æquivocè dicitur, ita & voluntas. Vocamus enim visum, instrumentum videndi, id est, radium procedentem per oculos, quo sentimus lucem & ea quæ sunt in luce: & dicimus visum instrumenti ipsius opus, quando illo utimur, id est, visionem. Eodem modo dicitur voluntas, ipsum instrumentum volendi quod est in anima, & quod convertimus ad volendum hoc vel illud: sicut visum ad videndum diversa convertimus, & dicitur voluntas, usus ejus voluntatis, quæ est instrumentum volendi: sicut dicitur visus, usus ejus visus, qui est instrumentum videndi. Sicut igitur visum qui est instrumentum videndi, habemus etiam cùm non videmus: visus autem, quod est opus ejus, non est nisi cùm videmus: ita voluntas, instrumentum scilicet volendi, semper est anima, etiam cùm non vult aliquid, velut cùm dormit: voluntatem verò quam dico usum sive opus ejusdem instrumenti non habemus nisi quando volumus aliquid. Illa utique volun-

Voluntas æquivocè sumitur, modo pro potentia, modo pro actu.

voluntas, quam dico instrumentum volendi, una & eadem semper est quidquid velimus: illa verò quæ opus est, tam multiplex est, quàm multa, & quàm sæpè volumus: quemadmodum visus, quem etiam in tenebris vel clausis oculis habemus, semper idem est quicquid videamus. Visus autem, id est, opus ejus, qui visio nominatur, tam numerosus est quàm numerosa, & quàm numerosè videmus. DISC. *Planè video & amo hanc voluntatis distinctionem: & iam mihi videor videre, quam ex eius ignorantia patiebar deceptionem: sed tamen tu prosequere, quod incœpisti.* MAG. Cùm ergo videas duas voluntates esse, instrumentum volendi & opus ejus: in qua harum duarum intelligis fortitudinem constare volendi? DISC. *In illa quæ est instrumentum volendi.* MAG. Si ergo scias virum ita fortem, ut eo tenente taurum indomitum, taurus non posset se movere: & videas eundem virum tenentem arietem, ut ipse aries sese de manibus ejus excutiat, putabisné illum minus fortem in tenendo arietem, quàm in tenendo taurum? DISC. *Illum quidem non dissimiliter fortem in utroque opere iudicabo, sed eum suâ fortitudine non æqualiter uti fatebor: fortiùs enim operatur in tauro, quàm in ariete. Sed ille fortis est, qui fortitudinem habet, actio verò eius fortis dicitur, qua fortiter fit.* MAG. Sic intellige voluntatem, quam voco instrumentum volendi inseparabilem fortitudinem habere: quia aliquando magis, aliquando minùs utitur in volendo. Unde quod fortiùs vult, nullatenus deserit, ablato eo quod minùs fortiter vult: & cùm offertur fortiùs quod vult, statim dimittit quod non pariter vult: & tunc voluntas, quam dicere possumus actionem instrumenti hujus, agit opus suum, cùm aliquid vult. Tunc, inquam, voluntas, actio magis vel minùs fortis dicitur, quoniam magis vel minùs fortiter fit. DISC. *Aperta iam mihi esse quæ explicas, necesse est ut fatear.* MAG. Vides igitur, quia cùm homo habitam rectitudinem voluntatis aliquâ ingruente deserit tentatione, nullâ vi alienâ abstrahitur: sed ipse convertit se ad id quod fortiùs vult.

Facultas voluntatis inseparabilem habet fortitudinem.

CAPVT VIII.

Quod nec Deus auferre poteſt voluntatis rectitudinem.

DISCIP. *Vnquid vel Deus poteſt illi auferre rectitudinem?* (MAG.) Vide quomodo non poſſit. Totam quidem ſubſtantiam, quam de nihilo fecit, poteſt redire in nihilum. A voluntate verò habente rectitudinem, non valet illam ſeparare. (DISC. *Huius tuæ mihi inauditæ aſſertionis multùm à te rationem expecto.* (MAG.) Nos loquimur de illa voluntatis rectitudine, qua juſta dicitur voluntas, id eſt, quæ propter ſe ſervatur. Nulla autem eſt juſta voluntas, niſi quæ vult, quod Deus vult eam velle. (DISC.) *Sic oportet fateri, quæ hoc non vult, planè iniuſta eſt.* (MAG.) Servare itaque rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem, eſt unicuique ſervanti eam velle. Si itaque Deus ſeparat hanc rectitudinem ab alicujus voluntate, aut volens facit hoc, aut nolens. (DISC.) *Nolens non poteſt.* (MAG.) Si itaque aufert alicujus voluntati præfatam rectitudinem, vult quo facit. (DISC.) *Abſque dubio vult.* (MAG.) Utique ſi ab alicujus voluntate vult ſeparare eandem rectitudinem, non vult eum rectitudinem ſervare voluntatis, propter ipſam rectitudinem. (DISC.) *Sic ſequitur.* (MAG.) Sed jam poſitum eſt ſervare hoc modo rectitudinem voluntatis eſſe omni ſervanti velle, quod Deus vult illum velle. (DISC. *Si poſitũ non eſſet*, ita tamen eſſet. (MAG.) Ergo ſi Deus hanc rectitudinẽ tollit ab aliquo, non vult eum velle, quod vult eũ velle. (DISC.) *Nihil conſequentiùs & nihil impoßibiliùs.* [MAG.] Igitur nihil magis impoſſibile, quam Deum rectitudinem voluntatis auferre. Quod tamen facere dicitur, quando non facit, ut eadem rectitudo non deſeratur. Porrò diabolus vel tentatio, ideo dicitur hoc facere, ſive voluntatem ipſam vincere, & à rectitudine quam tenet abſtrahere: quoniam non permitteret ei aliquid, aut minaretur auferre quod magis quam ipſam rectitudinem vult: nullatenus ipſe ab illa, quam aliquatenus vult poſſet avertere. [DISC.] *Sic planum videtur mihi quod dicis ut nihil contradici poſſe exiſtimem.*

Quo ſenſu dici poſſit Deus auferre voluntati ſuam rectitudinem.

CAPVT

CAPVT IX.

Quod nihil liberiùs ſit rectâ voluntate.

MAGIST.

CErnis itaque nihil liberiùs rectâ voluntate, cui nulla vis aliena poteſt auferre ſuam rectitudinem. Nempè ſi dicimus: quia cùm vult mentiri, né perdat vitam aut ſalutem, cogitur deſerere timore mortis aut tormenti veritatem: non eſt verùm. Non enim cogitur magis velle vitam, quàm veritatem: ſed quoniam vi alienâ prohibetur utrumque ſervare ſimul, ipſa eligit quod mavult: ſpontè utique & non invita, quamvis in neceſſitate utramlibet deſerendi poſita ſit, non ſpontè, ſed invita. Non enim minus fortis eſt ad volendum veritatem, quàm ad volendum ſalutem: ſed fortiùs vult ſalutem. Nam ſi præſentem videret gloriam æternam, quam ſtatim poſt ſervatam veritatem aſſequeretur, & inferni tormenta quibus poſt mendacium ſine mora deputaretur, proculdubio mox virium ſufficientiam ad ſervandam veritatem habere cerneretur. (DISC.) *Apertè hoc videtur eum maiores vires exhibere ad volendum ſalutem æternam propter ſe, & veritatem propter præmium: quam ad ſalutem temporalem ſervandam.*

CAPVT X.

Quomodo peccans ſit ſervus peccati, *& quod maius miraculum ſit cùm Deus reddit rectitudinem illam deſerenti, quam cum mortuo reddit vitam.*

MAGIST.

SEmper itaque habet rationalis homo liberum arbitrium: quia ſemper habet poteſtatem ſervandi rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem, quamvis aliquando cum difficultate. Sed cùm libera voluntas deſerit rectitudinem per difficultatem ſervandi: utique poſt *ſervit peccato*, per impoſſibilitatem per ſe recuperandi. Sic ergo fit *Spiritus vadens, & non rediens: quoniam qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Quippe ſicut nulla voluntas antequam haberet rectitudinem, potuit

Pſal. 77. 39
Ioan. 8. 34.

potuit eam Deo non dante capere: ita dum deserit acceptam, non potest eam nisi Deo reddente recipere. Et majus miraculum existimo, cùm Deus voluntati desertam reddit rectitudinem quam cum mortuo reddit vitam amissam. Corpus enim necessitate moriendo non peccat, ut vitam nunquam recipiat; voluntas verò per se rectitudinem deserendo, meretur ut illa semper indigeat. Et si quis spontè sibi mortem infert, non aufert sibi aliquid, quod nunquam erat amissurus. Qui verò voluntatis rectitudinem deserit, hoc abijcit, quod ex debito erat servaturus. (DISC.) *Valde verum est quod dicis de servitute.* Quia servus fit peccati, qui facit peccatum, *& de impossibilitate recuperandi desertam rectitudinem nisi ab eo à quo prius data ea reddatur, & ut illam semper teneant indesinenter considerandum est omnibus, quibus datur.* Ioan. 8. 34.

Maius est miraculum peccatorem quàm mortuum suscitasse.

CAPVT XI.

Quod ista servitus non auferat libertatem arbitrij.

SEd hac sententia multùm repressisti exultationem meam, qua iam putabam esse securum hominem semper habentem libertatem arbitrij. Quare ipsam servitutem exponi mihi postulo: ne fortè libertati præfata repugnare videatur. Vtraque enim, scilicet, hac libertas, & servitus est in voluntate: secundum quamlibet aut liber, aut servus est homo. Si ergo servus quomodo liber est? Aùt si liber, quomodo servus? (MAG.) Si benè discernas: quando non habet præfatam rectitudinem sine repugnantia & servus est & liber. Nunquam enim est ejus potestatis rectitudinem capere cùm non habet: sed semper est ejus potestatis servare cùm habet. Per hoc, quia redire non potest à peccato, servus est; per hoc, quia abstrahi non potest à rectitudine liber est. Sed à peccato & ejus servitute non nisi per alium potest reverti. A rectitudine verò non-nisi per se potest averti, & à libertate sua nec per sè nec per alium potest privari. Semper enim naturaliter liber est ad servandam rectitudinem, si eam habet: etiam quando, quam servat, non habet. DISC. *Sufficit mihi hoc huius libertatis & servitutis, ut in eodem homine possint esse, simul facta concordia.*

Peccator simul est servus & liber.

CAPVT

CAPVT XII.

Cur cùm homo non habet rectitudinem magis dicitur liber: quia non poteſt ei auferri, cùm habet, quam cum eam habet ſervus: quia cùm non habet, per ſe non poteſt recuperare eam.

SEd multùm noſſe deſidero, cur quando non habet rectitudinem, magis dicitur liber: quia non poteſt ei ab alio auferri cùm habet: quàm cùm rectitudinem habet ſervus, quia eam non poteſt recuperare per ſe, cùm non habet. Per hoc enim, quia redire non poteſt à peccato ſervus eſt. Per hoc quod abſtrahi non poteſt à rectitudine, liber eſt. Et ſicut nunquam abſtrahi poteſt, ſi habet, ita nunquam poteſt redire, ſi non habet. Quapropter ſicut ſemper habet illam libertatem: ita ſemper habere videtur illam ſervitutem. MAG. Iſta ſervitus non eſt niſi impotentia. Sive enim dicamus eam impotentiam eſſe redeundi ad rectitudinem, ſive impotentiam recuperandi aut iterum habendi rectitudinem: non ob aliud eſt homo ſervus peccati, niſi per hoc quia nequit redire ad rectitudinem, aut recuperare, aut habere illam, qua poteſt homo non peccare. Cùm autem habet eandem rectitudinem non habet impotentiam non peccandi. Quare quando habet rectitudinem illam, non *eſt ſervus peccati*. Poteſtatem autem ſervandi rectitudinem ſemper habet, & cùm rectitudinem habet, & cùm non habet, & ideo ſemper eſt liber. Quod autem quæris, cur quando non habet rectitudinem magis dicitur liber: idcirco quoniam ab alio non ei poteſt auferri, quando habet: quoniam ſervus, tunc cùm habet rectitudinem, ideò quia non poteſt eam recuperare per ſe quando non habet: tale eſt ac ſi quæras, cur homo cùm Sol adeſt, magis dicitur habere poteſtatem videndi Solem, propter hoc, quia intueri poteſt illum cùm adeſt: quoniam dicitur cùm Sol abeſt, habere impotentiam videndi Solem, quoniam quando abeſt non poteſt eum facere ſibi præſentem. Sicut enim & quando Sol abeſt habemus in nobis viſum, quo illũ videmus cùm adeſt: ſic etiam quando voluntatis rectitudo nobis deeſt, habemus tantùm in nobis aptitudinẽ intelligendi & volendi qua eã poſſumus ſervare propter ſe, cùm eam habemus. Et ſicut quando nobis nihil deeſt ad videndum Solem, niſi præſentia ejus: tunc ſolummodo non habemus illam poteſtatem, quam nobis facit ejus præſentia:

Quid ſervitus ſub peccato.

Poteſtas rectè agendi manet in nobis etiam ſub latâ iniſtitia.

sic tantummodo quando nobis illa rectitudo deest, tunc habemus illam impotentiam, quam facit nobis ejus absentia. Semper igitur homo habet arbitrij libertatem, sed non semper *servus est peccati:* sed quando non habet rectam voluntatē. DISC. *Si intentè cogit assem, quæ suprà dicta sunt, quando videndi potestatem in quatuor potestates distribuisti, non hæc dubitassem: quarè fateor culpam huius dubitationis meæ.* MAG. Parcam tibi, tamen nunc, sed deinceps ea quæ dicimus sic sine præsentia, cùm opus erit hujusmodi: ut ea nobis necesse non sit repetere. DISC. *Gratam habeo tuam indulgentiam. Sed ne mireris, si ea quæ non consuevi non sunt mihi propter unam auditionem semper omnia ad induendum in corde præsentia.*

CAPVT XIII.

Quod potestas servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, sit perfecta diffinitio liberi arbitrij.

MAGIST.

DIc adhuc, si quid in diffinitione libertatis arbitrij quam fecimus dubitas? DISC. *Vnum est quod adhuc me aliquantulum in ea sollicitat. Nam sæpè habemus potestatem servandi aliquid quæ tamen libera non est, ut aliena vi impedire non possit. Quam obrem cùm dicis quia libertas arbitrij, est potestas servandi rectitudinem voluntatis peropter ipsam rectitudinem, vide ne fortè addendum sit, quod illam potestatem tam liberam designet esse, ut nulla vi superari possit.* MAG. Si potestas servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, aliquando inveniri posset absque illa, quam perspeximus libertate: expediret ut quod dicis adderetur: sed cùm dicta diffinitio sic perfecta sit ex genere & differentijs: ut nec minus aliquid claudat, nec plus quam illa, quam quærimus, libertas: nihil illi addendum aut demendum intelligi potest. Est enim potestas libertatis genus. Quod autem additum est, servandi separat eam ab omni potestate, quæ non est servandi, sicut est potestas ridendi aut ambulandi. Addendo verò, rectitudinem, discernimus eam à potestate servandi aurum & quicquid non est rectitudo. Per additamentum, voluntatis, segregatur à potestate servandi rectitudinem aliarum rerum, ut virgæ, aut opinionis. Per hoc autem quod dictum est, propter rectitudinem ipsam, di-

Libertatis genus & differentia.

viditur

viditur à poteſtate ſervandi rectitudinem voluntatis propter aliud, ut cùm ſervatur propter pecuniam, aut naturaliter. Servat enim naturaliter canis rectitudinem voluntatis cùm amat catulos ſuos, aut Dominum ſuum ſibi benefacientem. Quoniam igitur nihil eſt in hac diffinitione, quod non ſit neceſſarium ad concludendam libertatem arbitrij rationalis voluntatis, & ad alia excludenda, & ſufficienter illa includitur, & alia excluduntur, nec abundans itaque nec indigens eſt hæc noſtra diffinitio. Itané tibi videtur? DISC. *Mihi utique perfecta videtur.* MAG. Dic quoque ſi quid vis amplius de libertate hac, propter quam imputatur illam habenti ſive faciat bonum ſive malum. De hac enim ſola nunc noſter eſt homo.

CAPVT XIV.

Diviſio huius libertatis.

DISCIP.

RESTAT *nunc ut dividas eandem libertatem. Quamvis enim ſecundum hanc diffinitionem communis ſit omni rationali creaturæ vel naturæ, multùm tamen differt illa, quæ Dei eſt, ab illis quæ rationalis naturæ ſunt, & illæ ab invicem.* MAG. Libertas arbitrij, alia eſt à ſe, quæ nec facta eſt, nec ab alio accepta, quæ eſt ſolius Dei: Alia à Deo facta & accepta quæ eſt Angelorum. Facta autem ſive accepta alia eſt habens rectitudinem quam ſervet, alia carens. Habens alia tenet ſeparabiliter alia inſeparabiliter. Illa quidem quæ ſeparabiliter tenet, fuit Angelorum omnium, antequam boni confirmarentur & mali caderent, & eſt omnium hominum ante mortem, qui habent rectitudinem eandem. Quæ verò tenet inſeparabiliter, eſt electorum Angelorum & hominum. Sed Angelorum electorum, poſt reproborum ruinam, & hominum, poſt mortem ſuam. Illa autem quæ caret rectitudine: alia caret recuperabiliter, alia irrecuperabiliter. Quæ recuperabiliter caret, eſt tantùm in hac vita omnium hominum carentium, quamvis illam multi non recuperent. Quæ autem irrecuperabiliter caret, eſt reproborum hominum & Angelorum, ſcilicet Angelorum poſt ruinam: & hominum poſt hanc vitam. DISC. *De diffinitione & diviſione libertatis huius, Deo annuente, mihi ſatisfeciſti: ut nihil queam invenire, quod neceſſe habeam de illis interrogare.*

Libertatis multiplex diviſio.

DIVI BERNARDI

Tractatus de Gratia & Libero Arbitrio.

PROLOGVS.

DOmino Wilhelmo Abbati ſancti Theodorici frater Bernardus. Opuſculum de Gratia & Libero arbitrio, quod illa quâ ſcitis occaſione nuper aggreſſus ſum, eâdem gratiâ adjuvante, peregi ut potui. vereor autem né aut grandia minus dignè locutus inveniar, aut pertractata à pluribus ſuperfluo retractaſſe. Proinde legite illum primus, & ſi judicatis, ſolus: ne ſi proferatur in medium, magis fortè ſcriptoris publicetur temeritas, quàm lectoris ædificetur charitas. Quod ſi palam fieri utile probaveritis, tunc ſi quid obſcurius, dictum adverteritis, quod in re obſcura ſervatâ congruâ brevitate dici planiùs potuiſſet, non ſit vobis pigrum aut emendare per vos, aut mihi reſignare emendandum, ſi fraudari non vultis promiſſione illâ ſapientiæ quæ ait: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* *Eccl.24.31.*

CAP. I. Loquente me coram aliquando, & Dei in me gratiam commendante, quod ſcilicet ab ipſa me in bono & prȩventum agnoſcerem, & provehi ſentirem, & ſeperarem perficiendum: quid tu ergo (ait unus ex circumſtantibus) operaris, aut quid mercedis ſperas, vel præmij, ſi totum facit Deus? quid enim (inquam) tu conſulis! *da*, inquit, *gloriam Deo*, qui gratis te prævenit, excitavit, initiavit, & vive dignè de cætero quo te probes & perceptis beneficijs non ingratum, & percipiendis idoneum. Et ego, bonum, inquam, conſilium das, ſed etſi dederis poſſe teneri. Si quidem non eſt ejuſdem facultatis, ſcire quid faciendum ſit, & facere? quoniam & diverſa ſunt, *cæco ducatum*, ac feſſo præbere vehiculum. *Ioan.9.24.* *Matt.15.14*

Non quicumq; oſtendit viã, prȩbet etiam viaticum itineranti. Aliud illi exhibet qui facit ne deviet, & aliud qui prȩſtat *ne deficiat*

ne deficiat in via. Ita nec quivis dator ſtatim & doctor erit boni quodcumque docuerit. Porrò duo hic ſunt neceſſaria doceri ac juvari. Tu quidem homo rectè conſulis ignorantiæ, ſed (ſi verùm cenſet Apoſtolus) *Spiritus adiuvat infirmitatem noſtram.* Imò verò qui mihi per os tuum miniſtrat conſilium, ipſe mihi neceſſe eſt miniſtret per ſpiritum ſuum adjutorium, quo valeam implere quod conſulis. Ecce enim jam ex ejus munere *velle adiacet mihi, perficere autem non invenio.* Sed nec aliquando me inventurum confido, niſi qui dedit *velle*, det *& perficere pro bona voluntate.* Vbi ergo, ait, ſunt merita noſtra, aut ubi eſt ſpes noſtra? audi, inquam, *non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Quid enim? tu fortè putaveris tua te creaſſe merita, tua poſſe ſalvari juſtitia, qui nec ſaltem *Dominum* IESVM *dicere poteſt, niſi in Spiritu Sancto?* Itane oblitus es qui dixerit: *Sine me nihil poteſtis facere?* & *neque currentis neque volentis, ſed Dei miſerantis eſt?* Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? breviter reſpondeo: ſalvatur, tolle liberum arbitrium non erit quod ſalvetur, tolle gratiam non erit unde ſalvetur. Opus hoc ſine duobus effici non poteſt, uno à quo fit, altero cui vel in quo fit. Deus auctor eſt ſalutis, liberum arbitrium tantùm capax, nec dare illam niſi Deus, nec capere valet niſi liberum arbitrium. Quod ergo à ſolo Deo & ſoli datur libero arbitrio, tam abſque conſenſu eſſe non poteſt accipientis, quàm abſque gratia dantis. Et ita gratiæ operanti ſalutem, cooperari dicitur liberum arbitrium, dum conſentit, hoc eſt, dum ſalvatur, conſentire enim ſalvari eſt. Proinde pecoris ſpiritus ſalutem hujuſcemodi minimè capit, eo quod ille voluntarius conſenſus deſit, quo ſalvanti, videlicet Deo, placidè obtemperet, ſive jubenti acquieſcendo, ſive pollicenti credendo, ſive reddenti gratias agendo. Enim-vero aliud eſt voluntarius conſenſus, aliud naturalis appetitus. Poſterior quippe nobis communis eſt cum irrationalibus, nec valet conſentire ſpiritui, carnis irretitus illecebris. Et fortaſſis ipſe eſt qui alio nomine ab Apoſtolo *ſapientia carnis* appellatur, ubi ait: *ſapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt.* Hunc ergo, ut dixi, communem habentes cum beſtijs, conſenſus voluntarius nos diſcernit. Eſt enim habitus animi liber ſui; ſiquidem non cogitur non extorquetur. Eſt quippe

Rom.8.26. *Duo neceſſaria ad bonè agendum, ſcientia & gratia adiutorium.*

Rom.7.18. *Philip.2.13* *Tit.3.5.* *1.Cor.12.3.* *Ioan.15.5.* *Rom.9.16.*

Gratia & liberi arbitrij conſenſio.

Conſenſus voluntarius & naturalis appetitus diſcrimen.

Rom.8.7.

voluntatis, non neceſſitatis. Nec negat ſe nec prebet cuiquam, niſi ex voluntate, alioquin ſi compelli valet invitus, violentus eſt, non voluntarius, ubi autem voluntas non eſt, nec conſenſus. Non eſt enim conſenſus, niſi voluntarius; ubi ergo conſenſus, ibi voluntas; porrò ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc eſt quod dici puto liberum arbitrium.

CAP. 2. Sed ut manifeſtiùs fiat quod dicitur, & competentiùs ad id quod volumus veniamus, paulò altiùs æſtimo repetendum. In rebus naturalibus non idem eſt vita quod ſenſus, non ſenſus quod appetitus, nec ille quod conſenſus. Quod ex ſingulorum definitionibus clariùs elucebit. Eſt enim in quolibet corpore vita, internus ac naturalis motus, vigens tantùm intrinſecus. Senſus verò vitalis in corpore motus, vigens & extrinſecus. Appetitus autem, naturalis vis in animante movendis avidè ſenſibus attributa. Verùm conſenſus nutus eſt voluntatis ſpontaneus, vel certè (quod ſuperiùs dixiſſe me memini) habitus animi libet ſui. Porrò voluntas eſt motus rationalis, & ſenſui præſidens & appetitui. Habet ſanè quocumque ſe voluerit ſemper rationem comitem, & quodammodo pediſſequam: non quod ſemper ex ratione, ſed quod nunquam abſque ratione moveatur, ita ut multa faciat per ſe ipſam contra ipſam, hoc eſt, quaſi per ejus miniſterium, contra ejus conſilium ſive judicium. Unde eſt illud: *Prudentiores ſunt filij huius ſæculi, filijq; lucis in generatione ſua.* Et rurſum: *Sapientes ſunt ut faciant mala.* Neque enim prudentia ſeu ſapientia ineſſe creaturæ poteſt vel in malo, niſi utique per rationem. Eſt verò ratio data voluntati ut inſtruat illam, non deſtruat. Deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ei ullam imponeret, quo-minus liberè pro arbitrio ſeſe voluerit, ſive in malum conſentiens appetitui, aut nequam ſpiritui, ut ſi *animalis non percipiens*, vel certè & perſequens *ea quæ ſunt ſpiritus Dei*: ſive ad bonum gratiam ſequens, & fiat *ſpiritualis*, quæ *omnia dijudicans ipſa minime iudicetur.* Si, inquam, horum quodlibet prohibente ratione voluntas non poſſet, voluntas jam non eſſet. Ubi quippe neceſſitas, jam non voluntas, quod ſi ex neceſſitate, & abſque conſenſu propriæ voluntatis mala bonavé fieri poſſent rationalis creatura aut miſera profectò eſſe nullâ ratione deberet, aut beata penitùs eſſe non poſſet: cui nimirùm in utravis parte id de-

Conſenſus liber & voluntas quid ſit.

Ratio non imponit voluntati neceſſitatem.

Luc.16.8.

Hier.4.22.

1.Cor.2.9.

Ibid. 15.

id deesset, quod solùm in ea miseriæ suæ beatitudinis capax est, id est, voluntas. Cætera si quidem quæ suprà memorata sunt vitæ, sensus, vel appetitus, nec miserum per se faciunt, nec beatum. Alioquin & arbores & vita, & pecudes etiam ex reliquis duobus, vel miseriæ possent esse obnixæ, vel idoneæ beatitudini, quod omninò impossibile est. Communem itaque habentes vitam quidem cum arboribus sensum verò & appetitum, & æquæ vitam cum pecoribus, id quod dicitur voluntas, nos ab utrisque discernit. Cujus voluntatis consensus (utique voluntarius non necessarius) dum aut justos probat, aut injustos, etiam meritò beatos facit vel miseros. Is ergo talis consensus ob voluntatis, inamissibilem libertatem, & rationis quod semper secum portat & ubique, indeclinabile judicium, non incongruè dicitur (ut arbitror) liberum arbitrium, ipse liber sui, propter voluntatem: ipse judex sui, propter rationem. Et meritò libertatem comitatur judicium, quoniam quidem quod liberum sui est, profectò ubi peccat, ipse se judicat. Est autem judicium, quia justè profectò, si poterat, patitur quod nolit, qui non peccat nisi velit. Cæterùm quod sui liberum non esse cognoscitur, quo pacto vel bonum ei, vel malum imputatur? Excusat nempè utrumque necessitas. Porrò ubi necessitas, ibi libertas non est: ubi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec judicium. Excepto sanè per omnia originali peccato, quod aliam constat habere rationem. De cætero quicquid hanc non habet voluntarij consensus libertatem, procul dubio & merito caret, & judicio. Proinde universa quæ sunt hominis præter solam voluntatem, ab utroque libera sunt, quia sui libera non sunt. Vita, sensus, appetitus memoria, ingenium, & si qua talia sunt, eo ipso subjacent necessitati, quo non planè subdita sunt voluntati. Ipsam verò quia impossibile est de se ipsa sibi non obedire (nemo quippe non vult quod vult, aut vult quod non vult) etiam impossibile est suâ privari libertate. Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem, ut nunquam amittat libertatem. tam ergo non potest privari illa, quàm nec se-ipsa, si poterit homo aliquando aut nihil omninò velle, aut velle aliquid, & non voluntate, poterit & carere libertate voluntas. Hinc est quod insanis vel infantibus, itemque dormientibus, nihil quod faciunt vel bonum malum imputatur: quia nimirùm sicut suę non sunt com

Miseria & beatitudinis capax est sola natura rationalis.

Liberum arbitrium.

Sola voluntas libera.

potes

potes rationis, sic nec usum retinent propriæ voluntatis, ac per hoc nec judicium libertatis. Cùm igitur voluntas nil liberum habeat nisi se, meritò non judicatur nisi ex se. siquidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietas appetitùs, nec sensus obtusus, nec vita languens, reum per se statuunt hominem, sicut nec contraria innocentem, & hoc non ob aliud nisi quia hæc necessariæ ac præter voluntatem posse provenire probantur. Sola ergo voluntas quoniam pro sui ingenita libertate aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire, nullâ vi, nullâ cogitur necessitate: non immeritò justam, vel injustam, beatitudine seu miseriâ dignam ac capacem creaturam constituit, prout scilicet justitiæ injustitiæve consenserit.

CAP. 3. Quapropter hujusmodi voluntarium liberumque consensum, ex quo & omne sui (ex his quæ prædicta sunt) constat pendere judicium: puto non incongruè, ut suprà definivimus, esse quod solet liberum arbitrium appellari, ut liberum referatur ad voluntatem, arbitrium ad rationem, sed sanè liberum non illâ libertate de qua dicit Apost: *Vbi spiritus Domini ibi libertas.* Est enim illa libertas à peccato, sicut alibi dicit: *Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ, nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo, & habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Quis verò in *carne peccati* à peccato sibi vindicat libertatem? hâc ergo libertate meritò nequaquam dictum arbitror liberum arbitrium. Est item libertas à miseria, de qua idem Apost: *Et ipsa*, inquit, *creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Sed nunquid & istam sibi quispiam in hac mortalitate præsumit? Et hac itaq; liberũ nominari arbitriũ, non immeritò abnuimus. Est verò quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere possumus à necessitate, eoquod necessarium voluntario contrarium esse videatur. Siquidem quod ex necessitate fit, non jam ex voluntate, & è converso similiter.

Libertas à peccato. 2. Cor. 3. 17.

Rom. 6. 20. & 22.

Libertas à miseria. Rom. 8. 21.

Libertas à necessitate.

Cùm igitur prout interim potuit occurrere nobis triplex sit nobis proposita libertas, à peccato, à miseria, à necessitate: hanc ultimo loco positum contulit nobis in conditione nostra natura, in prima restauramur à gratia media nobis reservatur in patria. Dicitur igitur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ. Primò nempe in liberam voluntatem, ac voluntariam libertatem conditi sumus

Libertas naturæ, gratiæ, gloriæ.

nobilis

nobilis Deo creatura. Secundò reformamur in innocentiam
2.Cor.5.17 *nova in Christo creatura.* Tertiò sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima ergò libertas habet multum honoris, secunda plurimum etiam virtutis, novissima cumulum iucunditatis. Ex primâ quippè præstamus cæteris animantibus in secundâ carnem, per tertiam mortem subijcimus. Vel certè sicut in primâ *subiecit Deus sub pedibus nostris oves & boves & pecora campi:* ita quoque per secundam spirituales bestias huius aëris (de quibus dicitur: *ne tradas bestijs animas confitentes tibi*) prosternit æquè & conterit sub pedibus nostris, in vltimo tandem nos ipsos nobis plenius submissurus super victoriam corruptionis & mortis, quandò scilicet novissimâ die destruetur mors, & nos transibimus *in libertatem gloriæ filiorum Dei. Qua libertate Christus nos liberabit, cùm* nos vtique *tradet regnum Deo & Patri.* De hac enim & item de illa quam diximus à peccato, puto quod Iudæis aiebat: *si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Liberum arbitrium liberatore indigere significabat, sed planè qui illud liberaret non à necessitate, quam voluntatis esse penitùs non noverat, sed à peccato, in quod tam liberè quàm voluntariè corruerat: simulq; à pœna peccati quam incautum incurrerat, invitumque ferebat. Quo vtroque malo liberari omninò non poterat, nisi per illum qui solus hominum factus est *inter mortuos liber, liber* videlicet à peccato inter peccatores. Solus namque inter filios Adam libertatem sibi vindicat à peccato, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* Porrò & à miseriâ quæ est pœna peccati, habuit nihilominùs libertatem, sed potentia non actu, *Nemo* quippè *tollebat animam eius ab eo, sed ipse ponebat eam.* Denique teste Propheta, *oblatus est quia ipse voluit:* sicut & cùm voluit *natus ex muliere, factus sub lege; vt eos qui sub lege erant redimeret* fuit itaque & ipse *sub lege* miseriæ, sed fuit quia voluit, vt *liber* inter miseros & peccatores vtrumque iugum fraternis à cervicibus excuteret. Habuit itaque totas tres libertates primam ex humanâ simul & divinâ naturâ, reliquas ex divinâ potentiâ. Quarũ duas posteriores vtrùm & primus homo in paradiso habuerit, vel quomodò & quatenùs eas habuerit, posteà videbimus. Hoc autem indubitanter sciendum, vtramque plenam & perfectam perfectis inesse animabus carne solutis, cum Deo pariter & Christo eius atque angelis supercœlestibus. Nam sanctis animabus, etsi nondùm corpora recepe-

Pſal.8.8.

Pſal.73.19

Rom.8.21. Gal.4.31. 1.Cor.15. 24.

Ioan.8.36.

Pſal.87.6.

1.Pet.2.24

Ioan.10.18

Eſa.53.7. Galat.4.4. & 5.

Christus liber à peccato, à miseria & à necessitate.

runt, deest quidem de gloriâ, sed nihil prorsùs inest de miseriâ. Verùm libertas à necessitate, æquè & indifferenter Deo. Vniversæque tàm bonæ quam malæ rationali convenit creaturæ. Nec peccato nec miseriâ amittitur vel minuitur, nec maior in iusto est quam in peccatore, nec plenior in angelo quam in homine. Quomodò namque ad bonum conversus per gratiam humanæ voluntatis consensus, eo libere bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur, non invitus pertrahitur: sicut sponte devolutis in malum, in malo nihilominus tam liberum quam spontaneum constituit suâ vtique voluntate dictum, non aliundè coactum vt malus sit. Et sicut cœlestis angelus, aut etiam Deus ipse permanet libere bonus propriâ videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate: sic profectò diabolus æquè libere in malum & corruit & perstitit suo vtique voluntario nutu, non alieno impulsu manet ergò libertas voluntatis, vbi etiam sit captivitas mentis, tam plena quidem in malis, quam & in bonis, sed in bonis ordinatior. Tam integra quoque pro suo modo in creatura quam in creatore, sed in illo potentior. Quod autem homines solent conqueri & dicere: volo habere bonam voluntatem & non possum: nequaquam huic præscribit voluntatis libertati, vt quasi vim ac necessitatem in hac parte patiatur voluntas, sed planè illâ libertate quæ dicitur à peccato, se carere testantur. Nam qui vult habere bonam voluntatem, probat se habere voluntatem. Non enim vult habere bonam nisi per voluntatem. Quod si voluntatem & libertatem à necessitate, non à peccato, nempe vt non valeat cùm velit habere bonam, sentit quidem sibi deesse libertatem, sed profectò libertatem à peccato, quo vtique dolet premi non perimi voluntatem. Quanquam iam procul dubio vtcumque bonam habet, vbi habere vult. Bonum quippe est quod vult nec posse bonum velle nisi bona voluntate: sicut nec velle malum nisi malâ voluntate. Cùm bonum volumus bona est voluntas: cùm malum, mala voluntas. Vtrobique voluntas, & vbique libertas, cedit siquidem voluntati necessitas. Cùm autem non valemus quod volumus, sentimus quidem ipsam quodammodò libertatem peccato esse captivam, vel miseram, non tamen amissam.

Libertas à necessitate Deo, & omni creatura rationali æque convenit.

CAP 4. Ex hâc ergò tantum libertate quâ liberum est voluntati, seipsam iudicare, vel bonam si bono: vel malam si malo con-

consenserit, quippè quæ in neutro nisi certè volendo consentire se sentit liberum arbitrium credimus nominari, nam ex illâ quæ dicitur à peccato, congruentius sortitur liberum consilium, & item ex illâ quæ dicta est à miseriâ, liberum potiùs complacitum posset dici quam liberum arbitrium. quippe iudicium est, sicut verò iudicii est discernere quod liceat, quod non liceat: sic profectò consilij probare quod expediat, vel non expediat: sic complaciti quoque experiri quod libeat vel non libeat. Vtinam tam liberè nobis consuleremus, quàm liberè de nobis iudicamus: vt quemadmodùm liberè per iudicium licita illicitaque decernimus, ità per consilium & licita tanquam commoda nobis eligere, & illicita tanquã noxia respuere liberum haberemus. Iam enim non solùm liberi arbitrij sed & liberi procul dubio consilii, ac per hoc & à peccato liberi essemus. Sed quid si totum solumque quod expediret, vel liceret, etiam luberet? Nonne liberi quoque esse complaciti merito diceremur, quippe qui ab omni proindè quod displicere potest, hoc est, ab omni nos miseriâ liberos sentiremus? Nunc autem cùm multa per iudicium vel admittenda vel omittenda esse decernamus, quæ tamen per consilium nequaquam pro iudicii rectitudine aut eligimus, aut contemnimus: rursumq; non omnia quæ tanquam recta & commoda consultè obseruamus, etiam vt benè placita libenter amplectimur, sed insuper quasi dura ac molesta vix æquanimiter ferre perduramus, liquet quia liberum nec consilium habemus nec beneplacitum. Alia quæstio est, si vel ante peccatum in primo homine habuimus, quod loco suo discutietur: certissimè autem habituri sumus, cum Deo miserante obtinebimus quod oramus? *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Hoc namque complebitur quando id quod nunc cunctæ passim rationali (vt iã dictum est) creaturæ commune videtur, liberum scilicet à necessitate arbitrium erit etiam in electis hominibus, vt iam in sanctis est angelis, & cautum à peccato, & tutùm à miseriâ: probantibus tandem triplicis libertatis fœlici experientiâ, *quæ sit bona voluntas Dei, ac beneplacens & perfecta.* Quod quia necdùm est, sola interim plena integraque manet in hominibus libertas arbitrii. Nam libertas consilij ex parte tantum, & hoc in paucis spiritualibus, qui *carnem crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*: quatenùs iam *non regnet peccatum in eorum mortali corpore*: porrò vt *non regnet*;

Differunt libertas arbitrii, libertas consilij, & libertas complaciti.

Mat. 6. 10.

Rom. 12. 2.

Libertas à peccato non est plena in homine viatore, sed in beatis.

Galat. 5. 24

Rom. 6. 12.

libertas facit consilii. Vt tamen non desit ex integro, captivitas est liberi arbitrij. *Cum autem venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est.* Hoc est, cùm plena libertas fuerit consilii, nulla iã erit captivitas arbitrij. Et hoc est quod quotidiè petimus in oratione, cùm dicimus *adveniat regnum tuum. Regnum* hoc necdum ex toto pervenit in nos. Quotidiè tamen paulatim *adventat*, sensimque in dies magis ac magis dilatat terminos suos: in his duntaxat quorum per Dei adiutorium *interior homo renovatur de die in diem.* In quantũ ergò regnũ gratiæ dilatatur, in tantùm peccati potestas minuitur. In quantũ verò minus est adhuc propter *corpus mortis quod aggravat animam*, & ob necessitatem *terrenæ inhabitationis* vtique *deprimentis sensum multa cogitantem:* necesse habent etiam qui perfectiores in hâc mortalitate videntur, confiteri & dicere: *in multis offendimus omnes: & si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quâ propter errant & ipsi sine intermissione dicentes: *adveniat regnum tuum.* Quod non erit vel in ipsis consummatum, quousque *peccatum* non solùm *non regnet in eorum mortali corpore*, sed nec sit omninò, nec esse possit in immortali iam corpore. Iam de libertate complaciti in hoc *seculo nequam*, quid dicemus, vbi vix *sufficit diei malitia sua:* vbi *omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc: vanitati* nimirùm *subiecta non volens:* vbi *vita hominis tentatio est super terram*: vbi viri quoque spirituales qui *primitias spiritus* iam acceperunt, *ingemiscunt & ipsi intra semetipsos exspectantes redemptionem corporis sui?* Nunquid nam inter ista locus vllus est huiusce modi libertati? Quid, inquam, liberum nostro relinquitur complacito, vbi totum occupare videtur miseria? Neque enim vel innocentia seu iustitia quemadmodum à peccato, ità etiam à miseria tutæ esse hic poterunt vbi iustus exclamat: *infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et item *facta sunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte.* Vbi noctes dieſque in mœrore continuantur, nullum profectò temporis spatium, complacito vacuum relinquitur. Denique *qui piè volunt vivere in Christo*, ipsi magis *persecutionem patiuntur*, quoniam *iudicium à domo Dei incipit.* Quod & præcepit: *à meis inquiens incipite.* Sed etsi non virtus, vitium fortè in tuto est, & aliqua interim ex parte frui potest complacito, cavere miseriam? Absit, nam *qui lætantur cum malè fecerint & exultant in rebus pessimis:* tale est quod faciunt, quale cùm rident Phrenetici

1.Cor.13. 10.
Mat.6.10.
2.Cor. 4. 16.
Sap.9.15.
Iacob. 3.2. 1.Ioan.18.
Mat.6. 10. Rom.6.12.
Mat. 6.34. Rom.8. 22. Ibid.20. Iob.7.1. Rom. 8.23.
Rom. 7.24. Psal. 41.4.
2.Tim.3.12
1.Pet.4.17 Ezech.9.6.
Prov. 2.8

† Fortè erant.

Libertas à miseria in nemine post peccatum invenitur.

tici. Nulla autem verior miseria, quam falsa lætitia. Denique in tantum miseria est quod videtur fœlicitas in hoc seculo, vt sapiens dicat: *melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivij.* Eccl. 7. 43. Est quidem in bonis corporalibus nonnulla iucunditas, videlicet in edendo, bibendo, calefaciendo, cæterisque talibus fomentis vel tegumentis carnis. Sed nunquid vel ista vacant aliquatenus à miseriâ? Bonus est panis, sed esurienti. Potus delectat, sed sitientem. Denique saturato cibus potusque iam nequaquam sunt grata, sed gravia. Tolle famem, & panem non curabis. Tolle sitim & limpidissimum fontem, acsi paludem respicies. Similiter vmbram non quærit nisi æstuans. Solem non curat nisi algẽs, sive caligans. Alioquin nihil horum libebit si non præcesserit vrgens necessitas. Quæ si perfectè tollatur è rebus: statim in tædium atque molestiam convertetur ipsa quoque quæ videtur in his esse iucunditas. Fatendum igitur & in hâc parte, omne quod præsentis vitæ est, occupare miseriam. Nisi quod in tribulationibus cõtinuis graviorum laborum leviores vtique sunt qualescunque consolationes: & dùm fortè pro tempore ac rerum eventibus vicissim sibi gravia leviaque succedunt, minorum experientia, aliqua miseriæ videtur interpolatio: vt dum aliquandò post experta plura gravissima in minus forte molesta evaditur, fœlicitas putetur. An tamen fatendum est eos qui per excessum contemplationis rapti quandoque in spiritu quantulumcumque de supernæ fœlicitatis dulcedine degustare sufficiunt, totiens eos esse liberos à miseriâ, quotiens sic excedunt? Hi planè (quod negandum non est) etiam in hâc carne (raro licet raptimque) complaciti libertate fruuntur: qui cum *Maria optimam partem elegerunt, quæ non auferetur ab eis.* Luc. 10. 42. Qui autem iam tenent quod auferendum non est, experiuntur vtique quod futurum est. Sed quod futurum est, fœlicitas est. Porrò fœlicitas & miseria eodem tempore simul esse non possunt. Quotiens igitur per spiritum illâ participãt, totiens istam non sentiunt. Itaque in hâc vitâ soli comtemplativi possunt vtcumque frui libertate complaciti, & hoc ex parte, & parte satis modica, viceque rarissimâ. Porro libertate consilii fruuntur etiam quilibet iusti: ex parte quidem, sed non modica: Cæterum libertas arbitrii (vt supra liquidè apparuit) cunctis pariter ratione vtentibus convenit: non minor quantum in

Contemplativi in excessu mentis libertate à miseria quo dam tenus fruuntur.

se est malis, quam in bonis: tam plena in hoc seculo, quam & in futuro. Sed & hoc aperte monstratum esse puto quod hæc ipsa tamen libertas tamdiù quodammodò captiva tenetur, quamdiù illam duæ aliæ libertates minimæ aut minus plenæ comitantur: nec aliundè noster ille defectus venit de quo Apostolus: *vt non quæcunque vultis*, ait, *illa faciatis*. Velle siquidem inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse quod volumus. Non dico velle bonum aut velle malum sed tantum velle. Velle enim bonum, profectus: velle malum, defectus. Velle verò simpliciter ipsum est quod vel proficit vel deficit. Porrò ipsum vt esset, creans gratia fecit. Vt proficiat salvans gratia facit, Vt deficiat, ipsum se deiicit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos. Ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle. Quemadmodùm namq; aliud est timere simpliciter, aliud timere Deum, & aliud amare simpliciter, aliud est amare Deum: quippe timere & amare simpliciter quidem prolata, affectiones, cum additamento autem virtutes significant: ita quoque aliud est velle, aliud velle bonum. Simplices nempè affectiones insunt naturaliter nobis tanquam ex nobis, additamenta ex gratia. Nec aliud profectò est nisi quod gratia ordinat quas donavit creatio, vt nihil aliud sint virtutes nisi ordinatæ affectiones. Scriptum est de quibusdam, quod *illic trepidassent timore vbi non erat timor*. Timor fuit, sed inordinatus. Ordinare illum volebat Dominus in discipulis, cùm diceret: *Ostendam vobis quem timere debeatis*. Et David *venite*, ait, *filij audite me, timorem Domini docebo vos*. Item de amore inordinato arguebat homines, qui dicebat: *ego lux veni in hunc mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*. Idcircò postulat sponsa in canticis, dicens: *ordinate in me charitatem*. Similiter quoque de inordinatâ voluntate arguebantur, quibus dicebatur: *nescitis quid petatis*. Sed ad lineam rectitudinis edocti sunt distortam reducere voluntatem, cùm audierunt: *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Et tunc quidem verbo, sed post modum etiam exemplo voluntatem ordinare docebat, cùm orans instante passione vt *transferretur ab eo calix*, statim subiiceret verum tamen, *non quod ego volo, sed quod tu vis*.

Velle est nobis ex libero arbitrio, sed bonum velle ex gratia.

Virtutes sunt ordinatæ affectiones.

Psal. 13. 5.

Psal. 33. 12

Ioan. 3. 19.

Cant. 2. 4.

Mat. 10. 38

Ibid.

Mat. 26.

CAP. 5. A Deo igitur velle, quomodo & timere, quomodò & amare, accepimus in conditione naturæ, vt essemus aliqua creatura. Velle autem bonum, quomodo & timere Deum, quo-

quomodo & amare Deum, accepimus in visitatione gratiæ, vt simus *Dei creatura*. Creati quippe quodammodò nostri in liberam voluntatem, quasi Dei efficimur per bonam voluntatem, porrò bonam facit, qui liberam fecit, & ad hoc bonam *vt simus initium aliquod creaturæ eius*: quoniam expedit profectò nobis magis omninò non fuisse, quam nostros perviavere.

Iacob. 1. 18. Gen. 3. 5. Nam qui voluerunt sui esse, vtique *sicut dij scientes bonum & malum*: facti sunt non tantùm iam sui, sed & diaboli. Itaque libera voluntas nos fecit nostros, mala diaboli, bona Dei. Ad hoc pertinet quod dicitur: *novit Dominus qui sunt eius*. Nam illis qui eius non sunt, *Amen dico vobis* inquit, *nescio vos*.

2. Tim. 2. 19. Mat. 15. 11. Mat. 6. 24. Dùm ergò per malam voluntatem sumus diaboli quodammodo interim non sumus Dei, sicut cùm per bonam efficimur Dei desivimus iam esse diaboli: *nemo* siquidem *potest duobus dominis servire*. Cæterum sive Dei sumus, sive diaboli, non tamen similiter desinimus esse & nostri. Manet quippè vtrobique libertas arbitrij, per quam maneat & causa meriti, quatenus meritò vel puniamur mali, quod tanquam liberi ex propria voluntate efficimur, vel glorificemur boni, quod nisi æquè voluntarii esse non possumus. Sanè diabolo nostra non mancipat voluntas, non ipsius potestas. Deo subiicit eius gratia, non nostra voluntas. Nostra quippe voluntas bona (quod fatendum est) à bono Deo creata, perfecta tamen non erit quousque suo creatori perfectè subiecta sit. Absit tamen vt ipsi sui ipsius perfectionem: Deo autem tantùm creationem tribuamus: cùm longè nimirùm melius sit esse perfectam, quam factam, & dictu ipso nefas videatur, Deo quod minus, nobis quod excellentius sit attribuere. Sentiens denique Apostolus quid ex natura esset, quid ex gratia exspectaret,

Rom. 7. 18. aiebat, *velle adiacet mihi, perficere non invenio*. Sciebat profectò, *velle* quidem sibi ineſse ex libero arbitrio: sed vt ipsum vel perfectum haberet, gratiam se habere necessariam. Si enim velle malum, defectus quid est voluntatis, vtique bonum velle, profectus eiusdem erit: sufficere verò ad omne quod volumus bonũ, ipsius perfectio. Vt ergò velle nostrum, quod ex libero arbitrio habemus, perfectum habeamus, duplici gratiæ munere indigemus, & verò videlicet sapere, quod est voluntatis ad bonum conversio: & pleno etiam posse, quod est eiusdem in bonum confirmatio. Porrò perfecta conversio est ad bonum, vt nihil libeat nisi deceat vel liceat: perfecta in bono confirmatio, vt nil desit iam quod libeat tunc demum

Libera voluntas nos facit nostros mala diaboli, bona Dei.

Voluntas bona à Deo.

Ad perfectè velle necessaria sunt velum sapere & plenum posse.

perfecta erit voluntas, cum plenè fuerit bona, & bene plena. Habet siquidem duplex in se bonum ab initio sui. Vnum quidem generale ex sola creatione, quod à bono scilicet Deo non potuit creari, nisi bona: secundum quod *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Alterum speciale ex libertate arbitrii, in qua *ad imaginem* vtique ipsius qui creavit, est condita. Quodsi duobus his bonis accedat & tertium, conversio scilicet ad creatorem, reputabitur non immerito perfectè bona. Bona nimirùm in vniversitate, melior in suo genere, optima ex sui ordinatione ad Deum. Est autem ordinatio omnimoda conversio voluntatis ad Deum, & ex tota se voluntaria devotaque subiectio. Huic vero tam perfectæ iustitiæ debetur, imo iungitur gloriæ plenitudo, quia sic se comitantur duo ista, vt nec iustitiæ possit haberi perfectio nisi in plena gloria, nec gloriæ plenitudo absque perfecta iustitia. Merito denique talis iustitia non erit sine gloria, cum gloria vera non sit nisi de tali iustitia. Vndè rectè dicitur: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Hæc autem sunt illa duo quæ supra nominavimus, verum sapere, & plenum posse: vt sapere ad iustitiam, posse referatur ad gloriam. Sed verum & plenum addita sunt: alterum ad distinctionem *sapientiæ carnis, quæ mors est*, itemque *sapientia mundi, quæ stultitia est apud Deum*, quâ & sapientes apud semetipsos sunt homines: *sapientes*, inquam, *vt faciant mala*, alterum ad illorum differentiam, de quibus dicitur: *potentes potenter tormenta patientur.* Nam verum sapere, aut plenum posse, omnino non inveniuntur, nisi vbi libero arbitrio iam illa duo coniuncta sunt, quæ item superius memoravimus, liberum videlicet consilium, liberumque complacitum. Solùm profecto dixerim verè sapientem, pleneq; potentem cui iam non tantùm *velle adiacet* ex libero arbitrio, sed ex reliquis quoque duobus *invenit & perficere*, dùm nec velle valeat quod malum sit, nec carere quod velit, quorum alterum est ex libertate consilii, id est verum sapere: alterum ex libertate complaciti, scilicet plenum posse. Sed quis talis est ac tantus in hominibus qui in hoc glorietur? Aut vbi & quando istud obtinetur? Nunquidnam in hoc seculo? Sed si quis esset huiusmodi maior esset Paulo, qui confitetur dicens: *perficere autem non invenio.* Nunquid Adam in paradiso? Sed si habuisset, nunquam exulasset à paradiso.

Voluntatis interni bonum triplex — *Gen 1.31.*

Iustitia & gloria plenitudo separari non possunt. — *Mat. 5.6.* — *Rom. 8.6.* — *1.Cor.3.19* — *Hier.4.22.* — *Sap.6.7.* — *Rom. 7.18.*

Nunc

Nunc locus est pervidendi quod supra distulimus, vtrùm scilicet totas tres libertates illas quas suprà diximus, id est, arbitrii, consilii, complaciti; vel aliis nominibus, à necessitate, à peccato, à miseriâ, primi homines habuerunt in paradiso, aut tantùm duas aut vnam solummodò. Et de primâ quidem quæstio nulla erit, si meminerimus quàm apertè & iustis eam & peccatoribus inesse æqualiter, ratio superior edocuerit. De duabus reliquis quæritur non immeritò an vnquã eas Adam habuerit, aut ambas, aut vnam. Nam si nullam habuit, quid amisit? Arbitrii vtique libertatem tam post peccatũ quam ante semper tenuit inconcussam. Si ergò nihil amisit, quid ei obfuit eiectum fuisse de paradiso? Quid si vnam quamlibet illarum habuit, quomodo amisit? Nam certum est quia ex quo peccavit, nec à peccato prorsùs nec à miseriâ manens in corpore liber fuit. Cæterùm nullatenùs quamcumq; illarum semel acceperit amittere potuit. Alioquin perfectum nec sapere, nec posse iuxtà quod quidem duo hæc superiùs definita sunt, habuisse convincitur. Qui nimirũ & velle potuit quod non debuit, & recipere quod noluit, an dicendus est aliquo quidem modo illas habuisse, sed quia non plenarie potuisse amittere? Habet siquidem vnaquæq; illarum duos gradus, superiorem & inferiorem. Superior libertas consilii, est non posse peccare: inferior, posse non peccare. Item superior libertas complaciti, non posse turbari: inferior posse non turbari: Itaq; inferiorem vtriusq; libertatis gradum simul cum plena libertate arbitrii homo in sui conditione accepit, & de vtroq; corruit cùm peccavit. Corruit autem de posse non peccare, in non posse non peccare, amissa ex toto consilii libertate. Itemq; de posse non turbari, in non posse non turbari, amissa ex toto complaciti libertate. Sola remansit ad pœnam libertas arbitrij, per quam vtiq; cæteras amisit, ipsam tamen amittere non potuit. Per propriam quippe voluntatem servus peccati factus, merito perdidit libertatem consilij. Porrò per peccatum factus debitor mortis, quomodò iam libertatem valebat retinere complaciti? De tribus ergo libertatibus quas acceperat, abutendo illa quæ dicitur arbitrii, reliquis sese privavit. In eo autem abusus est quod illam cùm accepisset ad gloriam, convertit sibi in contumeliam, iuxtà testimonium scripturæ dicentis. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Soli inter animantia

Libertatis à peccato & miseria duplex gradus, superior & inferior, & qua libertas amissa per peccatum.

Psal. 48.

mantia datum est homini posse peccare, ob prærogativam liberi arbitrii. Datum autem non vt proindè peccaret, sed vt glorioſior inde appareret ſi non peccaret cùm peccare poſſet. Quid namq́; glorioſiùs ei eſſe poterat, quâ ſi de ipſo diceretur quod ſcriptura perhibet dicens: *quis eſt hic, & laudabimus eum?* Eccl. 31. c. Vndè ità laudandus: *fecit enim mirabilia in vita ſua.* Quæ? *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit.* Ibid. Hunc ergo honorem quamdiù abſque peccato fuit, ſervavit: amiſit cùm peccavit. Peccavit autem quia liberum ei fuit. Nec aliundè profecto liberum, niſi ex libertate arbitrii, de quâ vtiq; inerat ipſi poſſibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, ſed abutentis, qui ipſam videlicet facultatem convertit in vſum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etſi peccavit ex poſſe quod accepit, non tamen quia potuit, ſed quia voluit. Nec enim prævaricante diabolo & angelis eius etiam alij prævaricati ſunt, non quia non potuerunt, ſed quia noluerunt. Peccantis igitur lapſus, non dono adſcribendus eſt poteſtatis, ſed vitio voluntatis. Lapſus tamen ex voluntate, non æque ex voluntate reſurgere iam liberum habet, quia etſi datum fuit voluntati poſſe ſtare ne caderet, non tamen reſurgere, ſi caderet. Non enim quis tam facilè poteſt exire de fovea, quam facilè in eam labi. Cecidit ſua voluntate homo in foveam peccati, ſed non ex voluntate ſufficit & poſſe reſurgere, cùm iam etſi velit, non poſsit non peccare. Quid ergo? Perit liberum arbitrium, quoniam non poteſt non peccare? Nequaquam, ſed liberum perdidit conſilium, per quod priùs habebat poſſe non peccare: quomodo & quod iam non valet vtique non turbari inde miſero accidit, quod complaciti quoque libertatem amiſerit: per quam & ante habuit poſſe non turbari. Manet ergò etiam poſt peccatum liberum arbitrium: etſi miſerum tamen integrum. Et quod ſe per, ſe homo non ſufficit excutere à peccato ſiue miſeria: non liberi arbitrii ſignat deſtructionem, ſed duarum reliquarum libertatum privationem. Neque enim ad liberum arbitrium (quantùm in ſe eſt) pertinet aut aliquando pertinuit poſſe vel ſapere, ſed tantum velle, nec potentem facit creaturam, nec ſapientem, ſed tantùm volentem. Non ergo ſi potens aut ſapiens, ſed tantùm ſi volens eſſe deſierit, liberum arbitrium amiſiſſe putanda erit. Vbi enim non eſt voluntas, nec libertas, non dico ſi velle bonum, ſed ſi velle omnino creatura

Homo lapſus non poteſt per ſe à peccato reſurgere, nec omne peccatum cavere.

ra fatendum sine contradictione, vbi non iam ex voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas periit, etiam liberũ deperire arbitrium. Quod si velle bonum tantum perit, signum est quod ei defit liberum non arbitrium, sed consilium. Si autem non quidem velle, sed ad id quod iam vult bonum, ei posse defuerit, noverit sibi deesse liberum complacitum, non liberum periisse arbitrium. Si ergo liberum arbitrium ita vbique sequitur voluntatem, vt nisi illa penitus esse desinat, isto non careat voluntas: vero sicut in bono, ita etiam in malo æque perdurat: æque profecto & liberum arbitrium tam in malo quam in bono integrum perseverat. Et quomodo voluntas etiam posita in miseria, non desinit esse voluntas, sed dicitur & misera voluntas, sicut & beata voluntas: ità nec liberum arbitrium destruere, sive quantùm in se est aliquatenus imminuere poterit quæcumque adversitas vel necessitas. Sed licet vbique pariter sine sui diminutione perduret, non tamen pariter sicut de bono potuit per se in malum corruere, ità quoque per se de malo in bonum poterit respirare. Et quid mirum si iacens non valet per se resurgere, quod stans in aliquod melius nullo suo conatu valebat proficere? Denique dùm adhuc duas alias libertates ex aliqua parte secum haberet, non potuit de inferioribus illarum gradibus ad superiora ascendere, hoc est de posse non peccare, & de posse non turbari, ad non posse peccare, & non posse turbari. Quod si libertatibus illis etiam vtcumque adiutum non prævaluit tamen de bono in melius se extendere, quantò minus iisdem prorsùs destitutum, de malo iam in id quod fuit bonum poterit per se ipsum emergere? Habet igitur homo necessariam *Dei virtutem*, *& Dei sapientiam christum*, qui ex eo quod *sapientia* est, verum ei sapere reinfundat in restaura-
1. Cor. 1. 24 tionem liberi consilij; & ex eo quod *virtus* est plenum posse restituat in reparationem liberi complaciti; quatenùs ex altero perfectè bonus, peccatum iam nesciat, ex altero plenè beatus nil adversum sentiat. Sed sanè ista perfectio in futura vita exspectetur, quando vtraque nunc amissa libertas, libero arbitrio plene restaurabitur, non quomodo iusto cuiuis in hoc seculo quantumcumque perfecto, non quomodo vel ipsis primis hominibus datum fuit eas habere in paradiso, sed sicut iam nunc angeli possident in cœlo. Interim verò sufficiat in

hoc *corpore mortis*, atque in hoc *seculo nequam*, ex libertate quidem consilii peccato non obedire in concupiscentia, ex libertate autem complaciti adversa non formidare pro iustitia. Est autem in hâc *carne peccati*, & in hâc *diei malitia* non mediocre sapere, peccato etsi nondùm ex toto carere, certè non consentire; & est posse non parùm, adversa etsi nec dùm fœliciter omninò non sentire, viriliter tamen pro veritate contemnere. Dicendum sanè hic interim nobis est ex libertate consilii iam libertate arbitrij non abuti, vt plenè quandoque frui possimus libertate complaciti. Sic profectò Dei in nobis reparemus imaginem, sic antiquo honori illi capessendo quem per peccatum amisimus, per gratiam præparamur, & beatus qui de se audire merebitur; *Quis est hic, & laudabimus eum? Mirabilia enim fecit in vita sua, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere malum, & non fecit.* Eccl. 31. 9. & 10.

CAP. 7. *Imago & similitudo Dei impressa homini in quo consistat.*

Puto autem in his tribus libertatibus ipsam ad quam conditi sumus conditoris *imaginem atque similitudinem* contineri, & *imaginem* quidem libertate arbitrii, in reliquis autem duabus bipartitam quandam consignari similitudinem: hinc est fortasis quod solum liberum arbitrium sui omninò defectum seu diminutionem non patitur, quod in ipso potissimùm æternæ & incommutabilis divinitatis substantiva quædam imago impressa videatur. Nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum, nec de iustitia vel gloria capit augmentum, nec de peccato siue miseria detrimentum. Quid æternitati similius, quod non sit æternitas? Porro in alijs duabus libertatibus, quoniam non solum ex parte minui, sed & ex toto amitti possunt, accidentalis quædam magis similitudo sapientiæ atque potentiæ divinæ imagini superducta cognoscitur. Denique & amisimus illas per culpam, & per gratiam recuperamus, & quotidie quidem alij plus alij minus aut in ipsis proficimus, aut ab ipsis deficimus. Possunt enim sic amitti, vt iam non valeant recuperari, possunt & ita possideri, vt nec amitti queant aliquando, nec minui. Huius bipertitæ similitudinis sapientiæ & potentiæ Dei, non quidem in gradu summo, sed qui ipsi tamen esset proximior homo conditus est in paradiso. Quid enim vicinius ad non posse peccare, vel turbari (in quo vtique iam sanctos & angelos stare, & Deum semper esse dubium non est) quam posse & non peccare & non turbari, in quo homo profectò creatus est? A quo illo pec peccatum,

imò nobis in illo & cum illo corruentibus, rursùs per gratiam, non quidem ipsum, sed pro ipso quemdam inferiorem gradum recipimus. Neque enim hic possumus penitùs esse sine peccato & miseriâ, possumus tamen gratia iuuante nec peccato superari, nec miseria. Quanquam tamen scriptura loquatur: *Omne quod natum est ex Deo, non peccat.* 1. Ioan. 3. 9. Sed hoc dictum est de prædestinatis ad vitam: non quod omninò non peccent, sed quod peccatum ipsis non imputetur, quod vel punitur condigna pœnitentia, vel in charitate 1. Pet. 4. 8. absconditur. *Charitas quidem cooperit multitudinem peccatorum,* Psal. 31. 1. *& beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta* & 2. *sunt peccata, & beatus vir cui non imputavit* DEUS *peccatum.* Diuinæ ergò similitudinis summum gradum summi angeli tenent, nos infimum, Adam tenuit medium, Porrò dæmones nullum. Superioribus nempè spiritibus datum est sine peccato & miseriâ perdurare: Adæ autem absque his quidem esse, sed non permanere: nobis verò ne esse quidem absque his, sed ipsis tamen non cedere. Cæterùm diabolus & membra eius, sicut nunquam volunt reluctari peccato, sic nunquam possunt pœnam declinare peccati. Cùm ergò istæ duæ libertates, consilij scilicet & complaciti, per quas rationali creaturæ vera sapientia, & vera potentia ministratur, ità Deo pro vt vult dispensante, quibuscumque pro causis, locis, temporibus, varientur; quatenus in terris modicè, in cœlestibus plenariè, mediocriter in paradiso, apud inferos nullatenùs habeantur; libertas verò arbitrii, de ipso quo condita est statu, aliquatenùs non mutetur, sed æqualiter semper (quantùm in se est) à cœlis, terris, inferis possideatur, meritò illæ *similitudini*, hæc *imagini* deputantur. Et quidem apud inferos quod vtraque libertas perierit, illæ scilicet quæ ad similitudinem pertinere dicuntur, scripturarum testatur authoritas. Nam verum illic sapere (quod vtique de consilij libertate concipitur) omninò non esse, locus ille manifestat, vbi legitur: *Quodcumque potest manus* Eccl. 9. 10. *tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas.* Porrò de potentia quæ per libertatem complaciti datur, Euangelium sic loquitur: *Ligatis manibus ac pedibus proiicite eum in tenebras exteriores.* Mat. 22. 13 Quid enim est ipsa manuum pedumque ligatio, nisi omni-

In dæmonis, nec sapientia nec potestas bene agendi est.

moda potestatis ablatio? Sed dicit aliquis: quomodò non est ibi aliquid sapere, vbi mala quæ tolerantur, cogunt pœnitere malorum quæ facta sunt? Nunquid aut in tormentis quispiam non pœnitere, aut pœnitere mali, non esse sapere potest? Hoc autem rectè opponeretur si opus tantùm peccati, & non etiam voluntas mala puniretur. Nulli quippè dubium est quod nemo in tormentis positus actum iterare peccati delectetur, veruntamen si voluntas in tormentis etiam mala perdurat, quid ponderis habet operis abnegatio, vt ideo sapere quis putetur, quod iam in mediis flammis luxuriari non libeat. Denique *in malevolam animam non introibit sapientia.* Sap. 1.4. Vndè autem probabimus quod mala & in pœnis voluntas perseveret? Certè vt cætera omittam, nollet omnino puniri. Iustum autem est puniri qui punienda gesserunt. Nolunt igitur quod iustum est. Sed qui non vult quod iustum est, iusta eius voluntas non est. Eo ergo iniusta per hoc & mala est voluntas, quo iustitiæ non concordat. Duo sunt quæ iniustam comprobant voluntatem, vel cùm peccare, vel cùm impunè peccasse libet. Quibus ergo peccare libuit, quamdiu licuit, & cùm iam non possunt, inultùm manere volunt quod peccaverunt, quid in hoc sapientiæ veræ, quid bonæ voluntatis appareat? Sed esto pœnitet eos peccasse, nunquid non tamen si optio detur, malint adhuc peccare, quam pœnam sustinere peccati? Et tamen illud iniquum est, hoc iustum. Quando vero voluntas bona magis quod iniquum, quam quod iustum est eligeret? Cæterùm non verè pœnitent, qui non tam dolent se sibi vixisse, quam hoc ipsum iam non posse. Denique foris ostenditur quid intùs agatur. Nam quamdiù corpus vivit in flamma, tamdiù constat in malitia persistere voluntatem, Itaque de similitudine quæ in consilii & item complaciti libertate continetur *apud inferos* penitùs nihil est nec esse potest; imagine tamen illic per liberum arbitrium immobili permanente. Sed neque in hoc seculo inveniri vspiam posset similitudo, sed adhuc hic fœda & deformis iacuisset imago si non evangelica illa *mulier lucernam accenderet*, id est, sapientia in carne appareret, *everrere domum*, videlicet vitiorum, *drachmam suam requirere quam perdiderat*, hoc est, imaginem suam quæ nativo spoliata decore, sub pelle peccati sordens tanquam Luc. 15.8.

In damnatis non est vera pœnitentia.

in

in pulvere latitabat, inventam tergeret, & tolleret de regione dissimilitudinis, pristinamque in speciem reformatam similem faceret illam in gloria sanctorum, imo sibi ipsi per omnia redderet quandoque conformem, cùm illud scripturæ videlicet impleretur: *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Et revera cui potiùs id operis congruebat quam Dei filio, *qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, portans verbo universa*, ex vtroque facilè munitus apparuit, & vnde reformaret deformem, & vndè debilem confortaret, eum & de *splendore* figuræ fugans tenebras vitiorum redderet sapientem, & ex virtute *verbi* contra tyrannidem dœmonum potentem efficeret. Venit ergò ipsa forma cui conformandum erat liberum arbitrium, quia vt pristinam reciperet formam, ex illa erat reformandum ex qua fuerat & formatum. Forma autem, *sapientia* est. Conformatio, vt faciat imago in corpore, quod forma facit in orbe. Porro illa *attingit à fine vsque ad finem fortiter disponit omnia suaviter. Attingit à fine vsque ad finem*, hoc est, *à summo cœlo* vsque ad *inferiores partes terræ*; à maximo angelo vsque ad minimum vermiculum, *attingit* autem *fortiter* non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subiectæ creaturæ tantùm officiali administratione, sed substantiali quadam & vbique præsenti fortitudine, qua vtique vniversa potentissimè movet, ordinat, administrat. Et hæc omnia nulla sui facere cogitur necessitate. Nec enim aliqua in his laborat difficultate, sed *disponit omnia suaviter* placida voluntate. Vel certè *attingit à fine vsq; ad finem:* hoc est, ab ortu creaturæ vsque ad finem destinatum à creatore, sive in quem vrget natura, sive quem accelerat causa, sive quem concedit gratia. *Attingit fortiter*, dùm nihil horum evenit, quod non pro vt vult, potenti præordinet providentia. Sic ergò & liberum arbitrium suo conetur præesse corpori, vt præest sapientia orbi, *attingens* & ipsum *à fine vsque ad finẽ fortiter:* imperans scilicet singulis sensibus & artibus, tam potenter, quatenùs non sinat: *regnare peccatum in suo mortali corpore: nec membra sua det arma iniquitati, sed exhibeat servire iustitiæ.* Et ità iam non erit homo servus peccati, cùm peccatum non fecerit, à quo vtique liberatus iam libertatem recuperare consilij, iam suam incipiet vendicare dignitatem, dùm divinæ in se *imagini* condignam vestierit *similitudinem*, imò an-

Imago Dei in homine per peccatũ deformatò reformatur per Christũ.

1. Ioan. 3. 2.

Heb. 1. 3.

Sap. 8. 1.

Rom. 6. 12. & 13.

antiquam reparaverit venuſtatem; Curet autem hæc agère non minùs *ſuaviter*, quam *fortiter*, hoc eſt, *non ex triſtitia aut ex neceſsitate* (quod eſt *initium*, non plenitudo *ſapientiæ*) ſed prompta & alacri voluntate quod facit acceptum ſacrificium, *quoniam hilarem datorem diligit Deus.* Sicque per omnia imitabitur *ſapientiam*, dùm & vitiis reſiſtet *fortiter*, & in conſcientia requieſcet *ſuaviter*. Verùm cuius ad talia provocamur exẽplo, indigemus & auxilio, quo ipſi videlicet per ipſam conformemur, *atque in eandem imaginem transformemur, à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu.* Ergò ſi *à Domini ſpiritu* iam non à libero arbitrio. 2. Cor. 9. 7. 2. Cor. 3. 18

CAP. 8.

Libertas nõ conſiſtit in facultate æqua agendi bonum & malum.

Nemo proindè putet ideò dictum liberum arbitrium quod æqua inter bonum & malum poteſtate aut facultate verſetur. Cùm cadere per ſe quidem potuerit, non autem reſurgere niſi per *Domini ſpiritum.* Alioquin nec Deus nec angeli ſancti, cùm ita ſint boni, vt non poſsint eſſe & mali, nec prævaricatores item angeli, cùm ita ſint mali, vt iam non valeant eſſe boni, liberi arbitrii eſſe dicuntur. Sed & nos illud poſt reſurrectionem amiſſuri ſumus, quandò vtique inſeparabiliter alii bonis alii malis admixti fuerimus. Cæterùm nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus: quoniam quod ille eſſe non poteſt malus, non infirma facit neceſſitas, ſed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodq; is non valet in bonum reſpirare non aliena facit violentia ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas ac voluntaria obſtinatio. Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur. Quod ſive in bono ſive in malo æque liberam facit voluntatem cùm nec bonus quiſpiam nec item malus dici debeat, aut eſſe valeat, niſi volens. Tali iam ratione non incongruè dicetur ad bonum ſe & ad malum habere æqualiter, quod vtrobique videlicet par ſit ei non quidem in electione facilitas, ſed in voluntate libertas. Hac ſanè (vt dictum eſt) dignitatis prærogativa rationalem ſingulariter creaturam conditor inſignivit, quod quemadmodùm ipſe ſui iuris erat, ſuæque ipſius voluntatis, non neceſſitatis erat, quod bonus erat: ita & illa quoq; ſui quodammodò iuris in hac parte exiſteret: quatenus non niſi ſua voluntate aut mala fieret, & iuſtè damnaretur, aut bona maneret, & meritò ſalvaretur. Non quod ei propria poſſet ſufficere ad ſalutem voluntas, ſed quod eã nullatenùs ſine ſua voluntate conſequeretur. Nemo quippè ſalvatur invitus. Nam quod legitur in Evangelio

Libertas Dei in bono, & diaboli in malo.

nemo

Ioan. 6. 44. *Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum*, item in alio loco, *compelle intrare*: nihil impedit, quia profecto quantoscumque Luc. 14. 23. *compellere* vel *trahere* videatur ad salutem benignus 1. Tim. 2. 4. *Pater, qui omnes vult saluos fieri*, nullum tamen iudicat salute dignum, quem ante non probauerit voluntarium. Hoc quippe intendit cum terret aut percutit vt faciat voluntarios, non saluet inuitos: quatenus dum de mala mutat voluntatem in bonam: transferat non auferat libertatem; quanquam non semper inuiti trahimur, nec enim cœcus, aut fessus contristatur, cum trahitur: & Paulus Act. 9. 8. *ad manus tractus est Damascum*, vtique non inuitus. Trahi denique spiritualiter volebat, quæ & hoc ipsum magnopere flagitabat in Canticis: Cant. 1. 3. *Trahe me*, inquit, *post te: in odorem curremus vnguentorum tuorum*. Deinde quod è Regione scriptum est. Iacob. 1. 14. *Vnusquisque tentatur à propria concupiscentia abstractus & illectus*. Et illud: Sap. 9. 15. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*. Et item illud Apostoli: Rom. 7. 23. *Inuenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati quæ est in membris meis*, hæc omnia putari possunt cogere voluntatem, & præripere libertatem: at vero quantislibet quis *intus foriſue* tentationibus vrgeatur, libera profecto semper, quantum ad arbitrium spectat, voluntas erit, libere quippe de suo nihilominus consensu iudicabit. Quantum autem pertinet ad consilium siue complacitum; *carnis* interim *concupiscentia*, vitæque miseria reluctante, minus quidem se liberam sentit, sed prorsus non malam, dum malo non consentit. Denique Paulus qui *captiuum se in legem peccati trahi* conqueritur, haud dubium quin ex minus plena libertate consilij, consensum tamen sanum atque in bono quoque iam ex magna parte se habere liberum gloriatur; *Iam non ego*, inquiens, *operor* Ibid. *illud*. Vnde hoc confidis ô Paule? Ibid. 17. *Quoniam consentio*, inquit, Ibid. 16. *legi Dei quoniam bona est*. Et rursum; Ibid. 22. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem*. *Oculo* existente *simplici totum corpus lucidum esse* præsumit. Matt. 6. 22. sano consensu, tractum licet peccato, vel *captiuum* in miseria, liberum se in bono profiteri non dubitat. Vnde & fidens generaliter infert; Rom. 8. 1. *Nihil ergo damnationis est his qui sunt in Christo* IESV.

Tentationes non necessitans voluntatem ad malum.

CAP. 9.

Qui mori timet negat fidē, liberè negat.

Sed videamus de his qui pœnarum mortisúe timore fidem verbotenus negare compulsi sunt, ne forte iuxta hanc adsertionem aut culpa non fuerit, quod vel voce negauerunt, aut cogi in culpam & voluntas potuerit, vt vellet videlicet homo quod eum & nolle constiterit, & sic perierit liberum arbitrium. Quod quia impossibile erat (velle quippe & nolle idem eodem tempore non poterat) quæritur vnde malum nequaquam volentibus malum debuit imputari, neque enim tale est hoc quale originale peccatum, quo non solum non consentiens, verum plerumque & nescíens, alia ratione constringitur necdum renatus baptismate. Exempli causa veniat in mediū Petrus Apostolus ipse quippe visus est negare veritatem contra propriam voluntatem. Siquidem aut negare aut mori necesse erat. Mori timēs negauit, negare nolebat, sed magis nolebat mori. Itaque inuitus quidem sed negauit tamen, ne moreretur. quod si lingua & non voluntate loqui homo compulsus est quod nolebat, non tamen velle aliud quam volebat. Lingua mota est contra voluntatem, sed nunquid & mutata voluntas? quid enim volebat? prorsus quod erat, Christi esse Discipulus. Quid loquebatur? *Non noui hominem.* Cur ita? mortem euadere volebat. Sed quid istud criminis fuit? duas Apostoli tenemus voluntates. Vnam, qua voluit non mori penitus inculpabilem. Alteram, & multum laudabilem, qua sibi complacebat quod esset Christianus, in quo ergo culpabitur? an in eo quod mentiri quam mori maluit? hæc planè voluntas reprehensione digna fuit, quia corporis magis quam animæ voluit seruare vitam. *Os* nempe, *quod mentitur occidit animam.* Et peccauit ergo & nō absque consensu propriæ voluntatis, infirmæ quidē & miseræ, sed plane liberæ. Peccauit autem non spernendo aut odiendo Christum, sed sē nimis amando. Nec in hunc peruersum amorem sui, voluntatem metus ille subitus compulit, sed esse conuicit. Iam tunc procul dubio talis erat, sed nesciebat, cum ab illo quem latere non poterat, audiuit: *Priusquam gallus cantet ter me negabis.* Illa itaque uoluntatis infirmitas per inculsum timorem nota, non orta, notum fecit quatenus Christum amauerit: notum autem non Christo, sed Petro. Nam Christus & ante *sciebat quid esset in homine.* Quatenus ergo Christum diligebat, vim prorsus (quod negandum non est) passa

Matt. 26. 72.

Sap. 1. 11.

Petrus negauit Christum ex nimio amore sui ipsius, qui in eius animo prius latebat.

Matt. 26. 34.

Ioan. 2. 25.

passa est illa voluntas, vt contra se loqueretur: quatenus vero se, voluntarie procul dubio consensit vt pro se loqueretur. Si Christum non amasset, non negasset inuitus, verum si se amplius non amasset non aliquatenus negasset. Fatendum igitur hominem fuisse compulsum voluntatem propriam etsi non mutare, occultare tamen. Compulsum, inquam, non quidem recedere ab amore Dei, cedere tamen aliquantulum amore sui. Quid ergo? fortè dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis: quia nimirum inuenta est cogi potuisse voluntas? est planè, sed si cogi potuit ab alio quam à se ipsa. Quod si sese ipsa coegit: compulsa, & compellens, vbi amittere, ibi & recipere visa est libertatem. Vim quippe quam ipsa sibi intulit, à se pertulit. Porrò quod à se voluntas pertulit, ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit, iam non ex necessitate, sed voluntarium fuit. Si autem voluntarium, & liberum. Quem sua denique ad negandum voluntas compulit, cõpulsus est quia voluit: imo non compulsus, sed consensit, & non alienæ potentiæ, sed propriæ voluntati. Illi vtique qua mortem omnimodis euadere voluit. Alioquin * quando vox mulierculæ linguã sacram in verba formare nefanda * voluisset, si non linguæ domina voluntas annuisset? Denique cum se à sui post modum nimio illo temperauit amore, & Christum cæpit, vt debuit *toto corde, tota anima, tota virtute diligere*: iam nullis valuit minis vel pœnis extorqueri aliquatenus voluntas dare linguam *arma iniquitati*, sed potius audacter accommodans veritati. *Obedire*, inquit, *oportet Deo magis quam hominibus*, & sane gemina compulsio: secundum quod aut pati aliquid, aut agere contra propriam cogimur voluntatem. Quarũ passiua quidem (sic enim prior illa recte nominatur) potest nonnumquam fieri absque consensu voluntario patientis, sed actiua nunquam. Proinde malum quod fit in nos, siue de nobis: non est imputandũ nobis, si tamẽ inuitis. Cæterum quod fit & à nobis, iam non sine culpa est voluntatis. Velle plane conuincimur, quod non fieret si nollemus. Est ergo compulsio quædam etiam actiua, sed non habet excusationem cum sit & voluntaria. Cogebatur Christianus negare Christum, & quidem dolens, non tamen nisi volens. Volebat nimirum gladium vitare ferientis: atque illa talis voluntas intus præsidens, os operiebat,

voluntas cogi non potest ab alio.

Matt. 26. 69.

** for. quomodo*

** for. voluisset.*

Act. 5. 29.

Conflio alia passiua, alia actiua.

non gladius qui foris apparebat. Porro talem esse illam voluntatem, conuincebat gladius, non cogebat. Ipsa igitur se culpa, non gladius impellebat. Denique in quibus sana erat illa voluntas, occidi poterant, flecti nequibāt. Hoc est quod dictum est de Ioanne: *Fecerunt illi quæcumque voluerunt.* Nunquid quod voluit ille? ita & in reliquos Martyres *fecerunt*, non quod Martyres voluerunt, sed quod ipsi. Fecerunt, inquam, in eos *quæ voluerunt*, sed in membra, non corda. Membra cruciauerunt, sed voluntatem non mutauerunt. Sæuierunt in carnem, animæ autē non habuerunt quid facerent, sit licet patientis corpus in potestate torquentis, sed voluntas est libera, infirma si fuerit, sæuiendo cognoscent, non esse cogent, si non fuerit. Sane infirmitas eius à se ipsa est, sanitas verò non à se, sed à Domini spiritu. Sanatur autem cum renouatur. Porrò renouatur cum (quemadmodum docet Apostolus) *Speculando gloriam Dei, in eandem imaginem transformatur à claritate in claritatē*, hoc est, *de virtute in virtutem, tanquā à Domini spiritu.* Inter quem vtique diuinū spiritum, & carnis appetitum, tenet medium quendam locum id quod dicitur in homine liberum arbitrium, id est, humana voluntas, & tanquam in deuexo latere montis admodum ardui inter vtrumque pendens, ita appetitu infirmatur per carnē, vt nisi sedulo *spiritus adiuuet infirmitatem* eius per gratiam, nō solum non valeat *iustitiæ* quæ est (iuxta Prophetam) *sicut montes Dei*, ascendendo *de virtute in virtutem*, apprehendere culmen, sed etiam de vitio semper in vitium, suo ipsius pondere deuoluta ruat in præceps, prægrauata nimirum non solum *lege peccati* originaliter membris insita, Verum & consuetudine *terrena inhabitationis*, vsualiter affectionibus insolita. Quod humanæ voluntatis videlicet vtrumque grauamen vno breuiter versiculo scriptura commemorat, dicens: *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Et hæc duo huius mortalitatis mala sicut nō nocent, sed exercent non consentientes, sic non excusant, sed damnant cōsentientes, vt nec salus nec damnatio vlla ratione sine præcedenti consensu voluntario possit haberi: ne qua fortè ex parte præscribi videatur libertati arbitrij. Quam ob rem id quod in creatura dicitur liberum arbitrium, aut

Mar. 9. 12.

2. Cor. 3. 18.

Rom. 8. 26.

Psal. 35. 7.

Psal. 83. 8.

Sap. 9. 15.

Humana voluntas inter diuinum spiritum & carnis appetitum media semper in præceps ruit, nisi adiuuetur à spiritu.

aut iustè profecto damnatur, dum ei ad peccatum nulla vi prædicatur extrinseca : aut misericorditer saluatur, cui ad iustitiam nulla virtus sufficit sua . Sanè in his omnibus cogitet Lector originalis peccati prorsus excipi rationem.

De cætero libero arbitrio nec extra ipsum quæratur damnationis causa, quod iam non damnat nisi propria culpa : nec ab ipso salutis merita, quod sola saluat misericordia : cuius quippe conatus ad bonum & cassi sunt si à gratia non adiuuentur, & nulli si non excitentur : cæterum *in malum sunt proni*, dicente Scriptura, *sensus & cogitationes hominum*. Proinde non ei à se (vt dictum est, sed *desursum* potius *à Patre luminum descendere* merita putentur, si tamen inter data optima, & dona perfecta, ipsa merito per quæ salus æterna conquiritur, merita deputentur. *Deus autem Rex noster ante sæcula*, cum *operatus est salutem in medio terræ*, *dona* sua quæ *dedit hominibus*, in merita diuisit, & præmia, vt & præsentia per liberam possessionem nostra interim fierent merita, & futura per gratuitam sponsionem exspectaremus, imo expeteremus vt debita. Quæ vtraque Paulus commemorans : *Habetis*, inquit, *fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam*. Item & nos ipsi, ait, *Primitias spiritus habentes*, *ingemiscimus adoptionem expectantes filiorum Dei* : *primitias spiritus* vocans *sanctificationem*, id est, virtutes quibus impræsentiarum sanctificamur à spiritu, vt merito consequamur *adoptionem*. Rursum in Euangelio eadem sæculo abrenuntianti promittuntur, vbi dicitur; *Centuplam accipiet*, *& vitam æternam possidebit*. Itaque non liberi arbitrij, sed *Domini est salus*, imo ipse *salus*, ipse & *via* est ad salutem, qui ait ; *Salus populi ego sum*. Qui item perhibet, *Ego sum via*. Se fecit viam qui & *salus erat & vita*, *vt non glorietur omnis caro*. Si ergo bona viæ sunt merita, sicut & patriæ salus & vita, & verum est quod ait Dauid ; *Non est qui faciat bonum*, *non est vsque ad vnum* : illum videlicet vnum de quo item dicitur ; *Nemo bonus nisi solus Deus*, Dei sunt procul dubio munera tam opera nostra, quam eius præmia, & qui fecit se debitorem in illis ; fecit & nos promeritores ex his ; ad quæ tamen condenda merita dignatur sibi adhibere creaturarum ministeria, non quibus egeat, sed quibus per hoc, vel de quibus prosit.

CAP. 10

Gen. 8. 21.

Iacob. 1. 17.

Psal. 73. 12.

Ephes. 4. 8.

Rom. 6. 22.

Rom. 8. 23.

Matt. 19. 29.

Psal. 3. 9.

Psal. 34. 3.

Ioan. 14. 6.

1. Cor. 1. 29.

Psal. 13. 3.

Luc. 18. 19.

Tam opera bona quam eorum præmia sunt Dei dona.

Operatur ergo illorum *salutem*, *quorum nomina sunt in libro vitæ*, aliquando per creaturam sine ipsa, aliquando per creaturam contra ipsam, aliquando per creaturam cum ipsa. Multa profecto fiunt hominibus salubria per insensibilem & item per irrationabilem creaturam, quæ idcirco dixi fieri sine ipsa, quod non queat intellectu carens esse vel conscia. Multa quoque multorum saluti vtilia facit Deus per malos siue homines, siue Angelos, sed quoniam inuitos ideo contra ipsos. Nam dum nocere cupientes iuuant, quantum alijs vtilis actio, tantum ipsis peruersa nocet intentio. Porro per quos & cum quibus operatur Deus, boni sunt vel Angeli, vel homines, qui quod vult Deus & agunt, & pariter volunt. Qui enim bono quod opere complent, voluntate consentiunt, opus omnino quod per eos Deus explicat, ipsis communicat. Vnde Paulus cum bona plurima quæ Deus per ipsum fecerat, enarrasset; *Non autem ego*, ait, *sed gratia Dei mecum*. Potuit dicere, per me, sed quia minus erat, maluit dicere, *mecum*, præsumens se non solum operis esse ministrum per effectum, sed & operantis quodammodo socium per consensum.

Apoc. 17. 8.

Deus vtitur tam malis quam bonis ad salutem electorum.

1. Cor. 15. 10.

CAP. II. Videamus nunc secundum Dei triplicem operationem quam posuimus, quid creatura quæque pro suo ministerio mereatur. Et illa quidem per quam, & sine qua fit quod fit, quid mereri potest? quid illa contra quam fit nisi iram? quid & cum qua fit nisi gratiam? in prima itaque nulla, in sequenti mala, in vltima bona merita conquiruntur. Nec enim pecudes cum per eas bonum quodcumque fit aut malum, boni quidpiam merentur aut mali. Non habent quippe vnde bono maloúe consentiant. Multo autem minus lapides, cum nec sentiant. Cæterum diabolus vel homo malus cum vigeant, & vigilent ratione: iam quidem merentur, sed non nisi pœnam, pro eo quod à bono dissentiant. Paulus autem qui *volens* euangelizat, ne *si inuitus*, *dispensatio ei* tantum *credita sit*, & quicumque similiter sapiunt: quoniam quidem ex consensu voluntatis obediunt, *repositam sibi esse* confidunt *coronam iustitiæ*. Vtitur ergo Deus in salutem suorum irrationabili & item insensibili creatura tanquam iumento, vel instrumento, quæ iam expleto opere nusquam erunt. Vtitur creatura rationali, sed maleuola, quasi *disciplinæ virga*: quam correcto filio in ignem proijciet,

1. Cor. 9. 17.

2. Tim. 4. 8.

proijciet. tanquam sarmentum inutile. vtitur, & Angelis & hominibus bonæ voluntatis, tanquam commilitonibus & coadiutoribus suis: quos peracta victoria amplissime munerabit. Denique & Paulus de se, suiq́ue similibus audacter pronuntiat; *Coadiutores enim Dei sumus.* Ibi itaque Deus homini benigne merita constituit, vbi per ipsum & cum ipso boni quippiam operari dignanter instituit. Hinc *Coadiutores Dei & cooperatores* Spiritus sancti, promeritores regni nos esse præsumimus, quod per consensum vtique voluntarium diuinæ voluntati coniungimur. Quid igitur? hoc ergo totum liberi arbitrij opus, hoc solum eius est meritum, quod consentit? est prorsus. Non equidem quod vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit, cum *nec cogitare* (quod minus est quam consentire) *aliquid à nobis quasi ex nobis sufficientes simus.* Verba sunt non mea sed Apostoli, qui omne quod boni esse potest, id *cogitare, & velle, & perficere pro bona voluntate*, attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo *Deus* tria hæc (hoc est, bonum *cogitare, velle, perficere*) *operatur in nobis*, primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos præuenit, immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum iungit, ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.

Consensus in bonum datur homini à Deo.

1. Cor. 3. 9.

2. Cor. 3. 5.

Philip. 2. 13.

Sane ipsi nos præuenire nequaquam possumus. Qui autẽ bonum neminem inuenit, neminem saluat quem non præuenit. A Deo ergo sine dubio nostræ fit salutis exordium, nec per nos vtique, nec nobiscum. Verũ consensus & opus etsi non ex nobis, non iam tamen sine nobis. Neque primum itaque, in quo quippe nos nihil facimus, nec vltimũ, quod & plerumque, extorquet aut timor inutilis, aut simulatio damnabilis, sed tantum medium nobis reputatur in meritum. Sola nempe interdum bona voluntas sufficit, cætera non profunt si sola defuerit. Non profunt, dixerim, sed agenti, non cernenti. Valet itaque intentio ad meritum, actio ad exemplum, vtramque præueniens cogitatio tantummodo ad exercitandum. Cauendum ergo ne cum hæc inuisibiliter intra nos ac nobiscũ actitari sentimus aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est, aut Dei necessitati quæ nulla est, sed soli gratiæ qua plenus est. Ipsa liberum

berum excitat arbitrium cum seminat cogitatū, sanat cum immutat affectum, roborat vt perducat ad actum, seruat ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat, in cæteris comitetur. Ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod à sola gratia cœptum est, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtum non sigillatim, simul non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in illo, sic totum ex illa. Credimus placere Lectori quod à sensu Apostoli nusquam recedimus, & quaqua versum euagetur oratio, in eadē pene ipsius verba frequenter recidimus. Quid enim nostra aliud sonat quā illud: *Ergo neque volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quod sane non ideo dicit quasi quis velle aut currere possit in vanum: sed quod is qui vult & currit, non in se, sed in eo à quo accipit & velle & currere, debeat gloriari. Denique ait: *Quid habes quod non accepisti?* crearis, sanaris, saluaris: quid horū tibi ex te homo? quid horum non impossibile libero arbitrio? nec creare qui non eras, nec iustificare peccator, nec mortuus poteras teipsum resuscitare: vt cætera prætermittam bona, quæ aut sanandis necessaria sunt, aut saluandis reposita, quod dicimus, de primo patet & vltimo. Sed & de medio nemo dubitat, nisi qui *ignorans Dei iustitiam, & suam volens constituere, iustitiæ Dei non est subiectus.* Quid enim? agnoscis creantis potentiam, saluantis gratiam, & sanantis ignoras iustitiam? *Sana me*, ait, *& sanabor: saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es.* Iste *iustitiam Dei* agnoscebat à quo æque sperabat tam saluari à peccato, quam à miseria liberari. Et ideo *laudem suam illum* non se, merito statuebat. Propter hoc & Dauid ingeminans. *Non nobis*, inquit, *Domine non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Quod vtramque à Deo stolam & iustitiæ scilicet exspectaret & gloriæ. Quis est qui *ignorat Dei iustitiam?* qui seipsum iustificat: Quis est qui seipsum iustificat? qui merita sibi aliunde quam à gratia præsumit. Cæterum qui fecit quod saluaret, etiam dat vnde saluet. Ipse inquā merita donat, qui fecit quibus donaret. *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro omnibus*, non quæ tribuit, sed *quæ retribuis mihi?* & quod est & quod iustus est, à Deo esse

Officia gratiæ, & eiusdem concordia cum libero arbitrio.

Rom. 9. 16.

1. Cor. 4. 7.

Rom. 10. 3.

Hieron. 17 14.

Psa. 113. b. 1.

Psal. 115. 3.

esse confitetur: ne si vtrûlibet negaret, vtrumque perderet, amittendo vtique vnde iustus est, & sic damnâdo quod est. Sed si vel tertio loco inuenit quod vicissim rependeret? *Calicem*, ait, *salutaris accipiam*. *Calix salutaris* sanguis est Saluatoris. Ergo si deest tibi omnino de tuo, quod vel secundis Dei donis retribuas, vnde tibi salutem præsumis? *Nomen Domini*, inquit, *inuocabo*. Quod nimirum *quicumque inuocauerit, saluus erit*.

Ibid. 4.

Ibidem.

Rom. 10. 11.

CAP. 12.

Igitur qui rectè sapiunt triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrij, sed diuinæ gratiæ in ipso, siue de ipso, prima creatio, secunda reformatio, tertia consummatio. Primo namque *in Christo creati* sumus in libertatem voluntatis: secundo reformamur per Christum in spiritum libertatis: cum Christo deinde consummandi in statum æternitatis. Siquidem quod non erat in illo creari oportuit: quod erat per formam reformari deformem: membra non perfici nisi cum capite. Quod vtique tunc cõplebitur, cum *Omnes occurremus in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, quando *apparente Christo vita nostra, apparebimus & nos cum ipso in gloria*. Cum igitur cõsummatio fieri habeat de nobis siue etiam in nobis, non autem à nobis creatio vero facta sit & sine nobis: sola quæ nobiscum quodam modo fit per consensum voluntariũ nostrũ, in merita nobis reputabitur reformatio. Ipsa sunt ieiunia nostra, vigiliæ, continentia, operaq; misericordiæ, cæteraque virtutũ exercitia: per quæ vtique constat *interiorem nostrum hominem renouari de die in diem*: dum & intentio terrenis incuruata curis, de imis paulatim ad superna resurgit: & affectio circa cordis desideria languens, sensim in amorẽ spiritus conualescit, & memoria veterum operũ turpitudine sordens, nouis bonisq; actibus candidata in dies hilarescit.

Triplex operatio gratiæ.

Ephes. 4. 13.

Coloss. 3. 4.

2. Cor. 4. 16.

In his nempe tribus interior renouatio consistit, rectitudine scilicet intentionis, puritate affectionis, recordatione bonæ operationis, per quam sibi bene conscia memoria enitescit. Verum hæc cum certum sit diuino in nobis actitari spiritu, Dei sunt munera. Quia vero cum nostræ voluntatis assensu, nostra sunt merita. *Non enim vos estis*, inquit, *qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Et Apostolus: *An experimentum eius quæritis*, inquit, *qui in me loquitur Christus?* si ergo Christus aut *Spiritus sanctus loquitur in Paulo*, non

Renouatio interior in quibus sita.

Matt. 10. 20.

2. Cor. 13. 3.

lo, non etiam itidem operatur in ipso? *Non enim loquor*, ait, *qua per me non efficit Deus*. Quid ergo? si non Pauli, sed Dei loquentis in Paulo, vel operantis per Paulum, & verba sunt & opera, vbi iam Pauli merita. Vbi est quod tam fidenter aiebat. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex?* an in eo confidit forte *coronam esse repositam sibi*, quod per ipsum illa fiebant? sed multa per malos siue Angelos siue homines fiunt bona, nec tamen reputantur illis merita. An quia potius & cum ipso, hoc est, cum eius bona voluntate fiebant? *Nam si inuitus*, inquit, *euangelizauero dispensatio mihi credita est, si autem volens gloria, est mihi.* Cæterum si vel ipsa voluntas de qua omne meritū, pendet, ab ipso Paulo non est, quo pacto eam quam *sibi repositam* præsumit *coronam* vocat *iustitiæ*? an quoniá iuste iam & ex debito requiritur quodcũque vel gratis promittitur? denique ait: *Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare*, & quia credidit promittenti, fidenter promissum repetit. Promissum quidē ex misericordia, sed iam ex iustitia exsoluendum est. Est ergo quam Paulus expectat *corona iustitiæ*, sed *iustitiæ Dei*, non *suæ*. Iustum quippe est vt reddat quod debet. Debet autē quod pollicitus est. Et hæc est iustitia de qua præsumit Apostolus, promissio Dei, ne si hanc contemnens, *Suã velit statuere, iustitiæ Dei non sit subiectus*, cuius tamen suæ iustitię ipsum Deus voluit habere consortem, vt & coronæ faceret promeritorem. In eo enim sibi iustitiæ consortem, & coronæ statuit promeritorem, cum operum quibus erat illa repromissa corona, habere dignatus est coadiutorem. Porro coadiutorem fecit, cum fecit volentem, hoc est, suæ voluntati consentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum. Si ergo à Deo voluntas est, & meritum, Nec dubium quin à Deo sit *& velle & perficere pro bona voluntate*. Deus igitur Author est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati. Alioquin si propriè appellentur ea quæ dicimus nostra merita; spei quædam sunt seminaria, charitatis incentiua, occultæ prædestinationis indicia, futuræ fœlicitatis præsagia, via regni, non causa regnandi. Denique *quos iustificauit*, non quos iustos inuenit, *hos & magnificauit*,

Rom. 15. 18. — 2. *Tim.* 4. 7. & 8. — 1. *Cor.* 9. 17. — 2. *Tim.* 1. 12. — *Rom.* 10. 3. — *Philip.* 2. 13. — *Rom.* 8. 30.

Qualiter

Qualiter anima verbo Dei ſimulatur per ſimplicitatem eſſentiæ, immortalitatem & arbitrij libertatem.

DIVI BERNARDI ABBATIS

Sermo LXXXI. ſuper Cantica.

QVAESITVM eſt ante de affinitate animæ ad verbum, atque id quidem neceſſariè. *Quæ enim conuentio* tantæ majeſtati & tantæ paupertati, vt more & amore ſponſorum, veluti ex æquo ſeſe complecti referantur ſublimitas illa & illa humilitas? nam ſi verè id dicimus, valdè læta fiducia eſt, ſi falsò, valde punienda audacia. Propterea ergo de conuenientia horum quærendum fuit, quæ quidem iam multa inuenta eſt, ſed non omnis. Quis vel nimis hebes nõ videat, quam, ſe è vicino reſpiciant imago, & quod ad imaginem eſt? quorum vtique vnum vni, & alterum alteri, ſermo (ſi recolitis) aſſignauit heſternus. Nec de imagine tantum, ſed etiam de ſimilitudine demonſtrata ibidem propinquitas eſt, niſi quod ipſa ſimilitudo in quo vel in quibus potiſſimum conſtat, necdum à nobis eſt declaratum. Age iam intendamus declarationi huic, vt quo anima plenius ſuam agnouerit originem, eo amplius erubeſcat vitam habere degenerem. Imò verò quod peccato vitiatum deprehenderit in natura, ſtudeat reformare induſtria: vt digne ſuo genere, Dei quidem munere ſeſe gerens, ad amplexus verbi fidenter accedat. CAP. 1.

Aduertat igitur ex hac diuinæ ingenuitate ſimilitudinis ineſſe ſibi illam ſuæ ſubſtantiæ naturalem ſimplicitatem, qua hoc eſt illi eſſe, quod viuere: etſi non quod bene, quodue beate viuere: vt ſit ſimilitudo, non æqualitas. Gradus propinquus, gradus tamen. Neque enim vnius excellentiæ pariſue faſtigij ſunt, hoc habere eſſe quod viuere, & item CAP. 2.

habere hoc esse quod beate viuere. Ergo si verbi est illud propter sublimitatem, hoc animæ propter similitudinem, salua quidem eminentia verbi; palam est affinitas naturarum, palam animæ prærogatiua. Et vt quod dicitur planius fiat, soli Deo, id est, esse, quod beatum esse, atque hoc primum & purissimum simplex. *Secundum autem simile est huic*, id videlicet habere esse quod viuere, atque hoc animæ est. Ex hoc etsi inferiori gradu, ascendi potest non modo ad bene, sed etiam ad beate viuendum: non quia vel tunc sit hoc esse quod beatum esse illi qui eo peruenerit, quatenus ita glorietur pro similitudine, vt tamen pro disparitate habeat semper vnde *omnia ossa eius dicant: Domine quis similis tui?* bonus tamen animæ gradus, ex quo & solo ad beatam ascenditur vitam. *Psal. 34. 10.*

CAP. 3. Sunt namque viuentia, & horum genera duo, quæ sentiunt, & quæ non sentiunt. Porro insensibilibus sensibilia præferuntur, atque vtrisque vita qua viuitur & sentitur. Non stabunt pariter in gradu vno vita & viuens, multo minus vita, & quæ sunt sine vita. Vita anima est viuens quidem, sed non aliunde quam se ipsa, ac per hoc non tam viuens quam vita, vt proprie de ea loquamur. Inde est quod infusa corpori viuificat illud, vt sit corpus de vitæ præsentia non vita, sed viuens, vnde liquet, ne viuo quidem corpori id viuere esse, quod esse, cum esse, & minime viuere possit. Multo minus quæ vitæ expertia sunt, ad hunc gradum assurgent. Sed nec omne quod vita dicitur vel est, continuo valebit pertingere huc. Est pecorum, est & arborum vita, sensu altera vigens, altera carens. Et neutri tamen idem esse quod viuere est: cum (vt quidem multorum opinio est) ante in elementis, quam vel illa in membris, vel ista in ramis extiterint. At secundum hoc cum desinunt viuificare, simul viuere cessant, sed non & esse. Soluuntur pariter & dissoluuntur, tanquam non alligatæ tantum, sed colligatæ. Neque enim vnum simplex est quæque harum, sed & pluribus constans, & propterea non redigitur in nihilum, sed dissilit in partes, vt & ad suum quoque recurrat principium: verbi causa aër ad aërem, ignis ad ignem, & reliqua in hunc modum. Nequaquam igitur tali vitæ idem esse & viuere est, quæ est & quando non viuit.

Porro

Porro nihil horum quibus non hoc esse quod viuere sit, ad bene beateque viuendum quandoque proficiet vel emerget: quippe quod neque ad hunc inferiorem gradum potuit peruenire. Sola quæ in ipso stare cognoscitur anima hominis, in eo dignitatis creata est vita à vita, simplex à simplici, immortalis ab immortali: vt non sit longe à summo gradu, vbi scilicet id esse quod beate viuere est: in quo solus est *beatus & solus potens Rex Regum, & Dominus dominantium*. Accepit itaque in sui conditione anima etsi non esse, posse tamen esse beata, summo proinde gradui, quantum licet appropians, non pertingens tamen. Neque enim vel ipsi (vt supra diximus) hoc erit aliquando esse quod beatum esse, nec quando beata erit. Fatemur similitudinem, æqualitatem renuimus. Verbi causa, vita Deus, vita & anima est: similis quidem, sed dispar. Porro similis, quod vita, quod seipsa viuens, quod non tantum viuens, sed & viuificans: sicut & ille hæc omnia est. Dispar vero quantum à creante creata, dispar, quod vt nisi creata ab illo non esset, sic nisi ab ipso viuificata non viueret. Nõ viueret dico, sed spirituali vitâ, non naturali, nam naturali quidem etiam quę nõ spiritualiter viuit, immortaliter viuat necesse est. At qualis vita, in qua *satius foret non nasci* quam non ab ea mori? mors potius est, & ideo grauior, quia peccati, non naturæ. Denique *mors peccatorum pessima*. Ita ergo quæ secundum carnem viuit anima, *viuens mortua est*, quippe cui bonum erat omnino non viuere, quam sic viuere. Et qua nimirum vitali quadam morte minimè vnquam resurget nisi per verbum vitæ, imo per verbum vitam viuentem vtrique & viuificantem. Alias autem immortalis est anima, & in hoc nihilominus verbo similis quidem, sed non æqualis.

CAP. 4.

Dignitas animæ rationalis.

2. Tim. 6. 15.

Matt. 26. 24.

Psal. 33. 22.

1. Tim. 5. 6.

Nam in tantum superexcellit immortalitas deitatis, vt Apostolus dicat de Deo: *Qui solus habet immortalitatem*. Quod ego reor pro eo dictum, quod solus sit natura incommutabilis Deus, qui ait; *Ego Dominus & non mutor*. Vera namque & integra immortalitas tam non recipit mutationem quam nec finem, quod omnis mutatio, quædam mortis imitatio sit: omne etenim quod mutatur, dum de vno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur quod est, vbi esse incipiat quod non est. Quod si tot mortes

CAP. 5.

Immortalitas Dei.

1. Tim. 6. 16.

Malac. 3. 6.

quot mutationes, vbi immortalitas? & huic *vanitati subiecta est ipsa creatura non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe.* Attamen immortalis anima est, quoniam cum ipsa sibi vita sit, sicut non est quo cadat à se, sic non est quo cadat à vita. Verum cum constet suis affectibus mutari eam, agnoscat ita se Deo in immortalitate similem vt sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partem, soli cedens absolutam perfectamque immortalitatem, *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Rom. 8. 20. *Immortalitas animæ.* Iacob. 1. 17.

CAP 6. Non mediocris tamen animæ dignitas præsenti disputatione comperta est, quæ gemina quadam vicinitate naturæ verbo appropiare videtur, simplicitate essentiæ, & perpetuitate vitæ. Sed enim adhuc vnum occurrit quod minime præteribo, nec enim minus insignem similemue minus verbo animam facit, & fortè etiam plus.

CAP. 7. Arbitrij libertas hæc est, plane diuinum quidquam præfulgens in anima tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem & malum, nec non inter vitam & mortem, sed & nihilominus inter lucem & tenebras, & cognitio iudicij, & optio eligendi, & si qua sunt alia quæ similiter circa animæ habitum sese è regione respicere videantur, nihilominus inter ipsa censorius quidam arbiter is animæ oculus diiudicat & discernit, sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quod liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne etenim quod fecerit bonum malumue, quod quidem non facere liberū sit merito ad meritum reputatur. Et vt merito laudatur non is tantum *qui potuit facere mala & non fecit,* sed & qui potuit non facere bona & fecit, ita malo non caret merito tam is qui potuit non facere mala & fecit, quam qui potuit & facere bona & non fecit. Vbi autem non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt ratione carentia animalia nihil merentur, quia sicut deliberatione, ita & libertate carent. Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim iudicium habent quo se diiudicent siue regant, sed ne instrumentum quidem iudicij, id est, rationem, inde est quod non iudicantur, quia non iudicant, quanam quippe ratione ab his exigatur ratio quam non acceperunt? *Liberum arbitrium.* Eccl. 31. 10. *Bruta sensu aguntur.*

Hanc

Hanc vim à natura ſolus homo non patitur, & ideo ſolus inter animantia liber. Et tamen interuenie̅te peccato patitur quandam vim & ipſe, ſed à voluntate, non à natura vt ne ſic quidem ingenita libertate priuetur. Quod enim voluntarium, & liberum. Et quidem peccato factum eſt, vt *corpus quod corrumpitur aggrauet animam*, ſed amore, nō mole. Nam quod ſurgere anima per ſe iam non poteſt, quæ per ſe cadere potuit voluntas in cauſa eſt, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioſo amore langueſcens & iacens, amorē pariter iuſtitiæ non admittit. Ita neſcio quo prauo & miro modo ipſa ſibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, vt nec neceſſitas cum voluntaria ſit excuſare valeat vōluntatem, nec voluntas cum ſit illecta excludere neceſſitatem. CAP. 8.

Sap. 9. 15.

Neceſſitas quædam orta ex peccato.

Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria, eſt fauorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens vnde ſeſe rea voluntas, vbi ſemel * peccator conſenſerit, nec excutere iam per ſe, nec excuſare tamen vllatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gemētis ſub opere neceſſitatis huius; *Domine*, inquit, *vim patior reſponde pro me*. Sed rurſus ſciens quod non iuſte cauſaretur aduerſus Dominū, cum voluntas ſua ipſius potius in cauſa foret, attendit quid ſecutus intulerit; *Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim?* premebatur iugo, non alio tamen quam voluntariæ cuiuſdam ſeruitutis; & erat pro ſeruitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Voluntas enim eſt quæ ſe cum eſſet libera, ſeruam fecit peccati, peccato aſſentiendo; voluntas nihilominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet voluntarie ſeruiendo. CAP. 9.

* *fortè, peccato.*

Iſa. 38. 14.

Ibid. 15.

Vide quid dicas ait aliquis mihi. Tune voluntariū dicis quod iam neceſſarium conſtat eſſe? verum quidem eſt, quod voluntas ſe ipſam addixerit, ſed non ipſa ſe retinet, magis retinetur & nolens. Bene hoc ſaltē das, quia retinetur. Sed vigilanter retine voluntatem eſſe quam retineri fateris. Itaque uoluntatem nolentem dicis? non vtique voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volentis eſt, nō nolentis. Quod ſi volens retinetur, ipſa ſe retinet. *Quid* ergo *dicet, aut quid reſpondebit ei, cum ipſa feceris?* quid fecit? ſeruam ſe fecit; vnde dicitur; *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*. Propterea cum peccauit (peccauit autē, cum peccato obedire decreuit) CAP. 10.

Tom. 8. 34.

ſeruam

seruam se fecit. Sed sit libera, si non adhuc facit. Facit autem in eadem seruitute se retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur: voluntas enim est. Ergo quia volens, seruam se ipsam fecit: non modo fecit sed facit. Merito proinde (quod sæpe memorandum est) *Quis respondebit illi cum ipsa fecerit*, ipsa & faciat?

CAP. 11. Sed non me, inquies, decredere facies necessitatem quam patior, quam in me ipso experior, contra quam & assidue luctor. Vbinam quæso hanc necessitatem sentis? nonne in voluntate? non ergo parum firmiter vis quod & necessario vis. Multum vis quod nolle queas, nec multum obluctans. Porro vbi voluntas, & libertas. Quod tamen dico de naturali, non de spirituali, *quâ libertate* (vt dicit Apostolus) *Christus nos liberauit*. Nam de illâ idem ipse dicit: *Vbi spiritus Domini, ibi libertas*. *Galat. 4. 31. 2. Cor. 3. 17.*

CAP. 12. Ita anima miro quodam & malo modo sub hac voluntaria quadam ac male libera necessitate & ancilla tenetur, & libera: ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem, & quod magis mirum, magisque miserum est, eo rea, quo libera, eoque ancilla quo rea, ac per hoc eo ancilla quo libera. *Miser* ergo *homo quis me liberabit* à calumnia huius pudendæ seruitutis? miser, sed liber. Liber quia homo, miser, quia seruus. Liber quia similis Deo, miser, quia contrarius Deo. *O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi?* posuisti enim, cum non prohibuisti. Alioquin ipse me posuit, *& factus sum mihimet ipsi grauis*. Iustissime quidem, vt hostis tuus, hostis sit & meus, & qui tibi repugnat, repugnet & mihi. Ego vero qui tibi, ego qui *mihimet contrarius factus sum*, atque *in membris meis inuenio* quod contradicat & menti meæ, & legi tuæ, *quis me liberabit* de manibus meis? *non enim quod volo, hoc ago*, sed me non alio prohibente. Et *quod odi, illud facio*, sed me non alio compellente. Atque vtinam prohibitio hæc & hæc compulsio ita esset violenta, vt non esset voluntaria, forsitan enim sic possem excusari, aut certe ita esset voluntaria, vt non violenta, profecto enim sic possem corrigi. Nunc vero nusquam exitus misero patet, quem & voluntas (vt dixi) inexcusabilem, & incorrigibilem, necessitas facit. Quis me *eripiet de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui?* quæris quis de quo querar? de me ego ille peccator, ille exlex, ille iniquus. Peccator, quia *Rom. 7. 24.* *Iob. 7. 20.* *Rom. 7. 15.* *Psal. 70. 4.*

peccaui,

Rom. 7. peccaui, exlex, quia voluntate perſiſto agere contra legem.
23. Nam mea voluntas ipſa eſt *lex in membris meis*, legi diuinæ
Pſal. 36. recalcitrans. Et quoniam lex Domini *lex mentis meæ*, ſicut
31. ſcriptum eſt; *lex Dei eius in corde ipſius*, per hoc & mihi ipſi mea ipſius voluntas contraria inuenitur, quæ eſt iniquitas
Eccleſ. 14. maxima, cui enim nō iniquus, qui mihi ſum? *qui ſibi nequam*,
5. ait, *cui bonus*? fateor non ſum bonus, *quia non eſt in me bonum*, conſolabor me tamen, quia & Sanctorum vox iſta eſt:
Rom. 7. *Scio quia non eſt in me bonum*, inquit, diſcernit tamen quod
18. dicit *in ſe in carne ſua* interpretans, propter contradictoriam legem quæ in ea eſt.

Nam habet legem & in mente, eaque melior. An non CAP. 13.
lex Dei bona? quod ſi malus propter legem malam, quomodo non propter bonam bonus? an mala ſua eſt quæ eſt in carne ſua, & ideo de mala malus, & minime bonus de bona? non eſt ita. *Lex Dei eius in mente ipſius*, atque ita in mente, vt ſit
Ibid. 23. & mentis. Teſtis eſt ipſe qui ait: *Inuenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Nunquid ſuum quod carnis ſuæ eſt, & non ſuum quod mentis ſuæ eſt? ego dico, & plus: quidni dicam, quod idem ipſe Magiſter dicit? nam *mente quidem ſeruiens legi Dei, carne autem legi peccati*, quid
Ibid. 25. magis ſuum fateatur euidenter oſtendit, cum malum quod
Ibid. 17. *in carne eſt*, ita à ſe alienum cenſet, vt dicat: *Itaque iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et ideo fortaſſis ſignanter *aliam* dixerit *legem inuentam in membris ſuis*, quod alienam hanc & quaſi aduentitiam reputaret. Vnde & adhuc ego aliquid audeo amplius, haud temere quidem, Paulum videlicet non iam malum propter malum quod in carne habet, magis autem bonum propter bonum quod in
Ibid. 16. mente habet. An non bonus, *Qui conſentit legi Dei, quoniam bona eſt?* nam etſi ſe itidem fateatur *ſeruire legi peccati, carne* hoc facit, non *mente.* Cum autem *mente* quidem *ſeruiat legi Dei, carne autem legi peccati*, quidnam potiſſimum horū Paulo imputandum putes, tu videris: nam mihi fateor facilè perſuaſum quod mentis, quam quod carnis eſt, pluris eſſe non ſolum mihi, ſed & ipſi Paulo, vt iam dictum eſt, qui
Ibid. 20. ait; *Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Sed de libertate iſta ſufficiant.

In libello quem de gratia & libero arbitrio ſcripſi, di- CAP. 14.
uerſa fortaſſis de imagine & ſimilitudine diſputata legūtur,

sed (vt arbitror) non aduersa. Legistis illa, ista audistis: quænam magis probetis, vestro iudicio derelinquo: vel *si quid melius* vtrisque *sapitis*, *in hoc gaudeo & gaudebo*. At quoquo modo illa se habeant, tria quidem impræsentiarum præcipua commendata tenetis, simplicitatem, immortalitatem, libertatem. Et hoc vobis liquido apparere iam arbitror, animam pro ingenita atque ingenua similitudine, quæ in his tam eximie claret, non paruam cum verbo habere affinitatem, sponso Ecclesiæ IESV Christo Domino nostro, *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen.* *Philip.3.* 15. *Ibid.*1. 18. *Rom.*9.5.

RICHARDI S. VICTORIS,

De statu primi hominis.

TRACTATVS PRIMVS.

De statu interioris hominis post lapsum.

CAPVT I.

OMNE *caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata nec curata medicamine, neque fota oleo. Nouit Dominus figmentum suum*, nec latere potest summum medicum multiplicitas seu magnitudo morborum. Ecce describit tibi modum, & magnitudinem morbi, vt scias quid debeas plangere, quid procurare, vnde ipsi supplicare. *Omne*, inquit, *caput languidum, & omne cor mœrens à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*. Ecce mala innata, audi adhuc & alia: *Vulnus, & liuor, & plaga tumens*. Ecce mala illata. Ecce qualia, ecce quanta. Alia innascuntur, alia infliguntur. Alia sunt quæ patimur intrinsecus, alia sunt quæ offendimus extrinsecus. Illa generantur ex corru- *Esaiæ* 1. 5. & 6. *Psal.*102. 14. *Esa.* 1. 5. & 6.

corruptione propria, ista inferuntur sæpè ex infectatione aliena. Languor, mœror, infirmitas, ab intus prodeunt. *Vulnus, liuor, plaga tumens* deforis aduenium. Ad cumulum autem malorum sequitur contemptus remediorum, in quo verè est desperatio ægrotorum. *Non est*, inquit, *circumligata nec curata medicamine, nec fota oleo*. Ecce quantis malis premimur, ecce qualibus incommodis quotidie vrgemur. Disce homo, & si ab homine dedignaris, disce saltem ab eo *qui docet hominem scientiam*, disce, inquam, & dole, & defle tantam molestiam, talemque miseriam. Attende & cognosce magnitudinem morbi, vt anxius concupiscas, attentius requiras, ardentius diligas remedia medici. Vide ergo quomodo secundum qualitatẽ hominis exterioris describitur tibi status hominis interioris, vt per mala exteriora quæ, qualia, vel quanta sint non ignoras, discas quid de interioribus timere debeas. Quis enim non videat hoc ad litteram omnino stare non posse? Nunquid aliquando visum vel auditum est omnium capita languere, vel omnium corda mœrere? *Omne*, inquit, *caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Quædam hic membra hominis exterioris designantur ex nomine, vt cum *caput, cor, pedem* audiuimus nominare, ad ea quæ oportet de interioribus nosse compellamur ex his ad interiora aliquam similitudinem contrahere.

Ibid. 6.

Psal. 93. 10.

De tribus principalibus in homine.

CAPVT II.

SCimus autem quia in humano corpore caput tenet summum locum, pes imum, cor medium & intimum. Caput liberum arbitrium. Cor consilium, pes carnale desiderium. Caput toti corpori supereminet, & liberum arbitrium omni actioni præsidet. Cor medium & intimum locum tenet & salubre consilium vix de occulto erui & in secreto inueniri valet. Pes in imo iacet, & carnale desiderium per appetitum infimis inhæret. Liberum arbitrium præsidet omni actioni, imo & appetitui, quia etiam cum male egeris, cum iam *foribus peccatum affuerit, subter te tamen erit appetitus eius & tu dominaberis illius.* Quid est, *erit subter te*, nisi

Dominium liberi arbitrii super omnes hominis actiones.

Gen. 4. 7.

niſi ſub arbitrio tuo, eoquod quiuis appetitus in actum non prodeat ſine nutu ſpontaneo & conſenſu voluntario? Conſiliũ quæritur in ſecreto, & eruitur ab intimo, eo quod ſapientia trahitur de occulto. In imo iacet *carnis concupiſcentia*, quamdiu *adhæſerit pauimento anima mea*, quamdiu *conglutinatus eſt in terra venter noſter*. *Pſal.* 118. 25. *Pſa.* 43. 25.

De dignitate liberi arbitrij.

CAPVT III.

Imago Dei in homine in libertate ſita eſt.

INter omnia creationis bona, nihil in homine ſublimius, nihil dignius libero arbitrio, nihil vtilius, nihil occultius ſalubri conſilio, nihil inferius, nihil infirmius carnali deſiderio. Quid quæſo in homine ſublimius, quid dignius inueniri poteſt quam illud, in quo *ad imaginem Dei creatus eſt*? Habet ſane libertas arbitrij *imaginem* non ſolum æternitatis, ſed & diuinæ majeſtatis. Quantum putamus in hoc incommutabili æternitati præ cæteris omnibus liberum arbitrium vicinius accedit, eiuſque in ſe *imaginem* expreſſius gerit, quod nulla vnquam culpa: nulla demum miſeria non dicam deſtrui, ſed nec minui poterit? vultis & majeſtatis *ſimilitudinem* in ipſa perſpicere, & quomodo eius *imagine* impreſſa ſit euidenter agnoſcere? Deus ſuperiorem non habet, nec habere poteſt, & liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati poteſt, quia violentiam inferre ei nec creatorem decet, nec creatura poteſt Totus infernus, totus mundus, totus denique *militia cæleſtis* exercitus, in vnum concurrat, in hoc vnum coniuret, vnus ex libero arbitrio conſenſus in qualicumque re inuito extorqueri non valet. *Gen.* 9. 6.

Voluntas cogi non poteſt.

De vtilitate conſilij.

CAPVT IV.

SEd ſicut hac arbitrij libertate in homine nihil eſt excellentius, ſic & prudenti conſilio, conſultaque prudentia nihil ſalubrius. *Beatus* enim *homo qui inuenit ſapientiam*, & *Pro.* 3. 13. 14. & 15.

affluit

affluit prudentia. Melior est acquisitio eius, negociatione argenti & auri. Pretiosior est enim *cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Nihil autem hoc sapientiæ dono possidetur vtilius, nihil inuenitur difficilius. Est
Matt. 13. 44. enim *thesaurus absconditus in agro* quia (secundum quod dictum est) *sapientia trahitur de occulto.* Sed quod est hoc
Iob. 28. 18. *occultum*, vel quem dicimus hunc esse *agrum* qui occultat
Iob. 28. 12. hunc *thesaurum? Sapientia enim vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ?* Quæramus cum Beato Iob *locum sapientiæ &*
Prou. 8. 12. *intelligentiæ*, & inueniemus eum cum Salomone. *Ego sapientia*, inquit, *habito in consilio, & eruditis interfum cogitationibus.* Quæramus ergo eam quæ *habitat in consilio* apud
Prou. 4. 23. *cor* nostrum, quod iam diximus esse consilium. *Omni* ergo *custodia custodi cor tuum*, quisquis concupiscis hunc tam desiderabilem *thesaurum*, ne si nolueris custodire cogaris cum
Psal. 39. 13. Propheta plangere & dicere: *Cor meum dereliquit me* dolens & deflens, quod interim non habeas vbi debeas *thesaurum* hunc quærere, vel vbi valeas inuenire. Illos (vt arbitror) *cor suum reliquerat*, & omnes eis consilium exciderat, quibus Dominus per increpationem dicebat: *Ephraim columba*
Ephraim. Osee 7. 11. *seducta non habens cor.* Rectè ergo ipsis dicitur *gens absque*
Deut. 32. 28. & 29. *consilio, & sine prudentia, vtinam saperent, & intelligerent, & nouissima prouiderent.* Quantâ ergo cautelâ *cor custodiendum* est in quo ille *thesaurus* inuenitur, quo nihil ditius, nihil
Prou. 2. 10. & 11. tutius possidetur? *Si* enim *intrauerit sapientia cor tuum* secundum sapientis testimonium *& scientia anima tua placuerit, consilium custodiet te, & prudentia seruabit te.*

De infirmitate carnalis desiderij.

CAPVT V.

SEd sicut nihil vtilius prudenti consilio, sic nihil inferius, nihil infirmius carnali desiderio, eo quod iuxta pedis similitudinem infimum locum teneat, & per delectationem carnis terrenis inhæreat. Quid quæso infirmius, quid abiectius, quod nec illis quidem plenè resistimus in
Rom. 7. 16. & 23. quibus erubescimus? Quanta quæso vilitas, quantaúe infirmitas, mente quidem *consentire legi Dei quia bona est:*

quotidie tamen *videre aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem in lege peccati?* Vides ex his adhuc quam rectè intelligatur per *caput*, liberum arbitrium, per *cor* consilium, per *pedem* carnale desiderium?

De principatu liberi arbitrij.

CAPVT VI.

A capite totum corpus regitur, à corde totum viuificatur, à pedibus totum circunfertur. *Caput* totum regit & liberum arbitrium omnium quæ in homine sunt regimen & moderamen conditionis iure suscepit. Et sicut ex his omnibus quæ extra hominem sunt nullum dominum patitur, sic & in his omnibus quæ in ipso sunt libertatis suæ dignitate principatur. Siquidem etsi aliquis motus in homine contra vel præter hominis voluntatem surgit, sicut nunquam ei nisi ex arbitrij libertate consentit, sic nunquam nisi ex ipsius permissione in actum prorumpit. Imperat sanè persæpe motui corporis motus sensualitatis, imperat frequenter & animi affectus non solum sensibus, verum & appetitibus. Nihil tamen horum omnium ad conatus sui exit effectum, nisi ad liberi arbitrij nutum, voluntariumque consensum. Principatur itaque omnibus liberi arbitrij vltroneus consensus. *Quia* secundum sapientiæ documentum, *excelso, alius excelsior est, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti. Vniuersæ* itaque *terræ Rex* iste *imperat*, quia cum per cætera omnia corporis membra motus omnis ei ad nutum deseruiat, illud etiam quod solum ei pro voto non obtemperat, sed in magna sæpe contradictione rebellat, potest & præceps ab actu refrænare, & effrænatum graui vltione percutere, & animositatis eius audaciam forti castigatione frangere, & emollire; sic itaque nec ipsum eius potestatem plene effugit quod ei impudenter contradicit, fortiterque resistit. Rectè ergo (vt arbitror) *capiti* assimilatur, quod cæteris omnibus principatur.

Potentiæ subiectæ voluntati non agunt in actum exercitum sine voluntatis consensu.

Eccles. 5. 7. & 8.

CAPVT

De virtute vtilis consilij.

CAPVT VII.

SEd idem corpus *cor* viuificat, quod (vt dictum est) *caput* gubernat. Nam vt, secundum physicos, de his aliquid loquar, sicut sedem habet in capite spiritus animalis, & in hepate spiritus naturalis, sic sedem sortitur in corde spiritus vitalis. Et sicut per spiritum animalem corpus sensificatur, & modificatur, & sicut per spiritum naturalem vegetatur sic per spiritum vitalem viuificatur. Est itaque omnis sensus, omnisque motus voluntarius, à spiritu animali, vegetatio autem à spiritu naturali, vita vero à spiritu vitali. Quod autem est corpus sine vita, hoc est opus sine intentione bona. Quælibet ergo actio (quamuis bona videatur) quasi mortua indicatur, nisi per consilium, ad intentionem bonam animetur. Sicut *vita à corde procedit*, & se per omnia membra diffundit, sic & intentio bona de consilio surgit, & virtutum opera ad meriti vegetationem animare consueuit. Recte igitur per sapientem præcipitur. *Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Vita ex ipso procedit* quando per consilium intentio deprauata corrigitur. Nam mors potius quam *vita ex ipso procedit*, quando ex consilio intentio bona deprauatur. Quid enim iuuat bonorum operum prolem gignere, & eam per intentionis deprauationem necare? Et quale (quæso) erit si liberorum nostrorum interfectores, conscientia propria nos esse conuincit? Alij in ipso proposito, ex mala intentione opera sua corrumpunt, alij post exercitia virtutum ad oblationem vanæ laudis, à pristina intentione inanescunt. Quid illi nisi abortiuos fœtus faciunt, isti quasi iam natos, seu etiam adultos occidunt? Nonne melius est non gignere, quam *abortiuum facere*, atque vtilius prolem non parere, quam vel *dormiendo opprimere*, vel ex consilio necare? Nonne melius est, vt *vadam absque liberis*, quam *immolare filios meos, & filias meas dæmonijs*? Nonne multo felicior est *sterilis & quæ non parit*, quam *filiorum suorum necatores sine misericordia, & comesto-*

Opus sine bona intentione tamquam cortus sine vita.

Prouerb. 4. 23.

Psal. 105, 37.

Sap. 12. 5. & 6.

& commestores viscerum hominum, & devoratores sanguinis, & auctores parentes animarum inauxiliatarum? Memento semper quia etsi in tuo arbitrio sit viuentes occidere, non tamen & æque in tua potestate est mortuos resuscitare. Solus ille hoc potest *qui potens est de lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Matt. 3.9. Sane ad præceptum Domini *vaticinante filio hominis, ad ossa* quæ *arida* in agro inuenta sunt *ingressus est spiritus in ea &* Ezech. 37. *vixerunt.* Quid quæso intelligitur per *ossa arida*, ossa sine 9. & 10. anima, & mortua, nisi fortia opera sine intentione bona, & ob hoc virtutum merito vacua, mercedisque retributione frustrata? Veruntamen quæ eiusmodi sunt ad Domini iussum spiritum accipiunt, & reuiuiscunt, & ad inspirationis eius gratiam intentione correcta in spem æternæ retributionis reuiriscunt. Sed quia intentio ex consilio accipit vt recta & bona sit, quasi de corde spiritus procedit, qui ad corporis viuificationem exiens, per omnia se virtutum membra diffundit. Rectè ergo (vt arbitror) per *cor* consilium designatur cuius similitudinem imitatur.

De inquietudine carnalis desiderij.

CAPVT VIII.

SEd & illud quod de pedibus diximus, quam carnali desiderio iuxta affectum, vel appetitum aptetur facilè ostendimus. Sicut enim à pedibus corpus circumfertur, sic à carnali desiderio animus exagitatur atque circumducitur. Dum enim animus carnali desiderio *illectus, & abstractus* nunc affectum suum, nunc appetitum sequitur, nunquam quietus, nusquam tranquillus esse permittitur. Quamdiu enim viuit *vagus, & profugus super terram*, quotidie currit *post concupiscentias suas, repletusq; multis miserijs nunquam in eodem statu permanet*, dum semper nititur vel apprehendere quod concupiscit, vel effugere quod odit. Iob. 14. 1. & 2.

De inquie-

De inquietudine humani affectus.

CAPVT IX.

QVis quæso dignè exponere possit, quot modis se affectus humanus variare consuevit? Multis modis se variat, & iuxta vnamquamque variationis suæ alternationem, per multa, & pœne per innumera impetum suum relaxat, de vno semper in aliud tendens, & vnum post aliud fastidiens, & ad id quod priùs despexerat maiori sæpè aviditate revertens. Hinc est quod per Salomonem dicitur: *Lustrans vniversa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur.* Rectè ianè *lustrando vniversa in circuitu pergere* dicitur *spiritus*, quia (vt iam dictum est) per diversa rapitur, & multiformiter variatur cordis affectus. Nam quoniam nusquam sufficientem delectationem invenit, de vno semper in aliud tendit. Nunc hoc, nunc illud amat, nunc hoc nunc illud desiderat, & quæ priùs amaverat iterùm despicit, & diu multumque desiderata iterum fastidit. Sed sæpè post fastidium ad abiectas *concupiscentias suas* avidior redit, & in hunc modum in circulum pergit, & cursum suum in circulum flectit. Sic amor, sic timor, sic spes, vel dolor, sic cæterorum quilibet affectus, per diversa ducitur, multipliciterque variatur. Sed per omnes affectionũ suarum motus, monitionumque modos animus semper *in circulos suos revertitur*, dùm circa eandem rem vel similem iterum eodem modo afficitur. Nec illud adeo mirum quod spiritus concitatus & in vnam quamlibet partem impulsus per diversa rapitur & per varia oblectamenta ad satianda desideria fertur, & quasi vniversam superficiem terræ lustrando ad consuetas, atque antiquatas delectationes iterum revertitur. Sed illud valdè mirabile, dignumque admiratione quod contrariis sæpe & subitò flatibus actus, nunc in istam, nunc in oppositam partem agitur, ita vt quod prius ardenter amaverat, insatiabili postmodum odio persequatur. Est autem hoc elementum quod spiritum vel aerem nominamus præ cæteris omnibus elementis mutabilius variisque subiacens passionibus. *In momento in ictu oculi* incalescit, & iterum eadem faci-

Eccl. 1.6.

litate refrigescit, in tantum vt ab vno ore & pene sub eodem tempore vel tenuiter exhalatus, vel fortiter impulsus, nunc calidus exeat, nunc frigidus prorumpat. Sic spiritus ille spiritualis, affectuique passibilis facilè afficitur, levique permutatione in contrarias passiones mutatur. Quis nescit quomodò homo ad tenuem spirantis favoris auram totus statim inclinatur ad gratiam, & si ex eodem ore, & sub eodem tempore ventus detractationis eruperit, statim affectum in alteram partem flectit, & in odium & in furorem vertit. Mirabile sanè imò & miserabile, nobilem illam creaturam *ad imaginem Dei creatam* & omni creaturæ prælatam ad modicum verbum tenuemque flatum, ad linguæ sonitum aëriique ictū, à rectitudinis suæ statu quasi violenter excuti, moxque mirum in modum huc illucque raptari, & turbinis more in vertiginem agitari.

De inquietatione carnalis appetitus.

CAPVT X.

SIc sanè & appetitus carnis semper in motu, semper in transitu est, & *nunquam in eodem statu permanere* potest. Accedit, & recedit, crescit, atque decrescit, vt iterùm redeat & crescat, & sic semper redit, & crescit vt iterùm recedat atque decrescat. Veruntamen non eodem discursu, vel pari impulsu appetitus quo & affectus animū exagitat, vel inquietat, neq; enim adventorū similitudinem quotidianâ permutatione per multiplices discursus variatur, nec alterius vicibus in cōtraria contrariis flatibus agitatur, sed fluminis more impetus sui tractum sequitur, donec desiderii effectum consequatur, non nim momentaneis alternationibus consuetudinis suæ alveum commutat, vt succedentium desideriorum succedenter pœniteat, etiam priusquam id quod concupierat, apprehendat. Neque enim concupiscentiæ suæ cursum compescit, vel in contraria divertit, donec desiderium suum satiaverit, sicut affectus qui se variis qualitatibus per momenta singula induit, & impetus sui flatum sub vno sæpe momento in contraria flectit, dum amorem suum sub mira quadam celeritate in odium vertit. Aliud est enim varia oblectamenta quærere

rere, & quasi de loco ad locum transire, & postquam satiatus fuerit, alia post alia fastidire, & quasi vnum locum post alium deserere, & aliud est cursum suum in contraria flectere, & post pronos decursus in montana redire, quod nec aqua potest, nec appetitus solet facere. Currit tamen semper & transit, & semper in idipsum redit, vndè & Salomon
Eccles. 1.7. dicit. *Ad locum vnde exeunt flumina revertuntur vt iterum fluant.* Appetitus carnis est abyssus illa magna *vnde exeunt* tot *flumina*, vnde tot surgunt, & tam infinita desideria. Videamus ergò *locum vndè* huiusmodi *flumina exeunt*, *locum* quo currendo perveniunt. Videamus qua currunt, videamus qua re- *Cupiditas abyssus magna.*
currunt, locus vndè carnalis appetitus, per fluuium exit necessitas. Locus quo tendit satietas, via quâ transit voluptas, via quâ redit cupiditas. Locus vnde excurrit, est defectus nostri detrimentum, locus per quem decurrit oblectamentum, locus ad quem currit fastidium, locus per quem recurrit desiderium. Post multum sanè satietatis suæ fastidiũ, iterum ex magno concupiscentiæ suæ desiderio omnis appetitus, *ad locum suum (vt iterum fluat) revertitur*, quia ad renarranda corporis sui detrimenta voluptatis suæ oblectamẽta repetere eâdem quâ priùs necessitate vrgetur. Et sicut omnis *aquarum decursus* in superficie terræ, & per visibiles meatus pertransit, & item per subterraneos invisibilesque meatus recurrit, sic omnis appetitus per visibilem actionem, desideriique expletionem paulatim expellitur, & iterùm occulta quadam naturæ operatione, vegetationisque ad insolitos consuetudinis suæ reflexus revocatur. Quale quæso & quam miserum est sub hac vertigine semper agi, & hac tantæ inquietationis exagitatione semper involvi? Quam expetenda, imò quam detestanda sunt illa desideriorum nostrorum oblectamenta quæ semper & ex defectu generantur, & in fastidium vertuntur. Sed cur nos dicimus ea in fastidium desinere, quæ constat semper (scriptura id attestante) in amaritudine cursum suum terminare? *Omnia flumina*, ait, scriptura, *intrant in mare & mare non redundat.* Scimus quia flumina dulcem faciunt aquam, sicut maria amaram. Quid igitur est *flumina intrare in mare*, nisi omnem delectationem carnalem terminari in amaritudine. *Omne* ergò *flumen mare intrat*, quia *extrema gaudii luctus occupat.* Omnis dulcis in mare decidens *Miseria hominis ab appetitu carnis exagitati.* *Flumina intrare in mare quid.*

in amaram vertitur, quandoquidem *risus dolore miscebitur. Omnia flumina in mare* feruntur, & omnis aqua dulcis in amaram mutatur, quia oblectamentum (vt dictũ est) in fastidium vertitur, & omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur. Quia enim humana pravitas bonis suis bene vti nescit, vel contemnit, superna iustitia hoc cuique postmodũ in flagellum vertit, vnde prius iniustè delectando deliquit. Sed *flumina in mare intrant, & mare non redundat*, quia in omni afflictione nostra, quia in omni percussione sua, divina æquitas modum servat, quia in omni eo quod nos ad vltionem vel ad correctionem percutit, iustitiæ metas non excedit. *Mare* ergò *non redundat*, quia malitiæ nostræ meritum miseriæ nostræ quantitas non exuperat. Ex his itaque perpendere licet, quomodo nos illi concupiscentiæ pedes (de quibus iam dictum est) seu per affectum, seu per appetitum distrahunt vel quo fine discursus sui extrema concludunt.

De Triplici incommodo hominis.

CAPVT XI.

SEd quia iam satis dictum esse credimus, quid de capite, corde, vel pede sentiamus, videamus nunc quid huiusmodi interioris hominis membris, ex divino documento sentire debeamus. *Omne*, inquid, *caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Isa. 1. 5. & 6. *Caput* languet, *cor* mœret, *pes* cum toto corpore dolet, quia *à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Caput* (vt dictum est) liberum arbitrium, *cor* consilium, *pes* carnale desiderium. *Caput* ergò *languet*, quia liberum arbitrium ad omne bonum torpet. *Cor mœret*, quia malum quod patitur, consilium sicut nec ignorare, sic nec dissimulare valet. *Pes* cum toto corpore dolet, quia concupiscentiæ malum vndique fervet. Capitis languorem ostendere nobis voluit qui dixit. *Sine me nihil potestis facere.* Quid languidius eo quod ad quodlibet bonum per se, & quamtumlibet minimum minimè potest convalescere? *Non enim est volentis neque currentis, sed miserentis* Dei. *Cor mœret*, nam & hoc ipsum consilium docet, quia *melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivij*: profectò homo quanto proficit ad

Ioan. 15. 5. Rom. 9. 16. Eccl. 7. 3.

con-

Eccles.1.18 consilium, tanto & ampliùs crescit & ad luctum, *eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui apponit scientiam, apponit & dolorem*, quanto enim quisque per consilium melius agnoscit malum quod meretur, tanto vehementiùs suis pravitatibus indignatur, & quanto perfectiùs perspexerit malum quod patitur, tanto acriori doloris stimulo vrgetur. *Pes* cum toto corpore dolet, quia dolorem in singulis membris propria infirmitas extorquet. *A planta* enim *pedis vsque*
Psal.37.4. *ad verticem* (vt dictum est) *non est in eo sanitas*. Quia ergò infirmitas totum possidet, quid mirum si vndique dolet. *Non est* (inquit Propheta) *sanitas in carne mea, non est pax ossibus*
Iob.2.7. *meis, à facie peccatorum meorum*. Quanta attritio obsecro vbi nec *caro sanitatem*, nec *ossa* possunt habere *pacem*? Sic & *Iob percussus est vlcere pessimo*, ita vt *à planta pedis vsque ad verticem non esset in eo sanitas*. Quis quæso de corporis sui sanitate glorietur: quando & Prophetarum præcipuus de sua infir-
Iacob.1.14. mitate conqueritur: & vir ille *cui non erat similis super terram*,
Iob.7.1. *vlcere pessimo percutitur? Vnusquisque* enim *tentatur à propria concupiscentia abstractus & illectus. Tentatio est vita hominis super terram*. In capite itaque languor, in corde mœror, in toto corpore dolor. *Omne* enim *caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*. Consideremus itaque si placet tria ista quæ posuit, languorem, mœrorem, sanitatisque privationem, languor est infirmitas perseverans, totumque corpus eneruans. Mœror est dolor intus acriùs sæviens, & per lachrymas foras erumpens. Sanitas est integritas naturalis complexionis, humorumque omnium commensuratio proportionalis. Infirmitas autem nihil est aliud nisi sanitatis privatio, integritatisque corruptio.

De

De infirmitate liberi arbitrii.

CAPVT XII.

Liberum arbitrium ad bonum sibi non sufficit.

VIde ergò quanta vel qualis huius capitis infirmitas sit, quam languori comparavit. Cùm enim (vt dictum est) languor sit infirmitas perseverans, totumque corpus enervans, cur *caput languidum* dicit, nisi quia eius defectus totum opprimit, & vsque in finem vitæ ad plenum curari non possit? Quam rectè *languidum* dicitur quod per se ipsum nunquam ad quælecunque bonum movetur? Quid enim boni faciat ex seipso quando *nec dicere potest nomine Iesu nisi in spiritu sancto?* Et quidem movetur sæpe ad bonum nunquam tamen nisi per *spiritum sanctum*. Audistis quam latè infirmitas sitase expandat quæ totum corpus occupat, totumq; eneruat. Vultis & illud audire quamdiu oporteat sub hoc languore tabescere, maledictionisque sententiam sustinere? *Donec revertaris*, inquit, *in terram de qua sumptus es.* Sed quomodò inquies conveniunt tanta libertas cum tantâ infirmitate, vel tanta infirmitas cum tantâ libertate? Profectò aliud est esse liberum, aliud est esse robustum, & liber infirmus esse potes, sicut ecõtra & sanus, & servus esse potes. Qui sanus & robustus est, multa & magna facere potest. Sed qui liber est, ad aliquid cogi nisi iniustè non potest.

1. Cor. 12. 3

Gen. 3. 19.

Quid sit libertatis vel quid potestatis?

CAPVT XIII.

Libertas arbitrii in quo consistat.

NOn autem arbitrium hominis idcircò liberum dicimus, quia promptum habeat bonum vel malum facere, sed quia liberum habet bono vel malo non consentire. Posse quidem facere malum, est infirmitatis, posse facere bonum est potestatis, neutrum autem libertatis. Libertatis verò est quod consensus eius extorqueri vel cohiberi non potest. Potest enim consentire vel non consentire aspirationi divinæ, similiter & suggestioni diabolicæ. Vtrumque quidem ex liberta-

te

te, neutrum autem oportet ex necessitate. Aliud itaque est habere libertatem & aliud est habere potestatem. Libertatis est quod ad aliquid volendum cogi non potest, privatio autem potestatis quod ad aliquid boni faciendum sufficiens non est. Potestatem itaque promerendi, peccando amittere potuit, libertatem verò arbitrii sicut nunquam nõn habuit, sic nunquam non habebit, quia nunquam (vt superius iam dictũ est) qualicunque peccato, vel pœnâ amitti vel minui poterit. Amisit itaque potestatem, non libertatem. Sed qualem (inquis) potestatem? Audi qualem accepit, & intelliges qualem amisit. *Omnia*, inquit, *subiecisti sub pedibus eius, oves, & boves vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Vultis autem nosse quomodò sit hæc sententia in contrarium versa, qualiterque indulta potestas sublata? Attende quomodò ab his modo premitur quibus anteà præponebatur, *devorabunt eos*, inquit, *aves morsu amarissimo, dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram, atque serpentium.*

Psal. 8. & 9.

Deut. 32. 24

De potestate liberi arbitrii ante peccatum.

CAPVT XIV.

QVære obsecro in Microcosmo, nam & sic dictus est homo, quære (inquã) in microcosmo, hoc est in minore mundo, quære in corde humano quid sit illud quod *ad imaginem & similitudinem Dei formatur*, quod aliis omnibus dignitatis suæ privilegio præfertur, *cuius pedibus* cætera *omnia subiiciuntur*, & invenies, vt arbitror, nihil aliud quam liberum, rationalemque consensum de quo hoc rectius intelligatur. Huiusmodi namque consensus cur non rectè dicatur *ad imaginem, & similitudinem Dei factus*, inquantum liber *ad imaginem*, inquantum rationalis *ad similitudinem*. Hic omnia sibi subiecta ante prævaricationem habuit, & omninò in sibi subiectis nihil contradictionis invenit, quamdiù se superiori sponte subiecit, sed debitam obedientiam, quam suo superiori exhibuit, ab inferioribus accepit. Nihil quod in homine erat, eius imperio contradicebat. Omnia gubernabat, omnia disponebat, omnibus imperabat. Nihil movebatur contra eius voluntatem,

Quæ condicio liberi arbitrii in homine ante lapsum.

tem, nihil præter eius voluntatem. Omnis motus corporeus, omnis sensus, omnis appetitus, omnis affectus, omnis cogitatus ad eius nutum movebatur, dirigebatur, refrænabatur, reprimebatur. O quam sublimis potestas. O quam potens sublimitas, imperare *bestius terræ, volucres cæli, & pisces maris* sub potestate habere. O dignitas sublimitatis. O sublimitas potestatis, tot volatus avium, tot discursus bestiarum, tot natatus piscium, in tot studiis, tot exercitiis, tot oblectamentis submilium investigationum, multiplicium affectionum, variarum voluptatum, sub arbitrii sui iure possidere, & pro voluntate disponere, & ad imperii sui nutum inclinare.

De privatione primæ potestatis.

CAPVT XV.

SEd iam prævaricator hunc tantæ obedientiæ famulatum amisit, quia debitæ servitutis reverentiam suo creatori exhibere contempsit. Nam *accipiens armaturam zelus creatoris armavit creaturam in vltionem inimicorum, & pugnat pro illo orbis terrarum contra insensatos*, iam *leo rugiens circuit quærens quem devoret*, & *catuli leonum rugientes vt rapiant*. Sævit draco *cum furore trahentium super terram, atque serpentium*. Vulus nosse quomodo nunc prævaricatorem ex prævaricationis suæ merito (iuxta verbum Domini) *devorent aves morsu amarissimo*? *Cogitationes meæ*, inquit, *dissipatæ sunt, torquentes cor meum*. Dentes *bestiarum* Propheta timebat, cùm pro his Domino supplicabat. *Salva me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam*. Sciebat sanè, quia *stultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia*, nec expertũ latere poterat, quam timenda esset talium bestiarum sævitia. *Turbatus est*, inquit alibi, *à furore oculus meus*. Sed mirum in modum (iuxta humanæ industriæ vsum) idem Propheta bestias domabat ad venationem, & indomitis bestiis, indomitas venabatur ad mortem. *Rugiebam*, inquit, *à gemitu cordis mei*. Ecce quomodò rugitus gementis suffocabat rugitum prius furentis. Ecce quid contradictionis ecce quid rebellionis prævaricator invenit in regno quod prius pacatum, & tranquillum possedit. Potestatem itaque pristinam perdere, acceptumque regnum amittere potuit, re-

Sap. 5. 18. & 21.
1. Pet. 5. 8.
Psal. 103. 21.
Deut 32. 24
Iob. 17. 11.
Psal. 21. 22
Iob. 5. 2.
Psal. 6. 8.
Psal. 37. 9.

recuperare autem vel retinere nunquam poterit, nisi ex eius
1.Reg. 2.8. munere qui potens est *suscitare de pulvere inopem, & de stercore erigere pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.*
Psal. 21.29. *Siquidem Domini est regnum & ipse dominabitur gentium.* Novit
1.Par. 29. 11. qui dixit, *Tua est potentia, tuum regnum Domine.* Novit & Pro-
Ibid. 12. pheta quod ipse sit *dominator Dominus*, & *in manu eius honor &*
Dan. 4. 22 *imperium, & cui voluerit dabit illud*, & idcircò ei humiliter sup-
Psal. 85. 16 plicat, vt suum sibi regnum restituat, cùm dicat. *Da imperium puero tuo.*

De recuperatione primæ potestatis.

CAPVT XVI.

HOc quotidie regnum paulatim, & per partes in suis electis *rex regum* restituit, nunquam tamen in hâc vitâ ad eam pacem, vel securitatem quam ante peccatum homo in paradiso habuit, eo quod languor cupiditatis ad plenum curari non possit, & liberum arbitrium primi status vigorem perfectè recuperare nequiverit. Itaq; liberum hominis arbitrium quod ex seipso nihil potest, incipit posse quando, & quantùm
Iob. 42.2. voluerit ille qui *omnia potest*. Quæ enim *impossibilia sunt apud*
Mat. 19.26 *homines possibilia sunt apud Deum.* Incipit ergò posse ex divino adiutorio quod non potest de seipso, & quod iam non potest per naturã accipit bonum posse per gratiam Quotidie crescit ad bonum, quotidiè roboratur contra malum. Crescit ad
Mat. 8.9. bonum ita vt *in potestate* iam *consistens, & habens sub se milites*, possit *dicere huic vade, & vadit, & alij, veni, & venit; & seruo suo*
Rom. 6.12. *fac hoc, & facit.* Roboratur & æque contra malum ita vt iam *non regnet peccatum in hoc mortali corpore*, sæpè autem à Deo vt
Exod. 41.44 iam fiat illud dictum eredat. *Absque imperio tuo non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.* Et quantùm hoc esse putamus omnes rebelles animæ motus posse reprimere, & ab actu cohibere, quamvis necdùm possit omnes perfectè delere, & regnum suum ad plenam pacem reformare? Quamvis itaque non possit omnes pacis aduersarios extinguere, nec omnium manus, vel pedes truncare, magnum tamen
Psal. 2. 6. erit si nulli liceat *sine eius imperio manum, vel pedem mouere*, & potest qui huiusmodi est veraciter psallere. *Ego autem constitutus*

Natura per peccatũ læsa reparatur sensim per gratiam, sed primã potestatem non recipit plenè in hac vita.

tutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius. Itaque liber ille arbitrii consensus totius terræ, tot cogitationum, tot affectionum, tot appetituum, sensuum, imperator & Dominus, non potest interim omnia scandala de regno suo auferre, nec plenam, perpetuamque pacem poterit formare. Sed *cum venerit quod perfectum est, & evacuabitur quod ex parte est, cùm novissima destruetur mors* in victoriam, tunc proculdubio supra modũ multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis. Tunc demùm *dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, in diebus illis salvabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter,* eoquod *non sit qui exterreat.*

1. Cor. 13 10
1 Cor. 15. 26.
Psal. 71. 8.
Hier. 23. 6.
Esa 17. 2.

De perturbatione interna pacis, & conflictione virtutum cum vitiis.

CAPVT XVII.

SEd quamdiù *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem,* non potest Rex ille, qui & spiritualibus, & carnalibus concupiscentiis præsidere & præcipere debet, invenire plenam pacem perpetuamque securitatem. Hinc est quod ille *princeps populorum* (liber videlicet animi consensus) invenit in regno suo tot contradictiones, tot rebelliones, tot conflictationes, tot disceptationes, secundùm quod cogitationes cogitationibus contradicunt & affectiones affectionibus resistunt, & contrarii motus contrariis motibus occurrunt, & *surgit gens contra gentem, & regnum adversus regnum,* & insurgunt sæpe boni contra malos, & mali contra bonos, & quod est adhuc maius, mali contra malos, & dividi &c. Dividuntur contra semetipsos, *& facit Dominus concurrere Ægyptios adversus Ægyptios,* imò quod his omnibus est mirabilius, boni insurgunt contra bonos, *& pugnat vir adversus fratrem suum, & vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, & regnum adversus regnum, & vnusquisque carnem brachij sui vorabit, Ephraim, Manassem, & Manasses Ephraim, simul ipsi contra Iudam.*

Gal. 5. 17.
Mar. 13. 8.
Esa. 19. 2.
Ibid.
Esa. 9. 20.

Quo-

Quomodo vitium vitio reſiſtat.

CAPVT XVIII.

QVis neſciat quam gravis ſæpe contentio & quam longa fiat diſceptatio inter avaritiam & gulam, non dicam de talento, ſed de vno ſolo nummo, cùm quod vna vult expendi, altera præcipit reſervari. Sic ſæpe ſuperbia luxuriæ adverſatur, & vna ab altera vehementer infeſtatur, & multoties malum luxuriæ compeſcitur, vt mens elata habeat vndè glorietur. Quam multa ſunt quæ prohibet tenacia, quæ tamen præcipit & prævalet vana gloria. Et in his omnibus *dividitur regnum adverſus ſemetipſum.* Quis tamen ignorat quàm ſæpè hoc fiat, vt cùm ſuperbiæ ſuperbia obviat, vt vna alteri cedat, etiam hoc ipſum quod ſuperbia vincitur ſuperbiæ militare convincitur? Sic ſæpè ſuperbiæ exuuias abiicimus, & de humili habitu amplius intumeſcimus. Sic honoris ſublimitas contemnitur vt de honoris contemptu quantò occultius, tantò altius ſublimemur. Sed cùm videris in hunc modum *Ægyptios adverſus Ægyptios concurrere* noli mirari, neque timere, ſed *ſcito quia prope eſt deſolatio eius.* *Omne* enim *regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Cùm ergò *audieritis prælia & ſeditiones, & opiniones bellorum, nolite terreri,* Nam ille manu fortis qui de cœlo venit, *rex fortis,* & *potens in prælio, non venit pacem mittere in terram ſed gladium.* *Venit enim ſeparare patrẽ adverſũ filium, & filium adverſus patrẽ ſuũ,* & iuſtè quidem, eoquod bonus pater gignat ſæpè malum filium, & filius bonus multoties habent patrem malum. Cùm enim mens de turpi delectatione confunditur, & humiliatur, & de tali parente humilitas naſcitur, rectè talis proles adverſus talem patrem ſeparatur. Similiter cùm caſtitas ſuperbiam gignit rectè prolem ſuam talis parens deteſtatur, & odit, & ſe adverſus eam dividit, & iuxta hunc modum *pugnat ſæpe vir adverſus fratrem ſuum, & vir contra amicum, & inimici hominis domeſtici illius.*

Quid ſit Ægyptios bellare adverſus Ægyptios.

Quid ſit virum pugnare contra fratrem ſuũ.

Luc. 21.20
Luc. 11.17.
Luc. 21.9.
Mat. 24.6.
Mat. 10.34 & 35.
Eſa. 19.2.
Mat. 10.36

Quomodò virtus virtuti contradicat.

CAPVT XIX.

SEd ad huius magnæ & tantæ admirationis cumulum illud accedit, & nescio quid magni prodigii portēdit, quod etiā *contentio fit inter discipulos*, & boni contendunt contra bonos, & fit magna contradictio, & vehemens disceptatio inter ipsos: & aliud sæpè loquitur iustitia & aliud loquitur misericordia, & quod dicitur ab vna contradicitur ab alia, & fit inter huiusmodi concives cœli contentio dura, & eandem frequenter culpam quam iubet iustitia puniri, misericordia mādat ignosci, nec patitur iustitia sæpè, vel parum quid se à suā rigore relaxari, nec sustinet misericordia vel minimùm quid à sua se levitate deflecti. Sed imperat hæc vlcisci totum, illa nititur ad totum indulgendum, & vnaquæq; transgreditur possessionis suæ terminum, & molitur occupare alterius prædium, & contra instituta divinæ sanctionis, & contra regulam discretionis non sinunt *sibi dividi terram in funiculo distributionis.* Psal. 77. 54
Iuxtà hunc itaq; modum dividuntur sæpè boni contra bonos, & insurgūt alii contra alios, & *scinditur regnum Israel* in duas partes, & concitant inter se sæpè prælia, & seditiones, & nunquam in hāc vitā quocunq; flatu, quocunq; profectu invenitur firma pax, aut plena requies. Sed vndè quæso ista in corde humano multiformis altercatio, & infinita contentio, nisi de languore capitis, & defectu nativæ virtutis, & privatione antiquæ potestatis? Manet enim vsq; hodiè *omne caput languidum*, & quamvis arbitrium hominis verè sit liberum, perseverat tamen infirmum, nec potest curari ad plenum, donec *mortale hoc, induerit immortalitatem, & corruptibile hoc, induerit incorruptionem.* 1. Cor. 15. 53. Quomodò enim non habet interior ille homo noster *caput languidum*, quod per seipsum nunquam vel erigit ad modicum, vel modicum sustinet etiam cùm fuerit divinę opitulationis manu sublevatum? Nunquam æquè ad bonum (nisi aliena manu) erigitur, & absque mora ad se, sed etiam subse ipsum relabitur, cùm sublevantis manus subtrahitur.

De

De gratia & natura.

CAPVT XX.

SEd nunquid, inquis, potuit homo aliquid boni de seipso etiam ante peccatum, & cùm esset adhuc in paradiso- *Quid* 1. Cor. 4. 7. *enim habuit quod non accepit?* Nihil sanè habuit quod ab illo non acceperit, & nihil omnino potuit nisi ex eo, & secundùm id quod accepit. Sed alia potuit ex naturâ, & alia potuit ex gratiâ. Alia namq; bona naturæ, & alia sunt dona gratiæ. Verùntamen & hæc, & illa constat esse ex gratiâ: nam ex gratia vtiq; est ipsa natura. Prima itaq; bona ex gratiâ prevenienti. Secunda autem bona ex gratiâ subsequenti. Rectè ergò & præveniens, & subsequens potest dici gratia, sed illa prima, ista secunda. Sed consuetudo habet, commune nomen vni specialiter attribuere, & eius significationem circa vnius tantùm designationem refringere, & secundùm gratiam ex vsu, gratiâ vocare. Nam primam gratiam vocamus potiùs naturâ quam gratiam. Cùm ergò dicimus hominem ante peccatum aliquid boni potuisse per seipsum, nihil aliud dicimus quam potuisse per naturale bonum. Sic cùm negamus eum aliquid boni posse ex seipso, subintelligimus eum iam nihil boni posse ex solo naturali bono. Sed nunquid dicemus eum nihil potuisse ex naturâ (hoc est prima gratia) antequam natura esset corrupta? Sed si aliquid boni potuisset ex ipsâ conditionis suæ naturâ accepit, hoc est quod peccando amisit. Amisit itaq; potestatem non autem libertatem. Nam bonum posse, est verè posse, sicut cogi non posse est verè liberum esse. Si enim ad bonum seu ad malum ab alio cogi posset, iam omninò liber non esset, etsi bonum facere, vel malum declinare posset, non solùm liber, sed & potens esset. Sed si etiam eum ante peccatum aliquid boni sine adiuncta gratia potuisse negamus, tamen non mediocrem faciendi boni possibilitatem peccando amisisse negare non possumus. Quod enim per gratiam potuit verè potuit, & quod magna per gratiam potuit, magna possibilitas fuit.

Primi hominis gratia ad naturam integram pertinebat.

De integritate gratiæ ante peccatum.

CAPVT XXI.

Gratia quã habuit homo ante peccatũ quanta.

ATtende ergò qualem gratiam accepit, & quantum per illam potuit, & tunc intelliges quid poteſtatis amiſit. Sane abſque dubio, & ſine omni contradictione ſufficientem gratiam habuit ante peccatum, non ad omne bonum faciendum, ſed ad omne debitum ſolvendum, & ad omne malum cavendum. Quanta quæſo hæc poteſtas ad bonum, & contra malum fuit quam ex cooperante gratia habuit? Quis glorietur ſe hanc poſſibilitatis integritatem recuperaſſe, vel præſumat ſe poſſe in hac vita recuperare? Quis, inquam, glorietur ſe vel totum feciſſe quod oportuit, vel totum non feciſſe quod non licuit? Quandò quæſo poterit homo omne debitum ſolvere *qui* (ſecundum ſententiam Iob) *non poteſt reſpondere vnum pro mille*? Sed & illud ſcimus *quia in multis offendimus omnes*, & *ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Gratiam itaque ſed gratis recuperare poteſt & in recuperata gratia quotidie creſcere poteſt, veruntamen primæ poſsibilitatis integritatem recuperare non poteſt. Et ſi maiorem gratiam iuxta aliquid recuperare poſsit, integram tamen in hac vita habere non poterit. Puer ſemel truncatus maius corpus habere poteſt, integrum autem omninò habere non poteſt, gratiam ſanè integram veraciter tunc haberet, ſi ad omne debitum ſolvendum, & omne illicitum cavendum ſibi ſufficeret. *Sed* (ſecundum Salomonis ſententiam) *non eſt iuſtus in terra, & qui non peccet*. Integram itaque gratiam recuperare non poteſt, nec ad primæ poſsibilitatis integritatem poſt corruptionis ſuæ malum proficere poteſt, eo quod *caput languidum* ſit, & infirmitas eius plenam curationem non recipit.

Iob. 9. 2.

Iacob. 3. 2. 1. Ioan. 1. 8

Gratia integra in hac vita ab homine recuperari non poteſt.

Eccl. 7. 21.

De

De ſtabilitate gratiæ ante peccatum.

CAPVT XXII.

HVc accedit quod gratia quam homo ſemel accepit ante peccatum iuſtè ſubtrahi non potuit. Quam etſi præter meritum acceperat, ſine culpa tamen amittere non debebat. Nunc autem omni hora poteſt iuſtè ſubtrahi, quia nunquam poteſt homo ſine culpa inveniri. Et ſicut non poteſt per ſe ſemel amiſſam recuperare, ſic quidem gratis recuperatam, non poteſt, niſi ex aliena tutela cuſtodire. Vide ergò quantùm ſit inter primum ſtatum & ſecundum, inter illum videlicet qui fuit ante peccatum, & hunc qui eſt poſt hominis lapſum. Primò habuit gratiam integram & ſtabilem, nunc autem nec integram nec ſtabilem. In futurâ autem vitâ (poſtquam *abſorpta fuerit mors in victoriâ*) habebit non ſolum ſtabilem, ſed etiam immobilem. Stabilem enim ante peccatum gratiam habuit, quia ſemel acceptam ſemper ſervare potuit. Sed quod immobilem non habuerit patet ex eo quod eam poſtmodùm amiſit. Sed tunc eam immobiliter poſſidebit, cùm eam vlterius amittere non poterit. Nunc autem quâdiù in corpore peccati mortaliter vivimus, non dicam immobilem ſed neq; ſtabilem habere poſſumus. Sæpè negligentibus & torpentibus nobis vltrò offertur, & ſæpè multis & magnis conatibus noſtris ſubito & inopinatè ſubtrahitur. Quamdiù ergò gratiam amiſſam ad antiquam integritatem vel ſtabilitatem reparare non poſſumus, virtutem mentis ad primi vigoris firmitatem non reparamus, & acceptam primæ poſſibilitatis poteſtatem in bono ex integro non recuperamus, & languorem capitis in qualicumque virtutum profectu ex magnâ parte neceſſariò ſuſtinemus. Manet itaque infirmitas cum libertate, & libertas cum infirmitate in tantum vt neutrum præiudicet alteri, nec infirmitas libertati, nec libertas infirmitati, quia nec infirmitas minuit libertatem nec libertas aufert infirmitatem. Cùm igitur legis vel dudis liberum arbitrium eſſe captivum, nihil aliud intellige quam infirmum, & nativæ poſſibilitatis virtute privatum, quod admonere nos voluit qui hoc deſignat per *caput languidum*. Alioqui contrariis aſſertionibus ſibi ipſis

In ſtatu naturæ integræ gratia erat ſtabilis. In ſtatu gloriæ eſt immobilis. In ſtatu naturæ lapſæ nec immobilis, nec ſtabilis.

Liberum arbitrium in homine lapſo qua ratione captivū.

ipſis contradicunt, & ſeipſos convincunt, qui hominis arbitrium & liberum vocant, & captivum affirmant. Sed fortè qui captivum dicunt, pro parte hoc intelligi volunt, eo quod ex parte ſit liberum, & ex parte captivum. Sed quis neſciat quia ſi mille Dominos haberem & vno ſolo adhuc premente cæteris omnibus libertate donarer (vtpotè qui adhuc Dominũ haberem) liber vtique rectè dici non poſſem. Conſtat itaque quod hominis arbitrium liberum, dici non poſſit, ſi vel ex parte libertatem amiſit.

De tribus gradibus libertatis, & quod ſummam libertatem habeat homo.

CAPVT XXIII.

Voluntas nõ poteſt privari ſua libertate.

SEd ſi diligenter attendimus, puto quia inveniemus hominem non modo libertate non carere, ſed magnam (imò ſummam) libertatem poſſidere. Primus liquidem libertatis gradus eſt nulli coactioni ſubiacere. Secundus autem nulli ſubiici debere. Tertius verò & ipſe ſummus nulli penitus ſubiici poſſe. Quomodò ergò arbitrium hominis verè (imò ſummè) liberum non eſt, quod ſua libertate nullâ vi, nulla poteſtate privari poteſt. Nam hoc nec creatura valet, nec creatorem decet. Sed quomodo vel creator hoc poteſt, qui nihil quod non debet facere poteſt? Si igitur nulla violentia arbitrium poteſt ſuâ privare libertate, conſtat illud ſummam libertatem habere. Nihilominùs tamen, (vt ſuperius monſtratum eſt) voluntas voluntati contradicit, & voluntas voluntati reſiſtit, & alia ab alia impugnatur, & nunc hæc nulla illa captivatur. Sed in huius congreſſionis certamine ſicut voluntas eſt quæ oppugnat, & voluntas quæ oppugnatur, ſic voluntas eſt quæ ſuperat, & voluntas quæ ſuperatur. Sed in his omnibus manet libertatis integritas, quia ſemper triumphat voluntas. Hæc itaque arbitrii libertas nec in bonis maior, nec in malis eſt minor, quæ nec per peccatum minuitur, nec per meritum augetur, Quæ enim in omnibus ſummum gradum obtinet, ſicut nec creſcere, ſic nec decreſcere habet. Sed ſicut eſt miranda arbitrii libertas, ab alia cogi non poſſe, ſic miſeranda prorsùs infirmitas, in ſeipſo ad

omne

omne bonum torpere. Quia igitur in homine illo interiori inter naturalia bona nihil hac libertate dignius, nihil sublimius invenitur, rectè per *caput* designatur. Et quia cùm assignata infirmitate omnis homo vivit, & moritur congrue sane languori comparatur.

De ignorantia boni & mali.

CAPVT XXIV.

Isa. 1. 5. OMne, inquit, *caput languidum & omne cor mœrens.* Et iūste quidem quamdiù *caput omne languet, omne* etiam *cor mœret.* Dolor siquidem capitis est sufficiens causa doloris. Si igitur cor habemus, si omninò excordes non existimus, nisi omni consilio destituti sumus, tantum malum dissimulare nec possumus, nec debemus. Si enim per cor (vt dictum est) consilium rectè intelligi debet, qui huiusmodi cor habet, dolore carere non valet, quia malum quod in se videt, sine dolore non sustinet, imò quantò melius agnoscit, quanto consultius agit, tanto amplius plangit. *Qui* enim Eccl. 1. 18. *apponit scientiam, apponit & dolorem.* Debet autem dolor noster, & acriùs nos vrgere intus, & apparere exterius. Intus ad remedium, foris ad exemplum. Nam (vti iam dictum est) mœror est dolor intus acrius sæviens, & per lachrymas Osea. 7. 11. foras erumpens. Si ergo *columba seducta* & *non habens cor* omnino non sumus, si *absque consilio & sine prudentia* non existimus, probemus in opere quam vere dolemus in corde, & appareat exteriùs quid patiamur intrinsecùs. Vt autem inde dicam quid sentio, in his verbis causam pro effectu positam existimo. In eo enim quod dicitur, *omne cor mœret*, effectus ex causa (vt arbitror) tacite innuitur. Sed cùm causam pro effectu positam invenimus, magis quid ex ipso sit, quam quid ipsum sit, quod ponitur per expositionem, vel diffinitionem quærere debemus. Secundum hanc itaque considerationem, quid aliud est mœror, nisi lachrymarum effusio visusque hebetatio? Assidua enim lachrymarum effusio, aciem ocu-

lorum corrumpit, & citiùs caligare facit. Rectè ergò dicitur, quia *omne cor mœret*, quia ad omne consilium rationis acumen habet? Hinc est illud Sapientis præceptum, vel documentũ. *Noli innitι prudentiæ tuæ. Ignorat enim homo quid conducat sibi in vita sua numero dierũ peregrinationis suæ, & tẽpore quod velut vmbra præterit.* Nisi enim interior ille oculus caligaret, toties proculdubio in veritatis iudicio minimè erraret. Vnde quæso contraria consilia tam sæpè, tamque diversæ sententiæ, non dicam de diversis, sed de vno eodemque corde, & penè sub eodem tempore. Vnde, inquam, nisi de cordis caligine, & veritatis ambiguitate? Prov. 3. 5. Eccl. 7. 1.

Caligo cordis contrariorum iudiciorũ causa.

De gemino errore Iudicii.

CAPVT XXV.

DVobus autem modis in iudicii nostri examine peccamus, dum adhuc frequenter sub tantæ ambiguitatis nubilo viã carpimus. Erramus enim modo in discernenda qualitate, modo in examinanda quantitate. *Qui dicit bonum malum, vel malum bonum*, in rerum qualitate errat, & qui dicit quod maius est esse minus, & quod minus est esse maius, in quantitate peccat. Qualitas operum profectò eos fefellerat, quos propheta arguebat, cùm diceret: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* In quantitatis examinatione error ille esse deprehenditur, qui per Prophetam redarguitur, cùm dicitur *Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Ad hoc sane aliquid *in statera appenditur*, vt eius quantitas non ignoretur. Sic auri, sic argenti pondus quærimus, vt eorum pretium rectè æstimemus. Sed nemo *in statera mendax* esset, si nemo alium deciperet, si nemo ab alio deceptus fuisset, hinc est illud quod per Sapientem dicitur: *Statera, dolosa pondus & pondus, vtrumque abominabile Deo.* Quo contra in lege præcipitur: *Sit iustus modius, aequusq; sextarius.* Hinc est quod filii Israel cùm promissam hæreditatem accipiunt inter se, illam *in funiculo distributionis dividunt*, vt vnaquæque virtus in sua actione iustę æquitatis men-

Esa. 5. 20.

Psal. 61.

Prov. 20. 23.

Levi. 19. 36

Psal. 77. 54

mensuram teneat, & rectæ discretionis metas minimè excedat. Quis mihi inveniat hominem qui nunquam erret in æstimatione qualitatis, aut quantitatis, qui nunquam circumveniatur *à negotio perambulante in tenebris*? Optimus negotiator, qui in æstimandâ rerum qualitate, vel quantitate, nunquam valeat falli, nunquam velit fallere. Sed quãdò hoc poterit homo involutus *tenebris, habitans in regione vmbræ mortis*? Impossibile sane est hoc omni homini, quamdiù *tenebræ sunt super faciem abyssi*, donec ille *qui dixit de tenebris lumen splendescere, emittens lucem suam & veritatem suam*, incipiat *lucem à tenebris dividere, & fiat vespere & mane*. Emissa namque & accepta intelligentia veritatis, incipit statim homo dividere *lucem à tenebris*, & discernere primo quidem bona à malis, & mala à bonis, posteà autem bona à melioribus, & mala è peioribus, tandem verò meliora ab optimis, & peiora à pessimis. In hunc sanè modum, secundum sapientis sententiam, *semita iustorum, quasi lumen precedit, & crescit vsque ad perfectum diem*. Impleturque quod dicitur. Et *educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem*. *Lumen* acceptum paulatim *procedit, vsq; ad perfectum diem excrescit*, quando accepta veritatis intelligentia paulatim proficit, & quandoque vsque ad plenam discretionem pertingit. *Alius* (inquit Apostolus) *iudicat inter diem & diem, & alius iudicat omnem diem*. Quale putas Dei donum dare, iudicium facare ei qui filius hominis est? Et primum quidem est, vt sciat homo iudicare inter diem & noctem, vltimum autem (& hoc ipsum summum) vt sciat *iudicare omnem diem*. Debemus itaque certis quibusdam cognitis gradibus ascendere, si volumus ab hoc infimo ad summum illud ascensionis culmen pertingere.

Intelligentia veritatis est donum Dei.

Psal.90.6.
Esa.9. 2.
Gen.1.2.
2.Cor.4.6.
Psal.42.3.
Gen.1.4.& 5.
Prov.4.18.
Psal.36.6.
Rom.14.5.

De quinque gradibus discretionis.

CAPVT XXVI.

PRimum itaque est (vt iam diximus) iudicare inter diem & noctem. Secundum autem inter noctem & noctē. Tertium vero *inter diem & diem.* Quartum est iudicare omnem noctem. Quintum *iudicare omnem diem* Inter diem & noctē iudicamus, quando bona à malis segregamus. Inter noctem & noctem iudicat, qui à malis peiora, à peioribus pessima discernere non ignorat. Similiter *inter diem & diem iudicare,* est ex bonis meliora, ex melioribus optima eligere. Omnem noctem diiudicat, qui vnumquodq; vitium digna examinatione pensat. *Omnem item diem iudicare* est vnamquamq; virtutem iuxtà propriam dignitatem æstimare. Quisquis autem hæc quinq; veræ discretionis, vtilisq; cognitionis talenta meruit de Domini largitate percipere, studeat *operari in eis, & lucrari alia quinque,* vt veritatis imago, quæ ex inspirante gratia impressa est cognitioni, per humanam industriam, & cooperantem gratiam imprimatur & affectioni. Alioquin melius est regulā veritatis non agnovisse, quam cognitam spernere. Ex acceptis ergò talentis dignum quidem lucrum facimus, & quasi ex *quinque talentis alia quinque* acquirimus, si iuxtà regulam cognitæ discretionis studeamus informare qualitatem nostræ affectionis. Studeamus ergò diligere quæ diligenda cognovimus & quæ dilectione nostra digna non sunt, minimè diligamus. Sed nec hoc nobis sufficere debet ascendisse virtutis hunc gradum primum, nisi ascendamus & secundum, & de secundo ad tertium. Quæ igitur in malis deteriora sunt, maiori odio persequamur, & quæ in bonis meliora sunt, arctiori dilectione amplectamur, & per secundum ad tertium virtutis gradū nos ascendisse gratulemur. Sed possumus absque dubio quod minus est, minus diligere, & quod melius est, magis amare, & tamen in vtriusq; dilectione congruum modū minimè servare. Similiter & in contrariorum reprobatione contingit sæpè simili ignorantia peccare. Studeamus ergo per quartum gradum ad quintum ascendere, vt sciamus in omni malo, vel bono, odii vel amoris, congruam mensuram servare.

Mat. 25. 16

Quibus bona diligenda sunt prorationē bonitatis sue: & mala odio habenda pro ratione malitiæ.

Quod

Quod discretionis gratia modo datur, modo subtrahitur.

CAPVT XXVII.

MIraris fortassis quomodo concordet præmissa illa Prophetica sententia, cum hac assertione Apostolicâ. Quomodo enim veraciter dicitur *omne cor mœrere*, & ex mœrore caligare, si verè invenitur qui possit *omnem diem iudicare*, An forte quia dictum non est omni tempore mœret, quamvis dictum sit, *omne cor mœret*, vtrúque rectè intelli valet? Est enim
Eccl. 3.4. *tempus flendi, & est tempus ridendi.* Siquidem
Psal. 29.6. *ad vesperum demorabitur fletus & ad matutinum lætitia.* Vespertinum tempus, tẽpus est tristitiæ, matutinum tempus, tempus est lætitiæ. Illud est *tempus flendi*, istud est *tempus ridendi.* Tempus caliginis tẽpus est mœroris, tempus lucis tempus est exultationis. Novit
Tob. 5.12. hoc qui dixit: *Quod mihi in gaudium esse potest, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Quare ergò *omne cor mœret*, nisi quia nullum cor perpetuum diem hic habet, quia *lumen cœli* semper præsens habere non valet? *Oritur enim sol, & occidit, & ad locum*
Eccl. 1.5. *suum revertitur*, quia veritatis intelligentia modo datur, modo subtrahitur, & post subtractionem iterum eadem, quæ prius gratia recuperatur. Quid ergò mirum si *omne cor mœret*, quãdiù necessarias tenebras huiusmodi alternantium vicissitudinum sustinet? Quamdiù in terra vivimus, quamdiù in terra sumus, has temporum vicissitudines necessario sustinemus. In cœlo dies sine nocte, in inferno nox sine die, in terra nec nox sine die, nec dies sine nocte. Itaque in cœlo gaudium sine perturbatione, in inferno dolor sine consolatione: in terra nec dolor sine spe, nec gaudium sine timore. In summo locus sem-
Prov. 14.13 per ridendi, in imo locus semper flendi: in medio *tempus ridendi & tempus flendi. Risus* enim *dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Necesse ergò habet omne cor vt doleat, vt
1. Reg. 2.8. lugeat, donec tenebras suas plene evadat, donec *solium gloriæ*
Psal. 88.30 *teneat.* & fiat *thronus eius sicut dies cæli.* Quid ergo mirum, si ille etiam dicatur lugere, qui potest *omnem diem iudicare*, eo quod non possit semper diem habere?

In cælo lux mentis sine tenebris: in inferno tenebra sine luce: in hac vita est vicissitudo.

De duobus gradibus deliberationis.

CAPVT XXVIII.

SEd si adhuc diligentius consideremus quid sit iudicii, vel quid sit consilii, inveniemus quia sæpe consiliũ titubat, etiã vbi iudiciũ stat, & quia vbi consiliũ caligat, ibi sæpè iudicium clarè considerat. Sicut autẽ superius diximus, per cor, consilium intelligimus, vide ergò vtrùmnã consilium caligare possit etiam ibi, vbi iudicium certum fuerit, vt rectè dicatur, *omne cor mœret*, quãvis inveniatur qui *omnem diem iudicet*. Aliud est discutere quid sit bonum, vel malum in se, & aliud est deliberare quid expediat vel non expediat cuique. Illud est iudicii, istud est consilii. Sicut enim non omnes omnia possunt sic nec omnibus omnia expediunt. Sæpè enim quòd in se est maius bonum, quibusdã expedit minus, & quod in se quidem est minus, maius tamen expedit aliquibus. Fit namq; sæpe, vt quod alii est cumulus damnationis, alii sit occasio salutis, & quod quibusdã est augmẽtũ coronæ, sit aliis causa ruinæ. Quã multos videmus de sublimi graviter corruisse, qui in inferiori gradu solebant, vel poterant fortiter stare. Quam multos videmus in virtutum ascensu, religionisque provectu, firmos gressus figere, multumq; properare, qui in sæcularis conversationis planicie segniter ibant & sæpe cadebant, idcirco *ignorat homo quid sibi conducat in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ & tempore quod velut vmbra præterit.* Eccl. 7. 1. Hæc sane est causa cur *omne cor mœret*, cur consilii oculus caligat etiam in eo qui *omnẽ diem iudicat*. Vultis tandem apertius nosse quam multa potest iudicium, quę tamen minime potest consilium? Quam multa quæso invenimus de quibus indubitanter affimare audemus quia sunt bona, & item quam innumera reperimus de quibus minimè dubitamus quod veraciter sint mala. Inveni mihi vnum aliquem qui mihi vnum aliquid ostendat quod cuiusquam mali causa fieri nequeat. Quid quæso tam bonum quod non possit fieri casus occasio, vel quid quæso tam malum, quod fore nequeat cautelæ commonitio? Ecce quomodo omne cor ad omne consiliũ nutat, ecce quomodò omne consilium ad omnẽ providentiam caligat, vt rectè dici debeat, quia *omne cor mœret*, vt ex mœrore innuat caliginem

Differentia inter iudicium & consilium.

quam

quã sustinet. Vides certè quia facilius est iudicare quid liceat, quid non liceat, quam eligere quid expediat. Illud est discretionis, istud deliberationis: illud iudicii, istud consilii. Alia itaque est illa scientia, & longe alia ista secunda. Alia itaque sunt talenta cognitionis primæ, atque alia sunt talenta cognitionis secundæ: vtraque rara, vtraque pretiosa. Secunda tamen multò rariora quam prima. Sed quamvis rara, non tamen nulla. Quis enim neget multos ex divina inspiratione nosse non solùm vtilia eligere, verùmetiam ex vtilibus vtiliora secerpere, cùm non possint ad omnia sufficere, & quid magis, quid minus, & quid minimè expediat, sagaciter deprehendere? Scias itaq; te gemina valdè pretiosa de Domini commissione percepisse talenta, cùm cœperis rectè distinguere inter vtilia & invtilia, & item inter vtilia, quæ sint aliis vtiliora. Cùm igitur hæc geminæ deliberationis talenta de Domini largitate acceperis, stude *operari in eis, & lucrari* ex eis, vt & exterius exprimas in opere quod interius impressũ est in cognitione; & duo ex duobus acquirens possis geminata talenta in Dominica lucra reportare.

Mat. 25. 15

De discretionis & deliberationis norma & quæ talenta, quomodo sint augenda.

CAPVT XXIX.

NOtandũ itaq; quod priora illa *quinque talenta* augenda, & multiplicanda sunt in affectione, ista in actione. Quod enim ibi ex discretione iudicii semel impressum est cognitioni studiosè postmodùm imprimi debet & affectioni, hic autem quod ex consilii deliberatione præfiguratum est in cognitione ad eandem prudentiæ regulam reformetur in opere. Ex priori itaq; prudentiæ regulâ debemus magis diligere quæ magis sunt bona, non tamen magis exercere, cùm sæpe sint impossibilia vel minus vtilia, sed sicut ex hac secunda prudentiæ regula docemur, illa magis exercenda sunt quæ magis expediunt, quamvis sæpe meliora sint quæ exerceri non possunt vel minimè expediunt. Sic itaq; studeamus quæ meliora sunt magis amare, vt tamen sciamus cùm hoc expedit meliora minus exercere, & sic illa quę magis expediunt, & minus bona sunt ampliùs exerceamus, vt illa quæ minus exercentur, & me-

Meliora licet magis diligenda sint, non tamen semper magis exercenda.

& meliora probantur magis diligamus. In hunc itaq; modum ab vno eodemq; Domino alii *accipiunt quinque talenta* in discretione iudicii, alii autem *duo* in deliberatione consilii.

Cur non sint quinque gradus deliberationis sicut & discretionis.

CAPVT XXX.

SEd forte miraris cur hic in deliberatione consilii sicut superius in discretione iudicii quinque talenta assignata non sint, cùm hic sicut & superius assignari possint. Sed quære diligentius & invenies citius de reliquis tribus, quia vnum ex his quærere erit invtile, aliud ex his habere, erit impossibile. Tertium ex his tam erit invtile quærere quàm impossibile habere. In his enim quæ constat esse invtilia, quid prodest quærere, & investigare quæ sunt ex eis magis frivola, cùm constet omnia à nostris studiis amovenda? Et tamen per discretionem iudicii quærimus inter mala quæ sunt aliis peiora, vt sciamus quæ minus, quæ magis sint punienda, ne si ea nos hic minus digne percutimus, in vltimo die punienda reservemus. Singula autem eorum quæ expediunt, quid vel quantum vtilitatis conferant neminem puto posse comprehendere, nec hoc scientiæ talentum credo quempiam in hac vita percepisse, quamvis multos constet de Domini inspiratione & invtilia dignoscere, vtiliora eligere. In his autem quæ invtilia sunt, & minime expediunt, singulorum proprietatem quærere & assignare (vt ex duobus superioribus patet) tam erit invtile, quam impossibile. Cum ergò huiusmodi talenta de Domini largitate percepimus, tanto in his instantius operari debemus, vt ea cum lucro reportemus, quanto constat quia alieno ea munere possidemus. Nemo itaque sibi attribuat cùm recta iudicat, vel vtilia deliberat.

Quod

Quod illuminantem gratiam non ſemper habemus præſentem, nunquàm autem ſufficientem.

CAPVT XXXI.

SEd & ille quidem qui iam huiuſmodi talenta accipere meruit, non ita ſecurus ſit, quaſi iam vlteriùs falli non poſſit. Nam ſicut ille ſolus ſapienter diſcernit, & prudenter ſibi conſulit, quem divina gratia inſpirat, & eius inſpiratu illuminat, ſic tunc ſolùm vtrumque vtiliter valet, cum aſpirantem gratiam præſentem habet. Sed quis eſt qui in hac vita
Iob. 7.18. ſemper gratiam præſentem habeat vel habere valeat? *Viſitas eum*, inquit Iob, *diliculo & ſubitò probas illum.* Sed ſi ille Prophetarum eximius divinæ revelationis lucem ſemper præſen-
Pſal. 12. 4. tem habuiſſet, Domino vtique minimè proclamaſſet: *Illumina*
Pſal. 41. 3. *oculos meos.* Et illud: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Divinus itaq; ille internæ aſpirationis radius, quandoq; ſubtrahi-
Pſal. 103. 20 tur. *Poſuit* enim *tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ.* Sed iterùm ad Domini nutum *ortus eſt ſol, &*
Ibidem 22. *congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabantur.* Sole itaq; occidente, & iterùm oriente *ſit veſpere & mane*, vt ſit, *tempus flendi,*
Eccl. 3. 4. *& tempus videndi*, pro eo, quod *ad veſperum demorabitur fletus &*
Pſal. 29. 6. *ad matutinum lætitia.* Quid igitur mirum ſi *omne cor mœret* quod divinam lucem ſemper præſentem habere non valet, ſine qua nihil clarè perſpicit, nihil rectè diſcernit? Plus aliquid adhuc audeo dicere, & quod nemo (vt arbitror) audeat negare, quia homo & ſi gratiam præſentem haberet, nec ſic quidem mœroris caſus plenè evaderet. Nunquam enim homo in hac vita etiam pro hac parte habet gratiam ſufficientem, quamvis tamen quandoq; habeat gratiam præſentem. Quod enim ſuperiùs diximus de libertate arbitrii, hoc idem affirmamus de diſcretione iudicij. Sicut namq; in hac vita nunquàm habemus ſufficientem gratiam ad bonum faciendum, ſic nunquàm hic ſufficientem gratiam habere poſſumus ad verum diſcernendum. Attende nunc obſecro quanta ſit multitudo bonorum innumerabilium à ſummo creaturarum vſq; ad imum. Inveni mihi vnum aliquem ex omnibus qui vnum aliquid

Gratia illuminationis ad omne verum plene cognoſcendum ſufficiens, non datur in hac vita.

aliquid horum ad plenum comprehendat, de quo ſecurè dicere & veraciter affirmare audeat, qui hoc tantum valet nec plus, nec minùs, & qui hoc tantùm diligendum eſt, nec plùs, nec minùs. Hoc ſanè nec ille præſumere poteſt qui *omnem diem iudicare* dictus eſt, vt iuſtè mirari debeas, quomodò poſſit *omnem diem iudicare*, qui nullum omninò poſſit comprehendere. Ecce quantam ambigui caliginem cor humanum ſuſtinet, & quantum quàmdiù hic vivitur ſuſtinere habet, vt meritò dicatur quia *omne cor mœret*. *Mœret* vtique propter mentis caliginem, & caligat propter mentis mœrorem. Quantò autem *mœret* tantò & hebet, & quo ampliùs hebet, eò & vehementiùs *mœret*, quia & ex mœrore hebetatur, & ex hebetudine ad mœrorem renovatur. Superiùs agnovimus de infirmitate liberi arbitrij per languorem capitis, hic iam didicimus de ambiguitate conſilij, per mœrorem cordis. Reſtat adhuc audire, & agnoſcere de inquietudine deſiderij per infirmitatem corporis. Rom. 14 5.

De concupiſcentia mali.

CAPVT XXXII.

A *Planta*, inquit, *pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Per *pedem* (vt dictum eſt) intelligimus carnale deſiderium, per *caput* autem liberum arbitrium. *Planta* autem eſt imũ pedis, *vertex* verò ſummũ capitis. Sed quid inferiùs iacet quàm id quod eſt in neceſſitate, & quid altiùs eminet quàm id quod eſt in poteſtate? *Planta* itaq; *pedis* neceſſitas infimi deſiderij, & *vertex* capitis poteſtas liberi arbitrij. *Pedis planta*, cõcupiſcentia neceſſaria, *vertex capitis*, poteſtas motiva. Ad pedem pertinet neceſſitas concupiſcendi, ad verticem verò facultas operandi. Pedis imum, neceſsitas concupiſcendi malum, capitis ſummum facultas operandi bonum. Bonum hic dico commodum non meritum. Meritum autem ad ſanitatẽ, non ad infirmitatem pertinet, & de tali vertice dici non deberet. *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*, niſi fortè quis vtque excluſivum hic non inclusivum dicat, & verticem ſolùm à cæterorum membrorum lege excipiat. Sed vtinam homo tam haberet verum bonum in poteſtate, quam verè habet verum malum in neceſſitate. Eſai. 1. 6.

Quod

Quod totum hominis infirmitati ſubiacet.

CAPVT XXXIII.

SEd eſt quoddam bonum quod eſt ad meritũ, & eſt quoddam quod eſt ad reatũ, & eſt quoddã quod neq; eſt ad meritũ neq; ad reatum. Sed illud quod eſt ad reatũ, rectiùs dicitur malum quàm bonum, quamvis ab his qui libenter cõmittunt malum dicatur, & diligatur quaſi bonum. Bonum autem quod non eſt ad meritum, ſicut nec ad reatum, meliùs dicimus commodum. Huiuſmodi autem multa habet homo, non ſolùm in libertate, verum etiam multoties in poteſtate, ſicut & eorum quæ ſunt ad reatum multa habet. ſæpè non ſolum in voluntate, ſed etiam in neceſſitate. Eorum autem quæ ſunt ad meritum, nihil habet in libero arbitrio niſi ex divino adiutorio. De difficultate illius quod eſt ad meritum, dicitur: *Sine me nihil poteſtis facere*, de facultate illius quod non eſt ad meritum nec tamen ad reatum, dicitur: *Si enim vos cum ſitis mali noſtris bona data dare filijs veſtris, quantò magis pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* De neceſſitate illius quod eſt ad reatum, legitur: *quod enim nolo malum id ago.* Exhisitaque tribus rerum generibus quæ diſtinximus, alia poteſt habere in poteſtate, alia in libertate, alia in voluntate, alia in neceſsitate. Illud in poteſtate eſt, quod pro arbitrio voluntatis fieri vel prætermitti poteſt. Illud in libertate habemus ad quod alienâ violentiâ cogi non poſſumus. In voluntate autem eſt quod fieri velis, etiamſi id efficere non poſsis, in neceſsitate verò habes cui etiam cum volueris, reſiſtere non vales. Poſſemus adhuc hos quatuor differentiarum gradus ad invicem conferre, alternatimque coniungere, & illud interioris hominis noſtri corpus, per multa membra diſtinguere, & ab imo pedis ſurſum, vel à ſummo capitis deorſum, conſiderationis noſtræ modum ordinariè. Sed ne in his nimis immoremur, illud quod hic de huiuſmodi corpore dicitur, & quod præteriri non debet, intueamur. *A planta*, inquit, *pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Si ſolum hoc ad ſanitatem pertinet, quod ad meritum valet, totum quod hominis eſt infirmitati ſubiacet, quia nec meritò pollet quod eſt in poteſtate, nec

Bona commoda poteſt homo operari ſine gratia, non autẽ bonum quod eſt meritorium

Ioan. 15. 5.
Mat. 7. 11.
Rom. 7. 19

Quænam dicuntur eſſe in noſtra poteſtate, in libertate, in voluntate, in neceſsitate.

Iſai. 1. 6.

vitio caret, quod est in necessitate, & vtriq; incommodo subiacet, & quod est in voluntate, & quod est in libertate. *A planta ergò pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Quomodò enim ad bonam valetudinem pertinet, quod ad meritum non valet, quod in retributionis iudicio nihil est, & ad verum bonum adiuvare non potest, imò magis vero malo obnoxiũ reddit, & reum constituit. *A planta ergò vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Totum infirmitas occupat à capite *vsque ad verticem*, quia potestas nec expellit necessitatem, nec explet voluntatem, nec explicat sed implicat ampliùs libertatem. Quo enim plura valet, eo & plura sunt, vnde & rationem reddere dicitur. Itaque totum occupavit infirmitas, & *à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.*

Quomodò sit inordinatus vel quàm immoderatus affectus.

CAPVT XXXIV.

REspice tandem ad similitudinem qui plenius nosse cupis spiritualem infirmitatem. Idcircò sanè exterioris hominis membra audis nominari, vt ex notis discas quæ de interioris hominis statu non nosti. Considera igitur quæ, vel vnde sit exterioris hominis infirmitas, & animadvertes quid de spirituali infirmitate æstimare debeas. Sicut superiùs autem iam diximus, sanitas corporis est integritas naturalis complexionis, humorumq; omnium commensuratio proportionalis. Infirmitas autem est sanitatis privatio, integritatisq; corruptio. Quatuor ergò sunt humores ex quibus omne corpus inficitur, vegetatur, moderatur nutritur, atque conservatur, hi omnes in omni corpore ad vnam legem sub rata, sed dissimili in dissimilibus proportione concurrunt, & diversam in diversis complexionem constituunt. Debet itaque ordo congruus, congruaque mensura secundùm naturæ modum inesse singulis, vt sit in eis (vt dictum est) commensuratio proportionalis. Quamdiù autem vnusquisque proprium locum occupat, modumque sibi congruum servat, corpus in sua sanitate perdurat. Quod autem sunt quatuor humores in corpore, hoc sunt quatuor principales affectiones in corde, & quod est sensus in carne,

ne, hoc est intellectus in mente. Visus etiam habet sensum cordis sicut sensum corporis nominare, vnde & sententiam à corde, vel à cordis non à corporis sensu solemus dicere. Amoritaque, & odium, gaudium, & dolor, quatuor principales affectiones sunt, ex quibus cætera omnia desideriorum, voluntatum, votorum, affectionumque originem trahunt. Vide ergò quàm multa amamus, vel odimus, quæ tamen amasse, vel odisse minimè vel moderatiùs deberemus, & item quàm multa sunt pro quibus inordinatè vel immoderatè gaudemus sive dolemus. Quemadmodùm autem humores in corpore, sic & affectiones in corde, secundùm quod ordinem, modumque congruum perturbant, varias infirmitates procreant. Superiùs iam vidimus quàm sit hebes cordis sensus. Videamus nunc quàm sit infirmus cordis affectus. Ostende ergò mihi vnum aliquid circa quod affectum tuum ita ad certam, legitimamque mensuram restringas, vt aliter omninò, aut ampliùs, aut minùs circa ipsum extendere non debeas. Sed quomodò poterit animus affectum suum ad perfectam æquitatis legem vel in vna aliqua re restringere, quamdiù intellectus nullam rem poterit ad plenum comprehendere, nec dignitatis eius mensuram sub perfecta determinatione assignare? Quomodò enim fieri potest quod sciri non potest? Si enim nescitur certa mensura plenæ & perfectæ dilectionis, vel cuiuslibet alterius affectionis, quomodò custodiri potest mensura quæ sciri non potest? Si itaq; animi affectus in multis est inordinatus, & in nullo penitùs ad summam æquitatis mensuram moderatus, non est quod mirari vel dubitare debeas cùm legas, *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Omni horâ (imò per singula penè momenta) in nostra æstimatione fallimur, & ruptis æquitatis locis ad nostra desideria effrænamur. Nusquã modus, nusquam certa mensura servatur, dùm animus semper ex carnis impetu turbinis more, huc, illucq; impellitur. *A planta* itaq; *pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Fælix tempus, & expectabilis hora, vbi iam vlteriùs nulla cogitatio in suaexaminatione fallitur, vbi nulla affectio in suo desiderio effrænatur. Hanc cognitionis integritatem virtutisq; perfectionem nullâ interim possumus cogitatione attingere, nulla animi industria servare.

Quatuor principales affectiones vnde cætera originem trahunt.

Quomodò homo ad legitimam integritatis menſuram perducitur

CAPVT XXXV.

HÆc eſt illa promiſſi denarij rotunditas, & veræ ſummæque perfectionis integritas, quæ in Domini vinea laborantibus promittitur, ſed non niſi in fine diei poſt operis conſummationem tribuitur, Domini vinea humana conſcientia. Hæc eſt vinea Domini electa, in qua plantavit omne ſemen verum. Pro huius vineæ cultura *Dominus exit* cùm ſuam voluntatem per internam aſpirationem innoteſcere facit, Domini itaque egreſſio eius eſt manifeſtatio. Iteratio egreſſionis, augmentatio eſt cognitionis. Multiplex egreſſio, multiformis manifeſtatio. Diverſitas horarum, varij gradus profectuum. Secundùm proceſſum itaque diei, ſucceſſionemque horarum Dominus egreditur, quia ſecundùm perfectionis profectum, virtutumque promotionem divina cognitio augmentatur. Vineæ cultores, cogitationes, & affectiones. Huiuſmodi cultores in vineæ cultura laborare habent, quia in conſcientiæ emundatione vtrique deſudare debent. Primi exercendi ſunt in inveſtigatione veritatis, ſecundi autem in exercitatione virtutis. Ad illos pertinet in altum fodere, & occulta penetrare, ad iſtos ſpectat ſarmentorum ſuperflua amputare & morum inutilia reſecare. Illorum labor eſt correctio errorum, iſtorum labor caſtigatio vitiorum, introducuntur ſanè *mane hora tertiâ, ſextâ, nonâ, & vndecimâ* qui laborant in vinea, & deſudant in eiuſmodi cultura. Mane primo lux incipit apparere, ad tertiam dies ſolet incaleſcere, ad ſextam autem vehementiùs æſtuare. Ad nonam conſtat ſolem ad inferiora inclinare, caloremque temperare, ad vndecimam verò contingit calorem cum luce paulatim deficere. Quid itaque eſt ortus lucis, niſi illuminatio veritatis, & quid eſt inchoatio caloris niſi acceptatio bonitatis? Æſtuationem autem caloris, fervor eſt dilectionis. Temperamentum verò caloris eſt abominatio vanitatis. Sed & ſubtractio caloris & lucis quid aliud eſt quam refrænatio cupiditatis, ſeu etiam hebetatio prudentiæ carnalis. Mane itaque facit diſcretio boni & mali, tertiam appeti-

Matt. 20. 2.

Ibidem 8.

Vinea Domini humana conſcientia.

Vineæ cultores qui.

tus

tus veri boni, meridiem desiderium summi boni, nonam fastidium falsi boni, vndecimam verò efficit odium seu etiam oblivio veri mali. Mane itaque illuminatur intellectus, ad tertiam corrigitur consensus, ad sextam inflammatur affectus ad nonam restringitur, sive etiam hebetatur corporis sensus, ad vndecimam refrigeratur carnalis appetitus. Si enim corporis sensus à sua evagatione non restringitur, carnalis appetitus inquietudo non extinguitur. Sed cùm corporis sensus viriliter domantur vigore abstinentiæ, & violenter restringitur rigore disciplinæ incipit in assuetis oblectamentis minus minusq; delectari, & ad pristinas delectationes magis magisque hebetari. Hebetudinem autem sensuum necessario sequitur lentitudo appetituum. In quantum ergò appetitus vel cæteri hominis sensus ad æquitatis mensuram restringitur, eò citiùs retributionis denarius, perfectionisq; forma percipitur, & ad integritatis rotunditatem appropinquatur. Nihil enim aliud est omnes in fine denarium percipere, nisi in omnibus sensibus nostris tandem perfectionis formam possidere.

Quibus gradibus ad integritatis plenitudinem perducimur

CAPVT XXXVI.

PRimo igitur omnium est consilium quærere, & eo inventò voluntatem corrigere, sicque animum & virtutum exercitio, ad cœlestium desiderium, inflammare. Sed post æternorum desiderium, debemus etiam à licitis sensus nostros cohibere, vt illicitorum possimus appetitum temperare, vel (in quantum possibile est) penitus extinguere. Cui dubium quin hæc omnia cooperentur ad spiritualis vineæ cultum, & rectitudo consiliorum, & correctio voluntatum, æstuatio cœlestium desideriorum, restrictio sensuum, moderatio appetituum? notandum sane de huius dominicæ vineæ cultoribus, quia quò quique veniunt tardiùs, tantò laborant & minùs. Quo enim profectus nostri dies ampliùs crescit, eò vtique virtutum exercitium magis magisq; dulcescit, & quò ampliùs desideriorum appetitus temperantur,

eò

eò vtique *pondus diei & æstus* minùs minusque sentitur. Nam quantùm crescit amor, tantùm decrescit & labor. Per amorem siquidem fit *iugum suave, & onus leve*, quod priùs videbatur intolerabile. Illud quoque sciendum, quia quo profectus nostri diem producimus, quantum ad eius finem appropinquamus, tantò puriora, tantò perfectiora vota, seu desideria habemus. Hinc est quod hi qui tardiùs veniunt, priùs denarium accipiunt, quia in proficientibus quidem succedentia semper perfectæ integritati viciniùs appropinquant. A novissimis autem remunerationis ordo incipitur, quia priùs peccati fomes tollitur, qui appetitui principaliter dominatur, & ad legitimum modum æquitatisque mensuram appetitus restringitur, integritatisque denario donatur, quam in cæteris sensibus homo glorificetur. Quemadmodùm enim nunquàm nisi per consilium bonum voluntas emendatur, & nisi voluntate correctâ nunquàm sensus, vel appetitus restringitur, atque corrigitur, sic è converso priùs est (absque dubio) vt vitium appetituum, vel sensuum destruatur, quam voluntas bona ad veram pacem componatur. Et quamdiù voluntas invenit vnde oporteat erubescere semper cogitatio habet quod debeat accusare. Omnes autem vineæ cultores, ad vesperam denarium accipiunt, qui in vineæ cultura perseverant. Quid est vespera, nisi diei finis, terminus laboris, hora quietis, tempus retributionis? Ad vesperam itaque denarius ab omnibus accipitur, quia post consummatum laborem, retributionisque tempore, omnis sensus hominis ad perfectionis integritatem (sicut dictum est) sublimatur. Vnum ergò, idemque tempus est finis laboris, & inchoatio quietis, terminus operis, & hora retributionis. Nunquã enim labor culturæ finitur, nunquam inquietudo conscientiæ compescitur, nisi cum animi profectus ad perfectionis terminum perducitur.

Matt. 11. 30

Mat. 20. 9.

Ibidem. 8.

Ibidem.

Quod

Quod eadem perfectionis forma, futura sit in cogitatione, & in affectione.

CAPVT XXXVII.

SEd quid illud dicimus, quod vna eademque retributionis mensura impenditur omnibus? Nihil additur primis, nihil minuitur novissimis. Quis nesciat recta consilia in cultura vineæ, tam recta desideria, quam recta opera præcedere? Quod enim sine consilio concupiscitur, vel agitur, non ad vineæ cultum sed ad vineæ detrimentum cooperatur. Prior itaque est in vinea labor cogitationum, quam affectionum Quamdiù autem in hac vita sumus, quàdiù in vinea laboramus, plus vtiq; est, quod de perfectionis plenitudine attingere possumus cogitatione, quàm quod interim possumus plenæ affectioni imprimere, vel opere explere. Quis enim totum hoc possit quod se debere vel decere cognoscit? Sed cùm retributionis tempus institerit, cùm Domini operariis mercedis, gratia perfectionis denarius redditus fuerit, nihil maius erit in consilio, quam in desiderio, nihil minus in affectione, quam in cogitatione. Procul dubio post acceptam retributionem, quicquid vnusquisque se debere, vel decere cognoverit, totum & poterit, totum implebit. Eadem igitur perfectionis forma, quæ fuerit in cognitione, eadem prorsus, eadem penitus erit, & in dilectione. Eundem itaque denarium accipiunt novissimi, quem merentur accipere & primi. Sed quis ille operarius est, qui primò introducitur, sed novissimè remuneratur, cui etiam per increpationem dicitur: *Tolle quod tuum est & vade. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Quis ad cordis munditiam, cum tantâ difficultate anhelaret, quis in huiusmodi cultura tantũ laboris impenderet, nisi eum sua conscientia remorderet? Primus itaque operarius vineæ, cogitatio, acculatrix conscientiæ. Huius operarij oculus tantò nobis est nequior, tantòque molestior, quantò nobis Dominus fuerit benignior atque munificentior. Quantò enim maiorem gratiam à Domino accipimus, tantò acriore remordentis conscientiæ stimulo vrgemur quoties peccamus. Quamdiù in nobis aliquid im-

In beatis plena est & æquata cognitio & dilectio veritatis.

Mat. 20. 14. & 15.

imperfectionis invenire poterit, eius nos respectus confundit perturbat, & cruciat. Huius itaque operarii labor, nunquam finitur, donec omnis imperfectio de medio tollatur, & ad integritatis plenitudinem homo reformetur, & perfectionis denario muneretur. Sed post remunerationis consummationem, *tollet quod suum est & vadet*, quia quod iure reprehendat, non inveniens redargutionis stimulus, quiescet & evanescet. O qualis tunc erit cognitionis perfectio, ô quanta virtutis consummatio? Vbi nulla æstimatio, vel ad modicum fallitur, vbi nulla affectio vspiam effrænatur. Sed quod tunc de omni affectione, & ad omnia speramus, hoc nunc de nulla, vel in qualicumque re præsumere audemus. Vide ergò quanta ibi erit nostra virtus, vide quantus hic sit noster defectus. O quanta tunc erit hominis firmitas, ô quanta est interim eius infirmitas! *A planta* enim *pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*. Summam siquidem æquitatis mensuram, quam in omni re tunc cognoscere, & custodire poterit, in nulla hic nosse, vel posse (nisi præsumptuosè) confidit. Vides certè (vt arbitror) hanc infirmitatis humanæ corruptelam, quam latè grassatur, quæ omni affectui vsqueadeò ad omnia dominatur, vt rectè de eo dicatur. *A planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas.*

DIVI

DIVI AELREDI ABBATIS RIEVALLENSIS

Bernardo Clarevallensi contemporanei Libri primi Speculi charitatis capita 15. priora ad hanc materiam spectantia.

Quod nihil dignius, quàm vt Creator à sua ametur Creatura.

CAP. I.

Psal. 103. 2. *Ibid.* 2. & 21. *Ibid.* 3. *Psal.* 4. 8. *Psal.* 14. 5. *Sap.* 16. 20. *Exod.* 16. 3. *Exod.* 5. 7. & 8. *Cant.* 2. 14.

EXtendisti Domine *sicut pellem cœlum* tuum, ponens nobis stellas vt luceant nobis in hac nocte, *in qua pertranseunt bestiæ sylvæ, catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant nos escam sibi: qui* etiam *tegis aquis superiora eius*, quibus per quotdam secretissimas cataractas compluas terram cordis nostri, vt *multiplicetur à fructu frumenti, vini, & olei sui*, & non casso sudore quæramus *panem nostrum*, sed quærentes inveniamus, invenientes pascamur, & gustemus, quoniam *dulcis es* Domine. Anima mea, anima arida, anima sterilis & infructuosa, sitit his suavissimis complui stillicidiis, vt & illi appareat panis ille cœlestis, qui Angelos pascit, quem parvulus fugit, & sapiat interiori palato meo omne oblectamentum, nec amplius suspirem *ad vllas carnis* quas reliqui in Ægypto vbi exigente Pharaone, etiam ablatis paleis, lateres luteos exoluebam. *Sonet* ergò *vox tua in auribus meis* bone Iesu, vt discat quomodò te amet cor meum amet te mens mea, ament te ipsa viscera animæ meæ, amplectatur te intima medulla cordis mei, vnum & solum verum bonum meum, dulce & delectabile gaudium meum.

Sed quid est amor, Deus meus! mira ni fallor animi dile-

datio, eò dulcior, quò castior, eò suavior quò sincerior, eò iocundior quò latior: & est palatum cordis cui sapis, quia *dulcis es*; oculus quo videris, *quia bonus es*; & est hic locus capax tui, qui sum nuses. Qui enim amat te, capit te, & tantum capit, quantum amat, quia ipse amor es, *quia charitas es*. Hæc est illa *vbertas domus tua, quâ inebriabuntur* dilecti tui, deficientes à se, vt transeant in te. Et quomodò Domine, nisi amando te? sed hoc ex toto se. Descendat quæso Domine, in animam meam aliqua portiuncula huius tantæ *dulcedinis tuæ*, quâ dulcescant ei panes amaritudinis suæ. Prægustet cuiusdam sorbitiunculæ experientia, quid desideret, quid concupiscat, ad quid suspiret in hac peregrinatione sua. Prægustet esuriendo, bibat sitiendo. *Qui* enim *edunt te adhuc esurient, & qui bibunt, te adhuc sitient: satiabuntur* autem *cùm apparuerit gloria tua*, cùm manifesta fuerit illis *magnitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te*, quia non revelas nisi diligentibus te. Interim Domine, quæram te, & amando quæram te, quia qui proficit amando te, vtique Domine quærit te: & qui perfectè amat te, ipse est Domine, qui iam invenit te. Et quid iustius quam vt creatura tua amet te, qui hoc ipsum accepit à te, vt possit amare te? non enim irrationabilia, aut insensibilia possunt amare te; non enim est iste modus eorum. Habent nempè & ipsa modum suum, speciem suam, ordinem suum; non quo beati sint, aut esse possint amando te, sed quo pulchra & bona, & bene ordinata ex te, ad illorum gloriam proficiant, qui possunt beati esse quia possunt amare te.

1. Ioa. 4. 8. *Psal.* 35. 9. *Eccl.* 24. 29. *Psal.* 6. 15 *Psal.* 30. 20

CAP. 2. Deus enim noster, cui est summum & incommutabile esse, cui est semper idem esse dicente David. *Tu idem semper es*, omnibus creaturis suis communiter hæc tria distribuit, Naturam, speciem, vsum: Naturam quâ bona sunt, Speciem qua pulchra sunt; vsum & benè ordinata alicui rei proficiant. Qui enim fecit vt essent, fecit etiam vt bona essent, vt pulchra, vt ordinata. *Quoniam* enim *ab ipso* sunt, qui summè & incommutabiliter est, ideò *sunt omnia*: quoniam ipse, à quo sunt summè & incommutabiliter sapiens est, benè ordinata sunt omnia. Sunt ergò bona per naturam, pulchra per speciem, benè ordinata ad ipsius vniversitatis decorem. *Vidit*, inquit, *Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* In quantum itaque sunt bona sunt, in quantum vnaquæque pars toti suo congruit, pulchra sunt, in quantum in ipsa vniversitate vnaquæq; res con-

Psal. 101. 28

De natura, specie, vsu, quæ omnibus creaturis communiter collata sunt.

Rom. 11. 36

Gen. 1. 31

ve-

venienientem sibi & locum, & tempus, & modum obtinet optimè ordinata sunt. Locum quippè qui sibi congruat, quæque res habet in quo sit, verbi gratia Angelus cœlum irrationabilia solum, homo medius, medium paradisum. Tempus itidem quandò, vel quamdiù sint; vt videlicet in ipsius vniversitatis pulchritudine, aliud quidem simul totum incipiat, sed nunquam desinat, vt natura angelica, alia vt simul omnia nequaquam incipiant, cœpta tamen nequaquam vel ipsa desinant, vt homines; alia vt nec simul incipiant, & esse quandoque desinant vt irrationabilia.

Porro ne de modo quemadmodum quæque creatura subsistat, quam congruentem sibi modum sortiantur omnia, tacuisse videamur, quid rationali creaturæ magis congruum quàm beatitudo, si iusta est? quid ei magis convenit quàm miseria, si iniqua est? Denique irrationali itemque insensibili creaturæ quis modus aptior? Quæ cum ipsa nec beata nec misera esse possit, illorum saluti subserviat, horum infœlicitatem accumulet. Verissimè quidem à quodam sapiente dicitur. *Aqua, ignis, & ferrum, lac & panis, & mel, botrus, vua oleũ & vestimentum, hæc omnia sanctis in bona, sic impijs & peccatoribus in mala convertentur.* Nec causetur *homo* quod iam communem locum sortiatur cum belluis, qui *in honore positus non intellexit*, & ideò *comparatus est iumentis, & similis factus est illis.* Nec loco solùm: quis enim facile dixerit, abolita in mente rationali etsi non *imagine*, divinâ tamen *similitudine*, quanta irrationabilium iumentorum similitudo succreverit? sed hinc difficultas. Nunc animadvertenda simul & prædicanda creatoris sapientia, qui cùm non sit *malorum* creator aut *inventor*, est tamen ipsorum malorum prudentissimus ordinator. Cur ergò non sineret dulcissimus simul & omnipotentissimus Dominus meus malum esse? quod nequiret vel modicè æternum suum labefactare propositum; quo insuper manifestior apparet ipsa eius omnipotentia, sapientia mirabilior, suavior misericordia, cùm de malis bona faceret omnipotenter, inordinata ordinaret sapienter miseris conferret beatitudinem misericorditer.

Eccl. 39. 31 & 32.

Psal. 48. 13.

CAP. 3.

Quod homo ad imaginẽ sui creatoris conditus, etiam beatitudinis capax sit.

Homini ergò in ipsa vniversitatis creatione, dedit non solùm esse, nec vt cæteris bonum tantum esse, nec solùm pulchrum aut ordinatum quid esse sed insuper beatum quid esse. Sed quemadmodùm nulla creatura nec à se ipsa est, nec à se ipsa pulchra, aut bona est, sed ab ipso qui summè est, qui summè bonus & pulcher est, & ideò bonitas bonorum omnium, pulchritudo pulchrorum omnium, causa existentium omnium: ita nec à seipso beata est, sed ab ipso qui summè beatus est, ac per hoc beatitudo beatorum omnium. Huius beatitudinis sola rationalis creatura capax est. Ipsa quippè *ad imaginem* sui Creatoris concita, idonea est *illi adhærere*, cuius est *imago*, quod solùm rationalis creaturæ bonum est, vt ait sanctus David. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, Adhæsio planè ista non carnis, sed mentis est, in qua tria quædam naturarum author inseruit, quibus divinæ æternitatis compos efficeretur, particeps sapientiæ dulcedinis degustator. Tria hæc memoriam dico, scientiam, amorem sive voluntatem. Æternitatis quidem capax est memoria, sapientiæ scientia, dulcedinis amor. In his tribus *ad imaginem* Trinitatis conditus homo, Deum quem memoria retinebat sine oblivione, scientia agnoscebat sine errore, amore amplectebatur sive alterius rei cupiditate. Hinc beatus. *Psal.72.28.*

CAP. 4.

Quod amore in quo plenius erat ipsius beatitudinis gustus, adeò receserit, & sic miser effectus Dei in se imaginem corruperit nec tamen abolerit.

Verùm licet in his tribus ipsa perficiatur beatitudo, in hoc tamen tertio propriè est ipsius beatitudinis gustus. Quamquã enim in pessimis delectari miserrimum sit, vbi tamẽ nulla delectatio, nec vlla beatitudo. Porrò vbi amor nullus, nulla delectatio. Deniq; ipsius summi boni quantò maior dilectio, tantò maior delectatio, tantò maior & beatitudo. Pariat licet multa memoria, capiat licet profunda sciẽtia, nulla tamẽ delectatio, si non ad parta vel nota, ipsius fiat voluntatis conversio. At primus parens noster libero muneratus arbitrio, poterat quidem, Dei tamen adiutus gratiâ ipsum Deum perpetuò amando, in eius memoria notitiaq; perpetuò delectari, perpetuoq; beatus existere, potuit & ipsum amorem suum ad aliquid minus reflectere, sicq; ab eius amore recedendo frigescere, seseq; miseriæ edicere. Sicut enim rationalis creaturæ nulla alia est beatitudo, quàm *Deo adhærere*; ita hoc eius miseria à Deo recedere. Verùm ille *in honore positus non intellexit*. Quid? fortassis id quod quidam *ingrediens sanctuarium Dei, & intelligens* non modò in præsentia, sed etiam *in novissima. Quoniam ecce*, inquit, *qui elongant se à te peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* *Psal.48.13.* *Psal.72.17.* *Ibidem 27.*

Non intellexit, quia *qui fornicantur à* Deo per ſuperbiam, devoluuntur in inſipientiam; & qui per rapinam Dei vſurpat ſimilitudinem, meritò iumentorum induit diſſimilitudinem.

Libero ergò malè vſus arbitrio, amorem ſuum ab illo incommutabili bono deflexit, & ad id quod minùs erat propriâ cupiditate, cæcatus reflexit: ſicq; à vero bono recedens, & ad id quod ex ſe bonum non erat, deficiens, vbi aucupabatur profectum, invenit defectum perversèq; diligendo ſeipſum, & ſe perdidit, & Deum; Sicque iuſtiſſimè actum eſt vt, qui contra Deum Dei appetebat ſimilitudinem, quo voluit fieri curioſitate ſimilior, eo cupiditate fieret diſſimilior. Corrupta eſt itaque in homine *Dei imago*, non abolita penitus, proindè habet memoriam, ſed obnoxiam oblivioni; ſciẽtiam quoq; ſed ſubditam errori; nihilominùs & amorem, ſed pronum cupiditati. Perſeverat adhuc in anima rationali, in hac Trinitate etſi miſera, ipſius beatæ Trinitatis impreſſio, quæ ad ipſam animæ relata ſubſtantiam, quæ & ſui reminiſcitur, ſe novit, ſe diligit; quæ ipſam ſui memoriam diligit, novit, reminiſcitur; ipſam ſui ſcientiam reminiſcitur, novit, diligit; itemq; ipſam ſui dilectionem diligit, reminiſcitur, novit; & in ſubſtantia vnitatem, & in his tribus, quæ perſtrinximus, vocabulis, præfert Trinitatem. Vnde Pſalmiſta. *Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur.* Breviter quidem, ſed expreſsè ſatis, his verbis ſanctus David, vtrumq; inſinuat animæ non deeſſe humanæ ex natura *imaginẽ*, & ex peccato corruptionem. Nam & memoriam corrumpit oblivio, ſcientiam error obnubilat, amorem cupiditas coangustat.

Gen. 3. 5.

Pſal. 38. 7.

Porrò iam per *mediatorem* Dei *& hominum hominem Chriſtum Ieſum*, ſoluto debito, cui obnoxia tenebatur humana natura, *deleto chirographo* cuius cantione obſtrictos nos tenebat antiqui hoſtis dira ſuperbia; *expoliatis principibus & poteſtatibus* quibus nos addixerat divina iuſtitia; peccato denique Deo Patre, illâ ſingulari in cruce hoſtia; reparatur tandem memoria per ſcripturæ ſanctæ documentum, intellectus per fidei ſacramentum, amor per charitatis quotidianum incrementum. Perfecta *imaginis* reformatio, ſi memoriam oblivio non interpolet; ſcientiam nullus error obnubilet; nulla amorem cupiditas interpellet. Sed vbi iſtud? & quomodò iſtud? Hæc pax, hæc tranquillitas, hæc in patria ſperatur fœlicitas, vbi nullus locus oblivioni

1. Tim. 2. 5.

Coloſſ. 2. 14. & 15.

CAP. 5. *Quod poſt ſalvatoris adventum, Dei in homine renovetur imago & quod nõ hic ſed in futuro, ſperanda ſit ipſius renovationis perfectio.*

oblivioni viventibus in æternitate, nulla erroris subreptio, fruentibus veritate, nulla cupiditatis impulsio, divina, divina absorptis charitate. O æterna & vera charitas! ô vera & chara æternitas! ô chara & æterna veritas! ô æterna, & vera, & chara Trinitas! Hic hic requies, hic pax, hic fœlix tranquillitas, hic tranquilla fœlicitas, hic fœlix & tranquilla iocunditas. Quid agis anima humana, quid agis! quid per diversa raptaris? *Porrò vnum est necessarium.* Vt quid multa? quidquid appetis in multis, in *vno* est, si excellere, si scire, si delectari, si abundare; totum hic, & perfectè hic, & nusquàm nisi hic. Nunquid enim in hoc *lacu miseriæ, & luto fæcis* vera excellentia? Nunquid *in* hac *regione vmbræ mortis* perfecta scientia? Nunquid *in* hoc *loco horroris & vastæ solitudinis* vera delectatio? inter tot ærumnas vera abundantia? Luc. 10.42.

Porrò quæ in mundo excellentia, quam timor non deiicit? quanta hominis scientia qui nec seipsum capit? Denic; si delectarius in carne, hoc & *equus & mulus quibus non est intellectus.* Si gloria, si in divitiis, *Cùm interieris non sumes omnia, neque descendet tecum gloria tua.* Ibi ergò vera excellentia, vbi nihil superiùs quod ambiatur, vera scientia vbi nihil ignoratur, illa vera delectatio, quæ fastidio non minuitur; illa vera abundantia, quæ nunquam exhauritur. *Væ nobis quia recessimus à te* Domine! *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est? Quandò veniam & apparebo ante faciem tuam? Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Plumescat interim Domine Iesu plumescat quæso anima mea in nido disciplinæ tuæ; pausetin *foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Amplectatur te interim crucifixum, sumat tui dulcissimi sanguinis haustum. occupet interim memoriam meam hæc suavis meditatio, ne ex toto corde eam oblivio obscuret, *Iudicem me* interim *nihil scire nisi Dominum meum, & hunc crucifixum,* ne scientiam meam à soliditate fidei vanus error abducat. Vendicet sibi totum amorem meum hæc tua mira dilectio, ne illum cupiditas mũdialis absorbeat. Quid ergò, mihi soli id optaverim? Impleatur quæso Domine impleatur illud propheticum, *Reminiscentur & convertentur ad Dominum vniversi fines terræ. Reminiscentur,* inquit, Absconditam ergò, non sepultam in mente rationali, Dei intellexit memoriam vt non tam novum aliquid insertũ, quàm illud antiquum sentias reparatum. Nisi enim naturaliter quodammodò in ipsam Dei memoriam, vel modicum ratio scintillaret humana, puto non esset vnde vel *insipiens diceret in corde suo, non est Deus.* Pſal. 31. 9. Pſal 38.18 Oſea 7. 13. Pſal. 119. 5. Pſal. 41. 3. Pſal. 54. 7. 1. Cor. 1. 2. Pſal. 21. 28 Pſal. 13. 1.

Dic

Dic inquam quicumque es adeò *insipiens*, vt *dicas in corde tuo, Non est Deus*; Aliquē ne putans sapientem? fortè reipsum Ita sit. Itane tamen sapiens, vt fieri non possis & insipiens? Aut si insipiens eò vsq; vt non possis fieri & sapiens? Si quid horum abnuas, iam non te desipere, sed potius non vivere dixerim. Ergò si tu desipueris, perire æstimas sapientiam? Sed fieri potes & sapiens. Aliundè quæso quam à sapientia? Erit ergò & te desipiente, sapientia. Erit, inquis, sed in homine sapiente. Sed quis est homo qui non possit desipere? Si ergò omnes homines desipiant erit nihilominùs sapientia; alioquin non possent denuò sapere, sed in Angelis, inquis. Sed & ipsos posse natura duntaxat desipere indicat illa insipientium Angelorū tanta multitudo; quibus quidem cum cæteris par natura, sed impar gratia. Nulla ergò creatura ex se sapiens. Vnde ergò nisi à sapientia? Et illam vbi invenit insipiens, vt denuò sapiat? Si eam invenit, est vtique sapientia, quæ inveniatur ab insipiente, vt sit sapiens: alioquin quomodò invenitur, quod non est nisi priùs cœperit esse? Non, inquis, eam ita invenio; sed meditando, & exercendo facio me ipsum sapientem. Ergò facis sapientiam tuam? Quare non fecerim? Ergò te proposueram insipientem, & ecce adeò factus es sapiens, vt & sufficias, tibi facere sapientiam. An hoc est parum sapere, sapientem facere? Sed & si quis dicat, stultum facere posse sapientē, quis audiens non ridebit? Vndè ergò sapientia stulto? fortè à quolibet homine sapiente. Et ipse vnde sapiens? An ipse se fecit sapientem? sed antequam se faceret sapientem, quid erat nisi insipiens? Prædicta igitur sequetur abusio, vt insipiens fecerit sapientem. Si & Angelum dixeris posse facere sapientem; Et ipse vnde sapiens? si & ipse se fecit sapientem, prædicta nihilominùs sequetur abusio.

CAP 6. *Disputatio contra insipientem qui dicit in corde suo non est Deus.*

Restat ergò vt non sit facta sapientia, quæ cæteros facit sapientes. Ipsa non potest desipere, quia sapientia non potest esse insipientia, sicut nec mors vita, quamvis mors Christi nostra sit vita, sicut lux tenebræ. Quàmvis *fuerimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Nam *nec Ioannes erat lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat* enim *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ipsa est sapiētia, quæ in animas sanctas se transfert, vt & ipsæ fiat sapientes. Parùmne hoc tibi ô *insipiens*? Quæro iterùm vtrùm scias te esse; Quis, inquis, hoc ignoret? Planè, nec Academicus. Sem-

Ephes. 5. 8. Ioan. 1. 8. & 9.

per me fuisti? Vnde ergò accepisti vt esses? An te ipsum fecisti? Sed quomodò qui non eras aliquid, facere potuisti tàm magnum aliquid? Vnde ergò tibi esse? An ab alio homine? Et ipse vnde? Nunquid ab Angelo? Et Angelus vnde? Restat ergò vt non sit facta essentia, a quâ cætera omnia habent esse: sicut nec facta est sapientia, vnde cætera omnia habent sapere. Sileat ergò tibi, sic & sic sapere, sic & sic esse: loquatur tibi in corde ipsũ sapere, & ipsum esse, & iam non *dices in corde tuo, Non est Deus*, in ipso planè perspicies nec posse saltẽ te esse qui *dicens in corde tuo non est Deus*, nisi esset & Deus. Iterùm quæro, vtrũ a cliis te esse & sapere? Puto quia non abnuis Iunge igitur hæc tria. Esse, Sapere, Velle. *Redi* ergò *prævaricator ad cor.* Considera in his tribus quanta vnitas, quanta sit æqualitas, & cùm inveneris hæc tria in te non esse, & à te non esse, cogita æternã essentiam, æternam sapientiam, æternæ sapientiæ, & essentiæ æternam voluntatem, & ne *dicas in corde tuo, non est Deus*, sed potiùs *reminiscens converteretur ad Dominum* Deum tuum, cum omni fine terræ. *Isai. 46. 8.* *Psal. 13. 28.*

CAP. 7. *Quod homo affectu mœstus à Deo receßerit.*

Mirabilis facta est Dñe *scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Amplectar interim te Dñe Iesu parvus parvum, infirmus infirmũ, homo hominem, ampliùs dicã, pauper pauperẽ. Nam & tu Dñe *pauper, sedens super asinam, & super pullũ filium asinæ*: sic ergò te amplectar Dñe. Nam tota magnitudo mea, nõ nisi quod parvũ est tui, tota fortitudo mea, *quod infirmũ est* tui; tota sapientia mea, *quod stultum est* tui. *Curram* Domine *in odorem vnguentorum* istorum. Miraris quod *vnguenta* appellem, quæ infirmum sanant, roborant debilem, mœstum lætificant? Sequar ergò te, Domine Iesu, horum *vnguentorum* excitatus *odore*, refocillatus aspergine. Sequar te Domine, etsi non in *montibus aromatum*, vbi te invenit sponsa tua, vel *in horto*, Domine, vbi seminata est caro tua. Illic quidem *salis*; hic *dormis*. Hic Domine, hic dormis, hic cubas, hic dulce quoddam sabathum sabathisas. Consepeliatur tibi Domine caro mea, vt *quod iam vivo in carne*, non vivam in me, sed in te, *qui tradidisti temet ipsum pro me.* Coungatur tibi Domine pudicitiæ myrrha, vt iam *non regnet peccatũ in meo mortali corpore*, nec fiam velut *iumentum in proprio computrescens stercore.* Sed vnde *venisti in hortũ*? Vnde, nisi de Cruce? vtinam Domine & ego accipiam crucẽ tuam, & sequar te. Sed quomodò sequar te? Quomodò, inquis, recessisti à me? Puto Domine quia non pedum passu, sed mentis affectu: Noleas enim substantiam animæ meæ serva- *Psal. 138. 6* *Zach. 9. 9.* *Mat. 21. 5.* *1. Cor. 1. 25* *Cant. 1. 13.* *Gal. 2. 20.* *Rom. 6. 12.* *Ioel. 1. 17.*

re ad te, accepi eam ad me, & volens meipsum possidere sine te, perdidi & me. *Et ecce factus sum mihimet ipsi gravis*; *factus sum mihimet* locus *miseriæ & tenebrarum*; *locus horroris* & regio egestatis. *Surgam* ergò *& ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccavi in cœlum, & coram te.*

Iob 7.20. Luc. 15.18

CAP. 8. *Quod ex charitatis affectu homo in Dei imaginem reformetur.*

Patet ni fallor, quia sicut non pedum passu, sed mentis affectu, à summo bono recedens, & in seipsa inveterascens humana superbia, *Dei* in se corrupit *imaginem*; ita mentis affectu ad Deum accedens humana humilitas, renovatur in *imaginem* eius, qui creavit eum. Vnde Apostolus, *Renovamini*, inquit, *spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Quomodò autem fiet ista renovatio nisi novo charitatis præcepto, de quo ait Salvator. *Mandatum novum do vobis?* Proinde hanc charitatem si mens perfectè induerit, profectò duo illa quæ æquè corrupta diximus, memoriã scilicet, & scientiã ipsam reformabit. Ideò saluberrimè nobis indicitur istius vnius præcepti compendium, in quo & *veteris hominis expoliatio*, & mentis renovatio, & divinæ *imaginis* consistit reformatio. Amor quippè noster veneno cupiditatis infectus, tenacique voluptatis visco miserabiliter irretitus, quæ in ima semper, id est de vitio in vitium proprio pondere ferebatur, charitate desuper influente, ac innatum torporem suo calore dissolvente, ad altiora se subrigit; sicque exuens vetustatem, ac induens novitatem, fortitur *pennas columbæ deargentatas* quibus ad illud sublimè, & purum bonum evolet, de quo & genus ducit, Beato Paulo id apertiùs Athenien sibus profitente. Cùm enim de Deo subtiliter disseruisset, & ex Philosophorum quoque libris Deum vnum instantissimè comprobaret, *In quo vivimus, movemur, & sumus*, ait inter cætera, *cuius & nos genus sumus.* Et addit, *Genus ergò cum simus Dei.* Nec quis existimet *genus Dei nos* ita dixisse Apostolum, vt eiusdem naturæ substantiæve probarit, cuius & Dei, alioquin nec mutabiles, quin nec corruptibiles, sed nec miseri aliquãdò esse possemus; sicut nec eius vnigenitus, qui de eius substantia natus, in omnibus ipsi Patri comprobatur æqualis: sed ideò *nos genus* asserit *Dei*, vel potiùs non negat, quia *ad eius* creata *imaginem* anima rationalis, ipsius sapientiæ ac beatitudini participare posse cognoscitur. Animam itaque nostram ad id, ad quod facta est, charitas subievat; ad id verò ad quod illa sponte defluxit, præmit cupiditas.

Ephes. 4.23 & 24.

Ioa. 13.34

Act. 17.28. & 29.

CAP. 9. Verùm quia charitatis, sive etiam cupiditatis ea sola animæ nostræ portio capax est, quæ vsitatiùs amor nuncupatur ipse est qui ex novâ infusione charitatis, & ex reliquiis vetustæ cupiditatis, quasi quodam contrario appetitu, adversus semetipsum constat esse divisus: de quo & Apostolus. *Non quod volo ago.* Et item. *Caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem. Hæc sibi invicem adversantur, vt non quæcumq; vultis illa faciatis.* Intelligendum sanè Apostolum, *spiritus carnisque* nomine nequaquam duas contrarias in vno homine vt impuri somniant Manichæi, descripsisse naturas: sed *spiritus* appellatione, mentis ex charitatis infusione exprimens novitatem, *charitas* quippe *Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis*; *carnis* quoque vocabulo, ex reliquiis vetustatis miseram animæ insinuans servitutem: inter vetus nostrum inolitum, novum q; insolituum continuum in vna mente asserit oboriri conflictum.

Quod amor noster adversum se, ex charitate & cupiditate, contrario appetitu dividatur.

Rom. 7. 15. Gal. 5. 17.

Rom. 5. 5.

CAP. 10. Inter hæc duo concupiscentiam scilicet quam *carnis* esse dicit Apostolus, non quod omnis concupiscentia mala ex carne sit, quippè cum ea nequaquàm dæmones careant, qui carne carent; sed quod non ex Deo, sed ex homine sit quem *carnem* in scriptura appellari non ambiguum est: inter hanc ergò concupiscentiam, quæ cupiditas congruentissimè appellatur, & illam *spiritus* quam charitatem non immerito dicimus, quæ vtique spiritus est, non nostri, sed Dei; *charitas* enim *Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis*; inter hæc inquam duo, id quod in homine liberum dicitur arbitrium, medium quodammodò locum tenet, vt ad quodlibet eorum se verterit anima, libero nimirum fiat arbitrio. Nemo sanè ita desipiat, vt æqualem homini & ad bonum, & ad malum, & libero arbitrio adscribere audeat facultatem; cùm *Non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis*, cùm *Deus sit qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate*; cùm denique; *neque volentis neque currentis, sed miserentis sit Dei.* Quid ergò? his omnibus liberum in homine negatur inesse arbitrium? Absit. Est quippè liberum arbitrium ea animæ vis, sive natura, vel, si quid aliud congruentiùs dici potest, id hominis, quo cuilibet rei, non sine iudicio rationis consentit: non huius aut illius rei, boni malive consensus, sed id quo consentitur.

Quod liberum arbitrium in anima locum medium teneat, nec tamen ad bonum & malum æquè sufficiat.

Rom. 5. 5.

1. Cor. 3. 5. Phil. 2. 13. Rom. 9. 16.

Sicut

Sicut enim aliud est visus, aliud visio, nam visus quidem sensus est corporis vnus de quinque, visio autem ipsius sensus actus; ita aliud dicimus ipsum consensum, aliud id quo consentitur. Nam consensus quidem quædam animæ actio est; liberum arbitrium quædam animæ vis, atque natura, quâ consentit, habens iudicium sibi insitum quo eligit cui consentiat. Sed quia consensus fit voluntate, iudiciũ ratione, hæc duo voluntas & ratio liberum constituunt arbitrium. Ratio, bona vel mala, iusta vel iniusta, sive ea quæ media sunt, quasi proponit; voluntas consentit: cuicumq; autem rei consentiat, non nisi voluntate; vbi autem voluntas, ibi & quædam libertas. Ex his ergò duobus, vt diximus, liberum videtur constare arbitriũ, ex libertate scilicet voluntatis, & arbitrio rationis. Vides igitur quam non libero præscribat arbitrio, vndecumq; homini bona oriatur voluntas; quandoquidem nec in bona nec in mala voluntate amittas voluntatem, ac per hoc nec libertatem, sed nec rationem, ideò nec iudicium. Quid enim? quia DEUS *est qui operatur in nobis velle*, ideò amisimus velle? aut quia Dei est quod ratione benè vtimur, ideò ratione non vtimur? vel quia ex Deo nobis est quidquid boni perficimus, ideò bonum non perficimus? aut quia *non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, quoniam ex Deo nostra est sufficientia*, ideò non est sufficientia? Hæc omnia, licet ex DEI gratia est quod agimus, tamen agimus: nec sine voluntate, nec sine ratione agimus, ac per hoc non sine libero arbitrio agimus.

Phil. 2. 13.

2. *Cor.* 3. 5.

CAP. II. *Quod gratia liberum non tollat arbitrium*

Nam qui & voluntate carent ac ratione, ac per hoc libero arbitrio, nihil huiusmodi Deus in eis operatur vt sunt pecora, ac per hoc, nec ipsi aliquid huiusmodi operantur. Quicquid autem boni DEUS per nos, vel de nobis sine nostra operatur voluntate, tantum DEI est, non etiam nostri; quicquid autem cum nostra voluntate, & illius est, & nostrum. *Si enim volens id facio*, ait Apostolus, *mercedem accipio; si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* Quocirca vt opus quod in nobis, sive per nos operatur, etiam nostrum sit, inclinat voluntatem vt consentiamus; sicque ex eius gratia, merces fit nostra: *Si enim volens id facio, mercedem accipio.* Vt autem sim volens in bono opere, DEUS *est, qui operatur & velle*: ipsam deinde voluntatem excitans ad petendum, ad quærendum, ad pulsandum, dat *gratiam pro gratia, perficere* scilicet *pro bona voluntate.* Postremò,

1. *Cor.* 9. 17

Phil. 2. 13.

Iacob. 1. 16.

quia vita æterna bonorũ operum merces est, ipsam dans coronat dona sua, quæ voluit esse merita nostra Vide hoc totum in Paulo, *Qui fui*, inquit, *blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* Hic voluntas, sed mala; merita, sed pessima. *sed misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem.* Ecce voluntas bona, sed vide vnde. Non quia aliquid boni in me præcessit, sed quia *eius misericordia me prævenit, misericordiam* enim *consecutus sum, vt fidelis essem.* Nempè, vt ait, Beatus Augustinus, *ire ad Ecclesiam, audire verbum Dei, sacramentum percipere Christi aliquis potest nolens, credere nemo potest nisi volens.* 1.Tim.1.13 Psal.58.11

Audi & de opere. *Plus illis omnibus laboravi.* Hoccine *habes* Paule *quod non accepisti?* Imò accepi; & quidem *plus illis omnibus laboravi, non autem ego.* Quomodò vtrumque verum, *Ego,* & *non ego? non ego,* quia non ex me, non viribus, non sapientia mea, non denique meritis meis *sed gratia Dei.* Quid ergò? itane vt liberum tibi tollat arbitrium, destruat voluntatem, iudicium rationis absumat? Absit. Dixi *non ego,* quia *gratia Dei*; sed tamen *ego,* quia *gratia Dei mecum.* Quomodo *mecum?* agens scilicet vt consentiam operanti, & sic ipse cooperer, & volens cooperer, ne si me invito, de me aut per me operetur, non sum qui dicam, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Non ergò liberum arbitrium ad aliquod bonum sufficit, sed in ipso, vel cum ipso, vel per ipsum Deus multa bona perficit. In ipso quandò illud occulta inspiratione ad aliquod bonum erigit; cum ipso quandò ipsum liberum arbitrium sibi per consensum iungit; per ipsum quandò, Deo operante, alter per alterum proficit. *Reposita est mihi,* inquit, *corona iustitiæ.* Quæ *corona,* nisi vita æterna? *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die. Reddet,* inquit, ergò quia redditur, merces est vita æterna, merces planè quia bonum opus præcessit, *bonum* enim *certamen certavi.* Sed hoc opus vnde? *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Merita itaque nostra Dei est gratia, propter quæ merita dat vitam æternam; *gratiam pro gratia.* Denique *reddet vnicuique secundum opera sua.* Sed illa tantum opera cœlesti mercede donantur, quæ priùs etiam munere largiuntur. Nam quod vita æterna gratia sit, ipsum iterùm audi *Stipendium enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna. Gratia* inquam *vita æterna,* & duplex gratia *Gratia* quia *pro gratia* data; *gratia* quia meritis præponderat gloria: *Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* 1.Cor.15.10. 1.Cor.4.7 1.Cor.15.10. 2.Tim.4.7 Ibidem 8. 1.Cor.15.10. Ioan 1.16. Rom 2.6. Rom.6.23. Rom.8.18.

Sed

Sed nunquid in illa gloria aut sine voluntate erimus, quâ tanto bono consentiamus, aut sine ratione quâ hoc nostrum bonum iudicemus? Ergò nec sine libero arbitrio: non quo vllum malum poterimus, sed quo illius boni capaces existamus. Non enim pecora aut damnationi obnoxia, aut salutis possunt esse capacia; vtique quia sunt rationis ac voluntatis expertia. Nec infantes quidem, in quibus etsi non maior, tamen gratia est evidentior, in quibus nec ex dono vlla sunt merita, licet ob infirmitatem quæ ex peccati pœna accidit, sine libero & vivant & moriantur arbitrio; exuti tamen hoc quo impediuntur, carnis involucro, nequaquam credendi sunt, absque rationali voluntate, æternæ fœlicitatis, vel debitæ damnationis esse participes. E quibus quot quot salvantur, evidentiori fit gratia, quippe quibus liberum deest arbitrium, cui possint adscribi merita: cæterùm illa mihi videtur cumulatior, quâ & merita donantur, & præmia. Igitur *in nullo gloriandum quandò nostrum nihil est. Quis enim te discernit* ô homo? liberum arbitrium? ita planè, sed à iumentis, non ab iniustis. Nam & iniusti liberum habent arbitrium, sine quo non possent esse vel iniusti: excepto duntaxat originali peccato, quod aliâ ratione etiam invitos quosq; constringit; nemo nisi voluntate iustus, nemo nisi voluntate potest esse iniustus, ac proinde nec sine libero arbitrio.

CAP. 12. *Quod nec salvatis nec damnatis liberum arbitrium auferatur, & quod gratia non nisi in libero arbitrio operetur*

Cyprianus. 1. Cor. 3. 7.

Sed voluntatem ad iustitiam sola gratia erigit, in iniustitiam ipsa se deiicit. Porrò vbicumque voluntas, ibi & libertas. Vbicumque enim voluntate est, ibi non cogitur vt sit necessitate. Habet ergò innatam sibi quodammodò voluntas libertatem, quia nullam potest pati necessitatem. Vis audire quandam etiam in iniustitia libertatem? Audi Apostolum. Rom. 6. 20. *Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Videsne quod non desit libertas voluntati, etiam in servitute peccati? Sed nunquid in libertate iniustæ voluntatis, iudicium deest rationis, quo id quod vult, discernat ab eo quod non vult? quo sibi commodum, vel bonum vel voluptuosum, iudicet etiam id, quod malè vult? Nam si vtrum libet horum deesset, posset fortè voluptuosa tantùm appetere, carne more iumentorum sentire; non autem illis rationali quodam iudicio consentire, vel dissentire, quod est liberi arbitrii. Nam quod ratione etiã ad malum abuti possit homo, probat illud propheticum. *Sa-* Hier. 4. 22. *pientes sunt vt faciant mala.* Nam nec in pœnis inferni liberum

rum deest arbitrium, quo voluntariè ac per hoc liberè à malis dissentiant, quæ patiuntur, nec iudicium rationis quo seipsos accusent, & iudicent, quia suis meritis talia patiuntur. Patet ni fallor ratio, quod nec gratia liberum arbitrium destruat, nec liberum arbitrium gratiam minuat. Quomodò enim gratia liberum arbitrium auferat, cum gratia non nisi in libero operetur arbitrio? Neq; enim gratia ista de qua loquimur aut in brutis animalibus, aut in rebus operatur insensibilibus, sed in his tantum quæ præceptionis aut prohibitionis capaces audiunt, fac hoc, & fac illud, & noli hoc, & noli illud: quæ proculdubiò non dicuntur nisi his, quibus inest liberum arbitrium, quo possint velle hoc aut illud. Vt autem bonum velint Dei gratia operatur, non liberum destruens arbitrium vt nihil velint, sed hoc inclinans vt bonum velint. Quocirca cùm aliquid boni facis, non existimes hoc tuis viribus agere, nec tamen à tua id alienes voluntate, quandòquidem non dicendum est opus bonum, nisi sit & voluntarium.

CAP. 13. *Patio cur non ad bonũ & ad malũ liberum arbitriũ æque sufficiat.*

Sed dicet aliquis, assentio iam & quidem satis probatum est Dei gratiam ita posse omnia in omnibus operari, vt nihil arbitrij præiudicet libertati. Sed vtrùm ita sit quis novit? Quę ratio vt cùm nullius adminiculo ad malum egeat, ad bonũ sibi non sufficiat? Et quis est cui satis non sit, quod huic assertioni consentiat fides catholica, probet quotidiana vniuscuiusque benè proficientis experientia, affirment insuper Prophetica simul, & Apostolica testimonia, & quod his maius est, illa illius veridici oris sententia quâ dicit, *Sine me nihil potestis facere.* Porrò oculis hâc fide purgatis ratio deesse non poterit, aderit intelligentia, lumen se ingeret veritatis. Videat ergò qui potest, credat qui videre non potest. Qui videt gaudeat, sed humiliter; qui non videt credat, sed perseveranter, quia nisi crediderit is, non intelligetis, videat, inquam, quia cum omnis creatura de nihilo sit facta, & mutabilis facta, naturali quodam suæ mutabilitatis impulsu, semper ad id, de quo facta est, id est ad nihilum vergit. Et revera perfacile est videre omne, quod natura mutabile est, quodam incommutabili indigere, vt non mutetur. Nullum siquidem mutabile in se habet incommutabilitatem, alioquin ne mutabile quidem esset; quantò minùs alteri confert? Si verò nullius fulcita præsidio creatura mutetur, quis non facilè videat eam naturalius, vt ita dicam, & expressiùs ad id, de quo facta est, impetu quodam necessa-

Ioan. 15.5

necessario commutari? Quapropter vt inferiora suâ mutabilitatenon defluat, vt in eo quod est suam mutabilitatem cohibeat; vt ad altiora auspicio fœliciori se subrigat, semper illius eget gratia, cuius est creata potentia.

Vnde & in cœlis Angelo, & homini in paradiso licet nulla eos coarctaret infirmitas, *quibus nulla dominatur iniquitas*, quia tamen vterque mutabilis natura, vtrique hæc gratia necessaria, quæ vtique si collata non esset, excusabiliter vterque pecasset. At quia ex creante gratiâ, bona eis erat collata voluntas, ex adiuvante gratiâ, si ipsi vellent, in ea perseverandi facilitas nulla supereſt de mutabili natura causatio, cui sustentandæ ac promovendæ non deesset divina bonitas, si eam propria illorum non deseruisset iniquitas. Vtrùm autem reprobis aliquandò etiam nunc talis gratia conferatur, vt & bona eis inspiretur voluntas, addatur gratia quâ non desit, si tamen ipsi velint, perseverandi facultas, non audeo præcipitare sententiam. Sanè electis, quia maior quàm primis in paradiso hominibus incumbit miseria, maior confertur & gratia: & quo maior impugnat infirmitas, eo vberior præstatur resistendi facultas. Illis enim, vt dictum est, datum novimus posse perseverare si vellent, istis insuper vt perseverent. Sed quod, inquis, hominis vitium si bonam non habuerit voluntatem, quam nec propriis viribus acquirere, nec adeptam suis poterit viribus retentare? At qui bonæ voluntatis conditus, cuius est vitio peioratus? Cur non iustissimè ipsa ei impotentia imputetur, quam non ei creator imposuit, sed cui ipse se sponte submisit? Et si forte æquum non videtur vt hinc culpetur, si nunc bonam non habeat voluntatem, quam quidem habere non poterit, si non acceperit; iniustumne vt imputetur ei, quod acceptam amisit? Iniustum vt imputentur mala quæ nullo cogente deliquit.

CAP. 14. *Quid sit inter gratiam quâ primi homines in paradiso, & illam quam habent prædestinati in mundo & quod iustè imputetur homini mala voluntas, licet ad illã obtinendam liberi arbitrij non sufficiat libertas.*

At hæc, inquis, ratio iustissimè illos condemnat, qui rationis capaces, nec iudicio eligendi, nec voluntate carent consentiendi: cæterùm parvulos quæ ratio addicit damnationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas fecit iniustos? Quid enim? iniustum æstimas vt lignum invtile, & infructuosum ignis depascat? Cogita quæso totum humanum genus quasi *lignum aridum*, *lignum infructuosum*, lignum in ipsa radice vitiatum, vtpote veneno antiqui serpentis inficiatum,

CAP. 15. *Quàm iustissima sit animarum parvulorum damnatio.*

iustissimè addictum flammis, igni destinatum, adiudicatum damnationi. Quid ergò? Ingratum te præbes ô lignum invtile, quod quidam ramuscuh à tua præmortua præcisi radice, eripiuntur incendio, quatenùs stipiti cuidam fructuoso inserti, pristinæ libertati donentur? Vide *lignum* illud *viride*, *lignum vitæ*, *lignum cuius non defluunt folia*, *cuius omnia facta pros-* *Psal. 1. 3.*
perantur, in ipso suo dulcissimo latere, quod idcircò voluit in cruce aperiri, ramis, ab illa damnata radice, sola sua misera- *Luc. 19. 34.*
tione discretis, dedisse locum; vt sibi inserti, & complantati, & vnum cum eo effecti, non suâ virtute, quæ nulla est, sed, illius spiritus participatione reviviscant, & virescant, susceptaque *pluvia* illa *voluntaria*, *quam segregat* DEUS *hæreditati* *Psal. 67. 10*
suæ, sole quoque divinæ charitatis incalescente, resumpto novo cœlestis gratiæ succo fructus afferant spirituales, supernis nimirùm horreis recondendos. Sed relictus sum ego, ait, ramus ille invtilis. Relictus planè. Quid causaris? *An Mat. 20. 15*
oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Multis quidem dedi quod nulli debui; & tu hinc, *nequam*, hinc invidus hinc opponis, hinc calumniam struis. Sed cùm vtrosque, inquis, parvulos, par teneat involutos damnatio, cur ille elegitur, iste respuitur? Audi quare. Quia *Iacob*, inquit, *dilexi*, *Esau autem* *Rom. 9. 13.*
odio habui. Iniustum clamas. *Nunquid dicit figmentum ei, qui se* *Mal. 1. 2.*
finxit. Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, *& 3.*
ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contu- *Rom. 9. 20.*
meliam. Si ergò homo ex vasis quæ facit, quæ voluerit deputat *honori*, quæ voluerit exponit *contumeliæ*, nec quisquam est qui causetur iniustum; tu calumniaris, si Deus ex vasis omnibus iustissimæ *contumeliæ* expositis, quæ voluerit assumat, quæ voluerit relinquat, quæ voluerit in pristinum reformet *honorem*, quibus voluerit debitam inferat damnationem? Si, inquam, *figulus* in vasis, quæ de eodem luto compingit discernendis, ipsa eius voluntas iustitia est, quomodò non multò magis in omnibus, quæ ex nihilo creavit omnipotens, discernendis, ordinandis, sumendis, deserendis, salvandis, damnandis, ipsa eius voluntas summa iustitia sit? Ergò *miseretur cui voluerit*, & *misericordiam præstat*, *in quem sibi placuerit*, *Rom. 9. 15.*
& quem vult obdurat iustissimè deserendo, & quem vult emol- *& 18.*
lit pissimè miserando; & quidquid vult facit, nec iniustum *Exo. 33. 19.*
aliquid facit, quandoquidem inter iustum & iniustum, sola

eius

eius discernit voluntas, quæ non est aliud quàm ipsa æquitas: nec eius voluntas ex alia pendet lege iustitiæ, sed lex iustitiæ ex eius vtique pendet voluntate. Hæc diximus ne iniusta videatur damnatio parvulorum. Itaque ô homo, *noli altum sapere, sed time.* Si enim ramis cum quibus tibi est
Rom.11.20. æqua conditio, par meritum, non parcit Deus, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergò sæveritatem, & bonitatem Dei, in his quidem qui deseruntur, sæveritatem, in te autem bonitatem, si tamen permanseris in bonitate. Alioquin & tu relinqueris. Porrò vt non relinquaris, sed à relictis potiùs discernaris, noli de te præsumere, noli de Dei bonitate desperare, noli esse negligés ad operandū, noli esse segnis ad orandum cū Propheta, qui ait, *discerne causam meam de gente non sancta.* Ve-
Psal.42.1. rùm vt in bonitate hac perseveres, non tibi de tuis viribus blandiaris, sed de illo præsume, cui item clamat Propheta.
Psal. 11.8. Ibidem 9. *Tu Domine servabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum.* Illa scilicet generatione de qua statim subiecit. *In circuitu impij ambulant.* Hi sunt qui instar Sampson decisis virtutum crinibus, defossisque scientiæ, rationisque luminibus de-
Iudic.16.19 & 21. putantur ad molam, vt deserentes compendium, charitatis, circuitum teneant cupiditatis.

ADRIANI PAPÆ PRIMI EPISTOLA XCVII.

Extat Tomo 3. Scriptorum historiæ Franciæ Francisci Du Chesne pag. 818. Editionis Parisiensis 1641.

ADrianus Papa Episcopus servus servorum Dei dilectissims nobis omnibus orthodoxis Episcopis per vniversam Spaniam commorantibus. INSTITVTIO vniversalis nascentis Ecclesiæ Beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen eius & summa consistit, ex eius enim Ecclesiastica disciplina, per omnes Ecclesias Religionis iam crescente cultura fonte manavit. Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeò vt non aliquid super eam ausa sit constituere, cùm videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat sermone Domini concessa. Hanc ergò Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum, à qua si quis se abscidit, fit Christianæ Religionis extorris, cùm in eadem non cœperit esse compage. Audivimus quippè quod quidam Episcoporum in partibus vestris degentes, Apostoli cæ Sedis doctrinam contemnentes, contra orthodoxam fidei traditionẽ novas introducere nituntur hæreses, prætermittentes *vasis electionis* Beati Pauli Apostoli sententiam quæ ait: *Si quis vobis*

Gal 1.9. *vobis evangelizaverit, præter quod evangelizatum habuistis, anathema sit.* Quapropter exultantibus animis confidentius orthodoxam fidem vestram incitamus, vt ab omni pestis incursu pectora vestra sapienter intemerata servetis, & rectæ fidei doctrinam, quam à sancta nostra Catholica & Apostolica Sede, olim prædecessores vestri à sanctis nostris prædecessoribus susceperunt, vsque in finem defendere atque observare nihilominùs satagatis, *Quoniam qui perseveraverit vsque in finem, hic salvus erit.* Quamvis ergò magna locorum intervalla nos dividant, si in vnitate fidei nostræ perseveraveritis vobiscum sumus, tantum vt sit, auxiliante Domino, constantia perseverans, dicente Apostolo: *Vobis enim datum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro ipso patiamini.* Dudùm verò quod Vulcharius Archiepiscopus Galliarum suggessit nobis pro quodam Egila, vt eum Episcopum, consecraret, valdè nimisque eum in fide catholica & in moribus atque actibus laudans vt consecratum vestris partibus emitteret ad prædicandum: nos verò prædicti Wlcharij Archiepiscopi petitioni credentes consuetam illi licentiam tribuimus, vt canonicè eum examinaret, quatenùs si post discussionem & veram examinationem, rectum & catholicum eum invenisset, Episcopum ordinaret, & nullam quamlibet alienam sedem ambiret vel vsurparet, sed solummodò animarum lucra Deo offerret: qui vnà cum Ioanne Presbytero in partibus vestris veniens, quod peius est, vt eius fama in auribus sonuit, non rectè ille Egila prædicat, sed errores quosdam Mingentij Magistri sui sequens, extra catholicam disciplinam, vt fertur, conatur docere & alia plura capitula, quæ absque norma Ecclesiastica aliis suadere videtur. Quod si ita est, vestra fidelissima dilectio, quæ normam & disciplinam sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ consequitur, nullo modo eorum insaniam credere vel sequi studeat. Quia proculdubio minimè nos credimus sanctæ Romanæ Ecclesiæ ignorare disciplinam, sed potiùs admonentes ad veram & orthodoxam fidem eos reducere studeatis. Porrò & de partibus vestris pervenit ad nos lugubre capitulum, quod quidam Episcopi ibidem degentes, videlicet Eliphandus, & Ascaricus, cum aliis eorum consentaneis, *Filium Dei adoptivum confiteri non erubescunt,* quod nullus è qualibet hæresi antea talem blasphemiam ausus est oblatrare, nisi perfidus ille Nestorius, qui purum homi-

Mat 10.23 Ibid. 24.13.

Phil. 1.13.

nem Dei confessus est filium. Quapropter nullo modo eorum sempiternum venenum in qualibet parte vestram subripiat vel coinquinet dilectionem : sed sanctorum Principum Apostolorum Petri ac Pauli divinam *tenentes confessionem*, atq; eorum sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ sequentes traditionem, pariterque præcipuorum ac Catholicorum probabilium Patrum dogmata amplectentes, firmi & stabiles atque immobiles & inconcussi, vnà nobiscum in eorum luculenta traditione perseverare irrefragabiliter, & incunctanter nitimini. In primis confessionem Beati Petri Principis Apostolorum atque clavigeri regni cœlorum tenentes, qui ait : *Tu es Christus filius Dei vivi.* Deinde *vas electionis* Beati Pauli Apostoli * subposterùm fidei qui inquit : *proprio filio Suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et si ipsi Principes Apostolorum *Filium Dei vivi* & *proprium* confessi sunt, quomodò oblatrantes autumant hæretici, *Filium Dei adoptivum dicere*; quo solo audito, omnis Christianus gemens pavescit? Unde Beatus Athanasius Alexandrinus Episcopus, antiquus & egregius prædicator, de divina Incarnatione Verbi consonante sancta prima Synodo, quæ in Nicæa, inter cætera ait : si quis verò adversus divinam scripturam dicit, alium filium Dei, & alium qui ex Maria homine secundùm gratiam, & si quis Domini nostri carnem desursum dixit, & non ex Virgine Maria, aut immutatam deitatem in carne & confusam, aut alienatam, aut passibilem Domini deitatem, aut inadoratam Domini Dei carnem, sicut hominis & Dei carnem, hunc anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia: Consentiente divino Apostolo & dicente: *Si quis vobis evangelizaverit præter quod suscepistis, anathema sit.*

Mat. 16. 16

Rom. 8. 32.

Gal. 1. 9.

* mend locus nisi subposteram sit fundamentum vel suppositum.

Sed & Beatus Gregorius Nazianzenus, qui & Deiloquus, scribens ad Oledonium * infra cætera inquit : *Si quis duos introducit filios, vnum quidem qui ex Deo & Patre, secundum verò qui ex matre, & non vnum & eundem, is adoptione excidat, qua promissa est his qui rectè credunt. Naturæ verò duæ Deus & homo, vt & anima & corpus. Filij verò non duo, neque Dij : neque enim hic duo homines. Quamvis Paulus quod interius hominis & exterius appellavit. Si oportet continuò dicit alium & alium, ex quibus Salvator, sive non quod & ipsum invisibilem visibilis & sine tempore, quæ sub tempore, non alius & alius absit, veraque vnum vero.* Et infra. *Si quis ex operibus perfectum, aut post baptismum, aut post ex mortuis resur-*

1. Cor. 15.

* F. intra, vel inter S. Greg. Naz. Orat. 51. edit. nova Parisiensis.

rectio-

rectionem, adoptione dignus est dicit, sicut quos Pagani præscriptos introducunt, anathema sit.*

* al. ascriptos.

Vnde præcipuus Amphilochius Iconij Episcopus in sermone suo in sancta Epiphania nos docuit. Nunc in spiritu Sancto propter adoptionis gratiam. Impossibile enim te accipere authoritatem adoptionis & *clamare, Abba pater*, nisi signante *adoptionis spiritu*. Et post pauca: Nisi ille passus fuisset *servi formam*, nullo modo tu * gratiam adoptionis lucrareris. Et post modicum: Diligite imperiale donum, capite adoptionis dignitatem. Sed & Beatus Gregorius Nyssenus Episcopus super Matthæum * disponens ita ait: *Si verò pacificus es adoptionis gratia coronaris.* Quatenus & Beatus Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, qui & Chrysostomus ad Neophytos scribens instruit: *Benedictus* DEUS *iterùm dicamus, qui facit mirabilia solus, qui facit vniversa, & convertit vniversa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur qui tenebantur ante captivi, & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerant in peregrinationis errore. Et iustitia in sorte versantur qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti, non tantum sancti, sed & iusti. Non solum iusti, sed & filij, nec solum filij, sed hæredes: non solum hæredes, sed & fratres Christi, nec tantum fratres Christi, sed cohæredes, non tantum cohæredes, sed & membra, non tantum membra, sed & templum, nec tantum templum, sed & organa spiritus, Benedictus* DEUS, *qui facit mirabilia solus. Vides quot sunt baptismatis largitates, sed multis quidem videtur cælestis gratia, in peccatorum remissione tantum consistere, nos autem honores computavimus decem.* Hac de causa etiam infantulos baptizamus, ne sint coinquinati peccato, vt eis detur iustitiæ adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt spiritus inhabitatio fiant.

* al. gloriæ.

* al. dissemens.

Rom. 8. 15.

Psal 71. 18.

Item idem ipse super Ioannem Evangelistam docuit: *Non enim inutilis fias erga beneficium, neque contrarijs retribue, qui tibi fontem beatitudinis donavit. Vbi enim adoptionis dignitas, ibi malorum amputatio, & bonorum omnium datum.* Idem ipse Psalmus, *factum est istud, & est hoc mirabile in oculis nostris*, vt nos qui ante passionem Domini sine testamento eramus & lege, adoptaremur in filios Dei.

Psal. 117. 23

Ecce dilectissimi nobis, qualiter Sancti Patres Orientales docuerunt, inter dona charismatum adoptionem esse, & nobis omnibus qui in peccatis nati sumus, & iterùm per baptismum renati à Domino nostro Iesu Christo filio Dei vnigenito cõcessam.

ceſſam. Vnde & Beatus Auguſtinus egregius doctor in ſermone de Natali Domini inquit: *Audite filij lucis adoptati in regnum Dei.* Et iterum in explanatione Sancti Evangelij ſuper Ioannem pro hoc manifeſtè docuit: *Quotquot autem receperunt eum. Quid eis præſtitit? magnam benevolentiam, magnam miſericordiam. Vnicus natus eſt & noluit manere vnus. Multi homines cùm filios non habuerunt, peractâ ætate adoptant ſibi, & voluntate faciunt, quod naturâ non potuerunt. Hoc faciunt homines, ſi autem aliquis habeat filium vnicum, gaudet de illo magis, quia ſolus omnia poſſeſſurus eſt. Et non habebit qui cum eo dividat hæreditatem vt pauperior remaneat. Non ſic Deus, vnicum eundem ipſum quem genuerat, & per quem cuncta creaverat, miſit in hunc mundum, vt non eſſet vnus, ſed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati ſumus de Deo, quomodò vnigenitus, ſed adoptati per gratiam ipſius. Ille enim venit vnigenitus ſolvere peccatum &c.* Item in alio ſermone eiuſdem libri. *Nullo modo autem poſſunt dicere habere ſe charitatem, qui dividunt vnitatem.* His dictis ſubſequentia videamus: *Perhibuit Ioannes teſtimonium quia vidit. Quale teſtimonium perhibuit? Quia ipſe eſt filius Dei. Oportebat ergò vt ille baptizaret, qui eſt filius Dei vnicus, non adoptatus. Adoptati filij miniſtri ſunt vnici, vnicus habet poteſtatem, adoptat in miniſterium. Licet baptizet miniſter, non pertinens ad numerum fratrum, quia malè vivit, & malè agit, quid nos conſolatur? Hic eſt qui baptizat &c.*

Idem in alio ſermone: *Nos enim de gentibus venimus. De gentibus autem non veniremus, niſi Deus de lapidibus ſuſcitaret filios Abrahæ, facti ſumus filij Abrahæ imitando fidem, non naſcendo per carnem. Sicut enim illi degenerando exhæredati, ſic nos imitando adoptati.* Et infra idem in alio ſermone: *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Adiecit.* Omnia dedit in manu eius, *vt noſſes & hic, quia diſtinctione dictum ſit.* Pater diligit filium. *Quare ergò Pater non diligit Ioannem? & tamen non omnia dedit in manu eius. Pater non diligit Paulum? Et tamen non omnia dedit in manu eius,* Pater diligit filium, *ſed quomodò Pater filium, non quomodò Dominus ſervum. Quomodo vnicum, non quomodo adoptatum.*

Pariter Beati Hilarij Pictavienſis Epiſcopi ſuper Mathæum inquit, expoſitio: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: Pacificorum beatitudo, adoptionis eſt merces, vt filij Dei maneant. Parens enim omnium Deus vnus eſt: Neque enim aliter tranſire in mancipationem familiæ eius licebit, niſi oblivione earum rerum adſum-*

Ioan. 1. 12.

Luc. 12. 13.

Ioan. 1. 32.

Ibidem 34.

Ibidem 33.

Matt. 3. 9.

Ioan. 3. 35.

Ioan. 5.

Matt. 5. 9.

pta, quibus possumus offendi, fraterna invicem charitatis pace vivamus. Sed & Beatus Leo egregius Papa atque præcipuus doctor ex sermone sanctæ Epiphaniæ ita nos docuit: *Unde quod illustres viri, universam gentium personam gerentes, adorato* Domino *sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, quæ iustificat impios, totus mundus adsequitur, & hæreditatem Dei ante sæcula præparatam accipiunt adoptivi, & perdunt qui videbantur esse legitimi.*

Et post cætera ex ipso sermone: *Illa nobis curanda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est. Qui nobis nullis operum meritis suffragantibus, sacramento consuevit & exemplo, vt in adoptionem vocatos, per illud proveheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem.* Item ex eiusdem Beatissimi Pontificis Leonis sermone de Passione Domini. *Nos autem dilectissimi, qui ab ignorantia tenebris liberati fidei lumen accepimus, & in novi Testamenti hæreditatem per electionē adoptionis intravimus, festivitate, quam Israel carnalis perdidit, gaudeamus.* Item alius sermo eiusdem de Pentecoste: *Nos autem, dilectissimi ad beatam hæreditatem & animæ & carnis per regenerationem Sancti Spiritus adoptati, sacratissimum diei istius festum rationabili obsequio celebremus: confidentes cum Beato Paulo Apostolo,* Ephes. 4. 8. *quod Dominus Iesus ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, vt Evangelium Dei per omne humanæ vocis eloquium prædicaretur, & omnis lingua confiteatur, quoniam* Dominus Phil. 2. 11. *Iesus in gloria est Dei Patris.*

Si enim sanctorum omnium orthodoxorum Patrum, pro huiusmodi opuscula vobis exarassemus, antea chartæ & scriptores deficerent, quam divinus per eorum disputationes cessasset sermo. Sed in his omnibus vestra fidelissima credulitas ad fidem Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, eos, qui in errore positi sunt, redigentes, fructum animarum Deo offerre studete, vt nobis vobisque potissimum lucrum adcrescat. Pariterque & hoc pervenit ad nostras Apostolicas aures, quod multi in partibus illis in insipientiam atque cordis dementiam devoluti, prædecessorum nostrorum sanctorum Pontificum, & nostras relationum atque admonitionū series, secundùm venerandi Nicæni Concilij institutionem de Paschali festivitate ita contemnere audent, quod si plenilunium quartodecimo scilicet Lunæ die Sabbatho contigerit, alio Dominico scilicet quintodecimo Lunæ, die Pascha sanctum minime celebratur, sed prætermisso eodem quinto decimo die in alio sequentis septimanæ Dominico, qui est

vicesimo secundo Lunæ die, Paschalis festi gaudia pronunciant celebranda. Quod si interiùs mente perpenditur magni ac venerandi Nicæni Concilii trecentorum decem & octo sanctorum Patrum simul cõvenientium promulgata Paschalium festivitatum ratio, proculdubio omnis error, omnisque ambiguitas ab hæsitantium cordibus auferetur. Sed dùm plerique propria commenta, vt acuti, perspicaces, & mundanæ scientiæ gnari, spiritalis verò eruditionis ignari, vindicare desudant, olitanam Patrum traditionem delidiosa ignavia prætereunt, & vera mendaciis obumbrare inhiant. In eodem quippe magno Nicæno Concilio denovennali cyclo Patrum confirmato sententia, ita inter cætera ibidem fertur promulgatum: quod non amplius, quam vsque ad vicesimam primam Lunæ diem huius sacræ festivitatis solemnia dilatentur. Quam Paschæ rationem & Antiochenum demùm venerandum corroborans Concilium, inter reliqua, ita inibi, in primo scilicet capitulo constat exaratum: *Omnes qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti & magni Nicaui Concilij, congregati sub præsentia pijssimi & venerandissimi Principis Constantini, de salutifera sancti Paschæ solemnitate, excomunicandos & ab Ecclesia esse abijciendos censemus.* Etsi tamen † contentiùs adversus ea, quæ benè sunt constituta, persiterint, atrocioribus porrò submissuros interdictionibus censuerunt. Nam & beatissimus Dyonisius in ea, quam de ratione Paschæ promit epistola ait: *A duodecimo Kalendarum Aprilium die, cunctorum Orientalium sententia, æquinoctij cursus vernalis consequatur, decreverunt, maximè Ægyptiorum peritiam, qui, vt huius calculationis gnari doctiq; sunt, inquirendam, specialiter adnotatur. In quo etiam si Luna quarta decima sabbatho contingat, sequenti die Dominico Luna quinta decima celebrandum Pascha sancta Synodus Nicæna sine ambiguitate firmavit.*

† al. contentiosius.

Attendite dilectissimi nobis, & illud, quod Beatus Proterius Alexandrinæ Ecclesiæ Præsul, prædecessori nostro beatissimo Leoni Papæ, ob piæ memoriæ Marciani Principis iussum, direxit. Post plurima enim ita ait: *Olim quidem Dominus per Moysen significans dicit Mensis iste vobis initium mensium primus erit in mensibus anni, & faciet Pascha Domino Deo tuo quarta decima die mensis primi.* Et post pauca subiunxit dicens: *Si quandò in die Dominico quarta decima Luna reperta est, in sequenti septimana est dilatanda festivitas. Sicut & veteres Patres nostri fecerunt,* Exodi. 12.

quarta

quartas decimas Lunas occurrentes in aliam Dominicam transferentes. Vnde constat, dilectissimi, non amplius huius venerandæ festivitatis solemnitatem extendi fas esse, quam vsque in vicesimam primam Lunæ diem, ritè observantes hebdomadę dierum numerum, dùm solaris cursus à Lunæ cursu omninò discordat: quoniam in sex quidem diebus creator omnium Dominus, & æthereum firmamentum, omnemq; eius ornatũ, rutilantia æquoris atque telluris gignantia, ac elementorum materiam, & cunctorum reptilium animantia patravit, & postremo è limo hominem finxit agri, *& in septimo die requievit ab omni opere, quod patrarat.* His nempè septem diebus à quarto decimo die Lunæ quod est pleniluntum, si Dominica tamen occurrerit, quæ est prima & sancta dies, pro eo quod non oportet in ea ieiunare, intermissis in alia Dominica, quæ est prima & sancta dies, vicesima prima luna rationis ordo exigit sanctum Pascha à Christianis celebrandum. Nam si in sabbatho quartadecima luna provenerit, non est intermittenda subsequens Dominica, quinta decima videlicet Lunæ dies, venerantes eandem Dominicam, quæ est prima sabbatorum dies, in qua lux, iubente Deo, in ipso mundi exordio prodiit, in qua & vera lux Salvator noster, ab inferis carne resurrexit. Nam si octo dies à quarta decima Lunæ die, quando ieiunium solvitur, intermittantur vt in vicesimo secundo die Lunæ Paschalis festivitas dilatetur, ergò iam non septima, id est hebdomada, sed ogdoada, vt stolidi quique & vecordes prophanizant, dicenda atque observanda est. Intuendum quippe & illud ratio suadet, quod septem hebdomadæ, & non octo intermittuntur à Paschali festivitate, vsque ad sanctam Pentecosten, in qua Paraclytum Spiritum à Patre Redemptor noster Dei vivi filius, post glorioſam resurrectionem suam sanctis suis Apostolis misit, pro quo regiam † gradiamur viam, & non declinabimus penitùs per tortuosum, & dumis ac tribulis repletum callem. Pergant per eum hi, qui cupiunt nova figmenta, & scelerum monumenta componere, vt meritò spinæ & tribuli generentur eis. Iam quidem dudùm decessores & prædecessores nostri sancti Pontifices, pro hac quæstione, simulq; hæresi, illis partibus commonitorium atque adhortationem dirigentes, congrua capitula beati Cyrilli atque Theophili, nec non & aliorum sanctorum patrum, quos dinumerare longum est, promulgantes

Gen. 1.

Gen. 2. 7.
Ibidem 2.

Gen. 1. 3.

† *al.* gradiemur.

docuerunt. quod vestræ dilectioni gnarum esse dubiũ non est, pro quo non silemus, chariſſimi impensiùs vos commonere, vt à falsis fratribus caveatis, & eo modo quo sancta nostra Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, Paschalem celebrat solemnitatem: & rectè, si Dei tenet traditiones, & vos procul dubiò celebrare studeatis, vt sicut pares nos Christianorum, fidei religio efficit, æquales nimirùm in festivitatibus efficiat.

Verùm etiam & hoc de partibus vestris audivimus, quod quidam pollicentes atque in errore perseverantes prædicant, vt qui non ederit pecudam aut suillum sanguinem & suffocatum, rudis est aut ineruditus. Nos quidem Apostolica præcepta imbuti atque eruditi confirmantes prædicamus. Quod si quis pecudum aut suillum sanguinem vel suffocatum manducaverit, non solùm totius est consolationis alienus; sed ipsius quoque intelligentiæ communis prorsus extraneus, vnde sub anathematis vinculo obligati in laqueos incidunt diaboli.

Illud autem quod alij ex ipsis, dicunt, quod prædestinatio ad vitam, sive ad mortem in Dei sit potestate & non nostra. Isti dicunt, vt quid conamur vivere, quod in Dei est potestate? Alij iterùm dicunt, vt quid rogamus Deum ne vincamur tentatione quod in nostra est potestate, quasi libertate arbitrij? revera enim nullam rationem reddere vel accipere valent, ignorantes Beati Fulgentij Episcopi ad Eugypinum Presbyterum contra sermonem cuiusdam Pelagiani, opuscula directa, quibus infra multa idem pater docens hæc verba subiungit: *Illi autem dum pro se gratiam solùm reprehensibiliter intromittunt, in se damnabiliter calcaverunt, qui alios ad vitam, alios ad mortem asserunt,* * *prædestinatos. Adverte, quibus impietatis se nexibus ligant. Si ad bonum prædestinatus sum, contra malum resistere mihi necesse non erit. Si verò ad malum natus, bonum mihi exercere nihil proderit. Ac sic in vtraque parte, intercluso appetitu laudis & gloriæ, vnus securitate, alius desperatione torpebit, ac per hoc otiabitur iustitiæ exercitatio, oratio cessabit, languebit operatio. Sed non ita est, quin potiùs incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit: Sine intermissione orate, ne intretis in tentationem. Nihilominus contra omne peccatum, non solùm oratione, sed etiam labore luctemur, quia ipse Dominus præsenti lectione testatus est, quia vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum laborem suum. Hæc verba quibus auctor ser-*

* al. destinatos.

Mat. 26. 41

Mat. 16. 27. 1. Cor. 3. 8.

sermonis illius veritatem prædestinationis nititur oppugnare, inconsideratè atque indiscretè prolata: Deo nos adiuvante monstramus. Et post cætera: *Opera ergo misericordiæ ac iustitiæ præparavit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ, & sicut futurorum operum suorum, nunquam fuit ignarus, sic in eorundem operum præparatione nunquam improvidus. Præparavit ergo iustificandis hominibus merita, præparavit iisdem glorificandis & præmia. Malis vero non præparavit voluntates malas, aut opera mala, sed præparavit ei iusta & æterna supplicia. Hæc est æterna prædestinatio futurorum operum* Dei, *quam sicut nobis Apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus. Beatus enim* Paulus *prædestinationem eorum, quos Deus gratis salvat, & evidenter & frequenter insinuat, ipse enim dicit de Deo: Nam quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis filij sui vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Et post: *quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit hos & iustificavit: quos autem iustificavit hos glorificavit. Nihil incertum in operibus Dei mutat, quia nihil suæ prædestinationis evacuat. Prædestinationis igitur suæ opera vocatione Deus inchoat, glorificatione consummat. Non tamen in omnibus quos vocat, sed quos secundum propositum vocat.* Diligentibus *enim* Deum *omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt.*

Rom. 8. 29.

Ibid. 30.

Ibidem 28.

Item & post multa: *Teneatur ergo prædestinationis veritas à fidelibus cunctis, quia quisquis divinum non credit in hac prædestinatione consilium; non perveniet ad gloriosum eiusdem prædestinationis effectum. Quisquis autem non est prædestinatus ad gloriam invenitur sine dubio præscitus ad pœnam, quæ ideò in Dei præparatione prædestinata cognoscitur, vt per eam infidelitas atque iniquitas puniatur. Propter quod Beatus Iudas Apostolus quosdam prædestinatos dicit in iudicium his verbis: Subintroierunt enim quidam homines impij, qui olim præscripti & prædestinati erant in hoc iudicium Dei nostri. Vigilanter autem in doctrina spiritus sancti, prædestinatos impios non dicit ad peccatum, sed ad iudicium, id est, non ad impietatem, sed ad punitionem. Non enim prædestinati sunt ad hoc, quod vitio suo impietates admittunt, sed ad illud, quod iudicio æquitatis divinæ recipiunt. Ipsorum enim opus est quod impiè faciunt,* Dei *autem opus est quod iustè recipiunt.* Item post cætera: Proindè *quod auctor illius sermonis subsequenter adiunxit dicens: quin potiùs inceſſanter oremus, quia ipse* Dominus *dicit, sine intermissione orate, ne intretis in tentationem. Et post nihilominus,* contra omne peccatum non solùm oratione,

Iuda 4.

Mat. 26. 41

ſed etiam labore luctemur. *Et iterùm ſic laborantes vocat* DOMINUS *dicens*: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, *Mat.11.28* & ego vos reficiam. *Sed nos à* DEO *humiliter gratiam poſcamus, quam collaborantem iugiter habeamus, per quam nos* DEUS *& in labore cuſtodiat, & ad mercedem peracto labore perducat.*

Porrò dilectiſſimi diverſa capitula, quæ ex illis audivimus partibus, id eſt, quod multi dicentes ſe catholicos eſſe, communem vitam gerentes cum Iudæis, & non baptizatis paganis, tàm in eſcis quam in potu, & in diverſis erroribus nihil pollui ſe inquiunt: illud, quod inhibitum eſt, vt nulli liceat *iugum ducere cum infidelibus*, ipſi enim filias ſuas cum alio *2.Cor.6.14* benedicent, & ſic populo gentili tradentur, & quòd ſine examinatione præfati presbyteri vt præſint ordinantur. Et alius quoque immanis invaluit error perniciosus, vt etiam vivente viro, mulieres ſibi in connubio ſortiantur ipſi pſeudoſacerdotes, ſimulque & de libertate arbitrii, & alia multa, ſicut de illis audivimus partibus quæ longum eſt dici. Quapropter, dilectiſſimi oportet veſtram induſtriam ſolertiſſimè vigilare, & ſicut decet Domini ſacerdotes, nulli veſtrum liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum poſſit regulis obviare. Quæ enim à nobis res digna ſervabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libito licentia populis permiſſa frangatur? Vnde conſtat, vt ſi quis de prædictis capitulis obnoxius reperietur, poſt vnam & ſecundam adhortationem, ſi noluerit ſe corrigere, profectò is regulariter à conſortio fidelium Dei, vtpotè corruptor Patrum traditionum, extorris efficiatur, & in æternâ condemnatione inveniatur. Cavendum ergò dilectioni veſtræ eſt, magnaque diligentia prohibendum, ne per eiuſmodi homines extincta dudùm ſcandala ſuſcitentur, & de exciſo olim dogmate aliquod in provincia eiuſdem mali germen oriatur, quod non ſolum in radicibus ſuis creſcat, ſed etiam ſanctæ Eccleſiæ ſobolem veneno ſui odoris inficiat. Qui correctos ſe videri volunt, ab omni ſuſpicione ſe purgent, & obediendo vobis probent ſe eſſe noſtros quorum ſi quiſquam ſalubribus præceptis ſatisfacere detrectaverit, ſive ille Clericus, ſive ſit Laicus, ab Eccleſiæ ſocietate Pellatur, ne proditor animæ ſuæ ſaluti inſidietur alienæ. Sed vos, dilectiſſimi, noſtræ ſanctæ

& Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ orthodoxam fidem amplectentes, prædicare nitimini, vt sicut vnus est pastor noster Christus, *Dei vivi filius*, omnes simul in vno eius efficiamur aggregati ovili, & quemadmodum vnius capitis sumus membra, vnum efficiamur corpus in Christo Iesu Domino nostro: promerentes, quod sanctis suis contulit cultoribus, qui eius præcepta custodiunt, & ab initio mundi divinæ placuerunt maiestati, desiderabilem promissionem, quam ait: *Venite benedicti Patris mei percipite regnum vobis præparatum ab origine mundi.* Mat. 25.34

Ea quæ hic de prædestinatione habentur, referuntur etiã verbatim Epistola 96. eiusdem Adriani Papæ apud eundem Franciscum du Chesne pag. 814. ibidem.

FINIS

ctæ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ orthodoxam fidem amplectentes, prædicare nitimini, vt sicut vnus est pastor noster Christus, *Dei vivi filius*, omnes simul in vno eius efficiamur aggregati ovili, & quemadmodùm vnius capitis sumus membra, vnum efficiamur corpus in Christo Iesu Domino nostro: promerentes, quod sanctis suis cõtulit cultoribus, qui eius præcepta custodiunt, & ab initio mundi divinæ placuerunt maiestati, desiderabilem promissionẽ, quam ait: *Venite benedicti Patris mei percipite regnum vobis præparatum ab origine mundi.* Matt. 25. 34

Ea quæ hic de prædestinatione habentur, referuntur etiam verbatim Epistola 96. eiusdem Adriani Papæ apud eundem Franciscum du Chesne pag. 814. ibidem.

HVGONIS
A S. VICTORE
TRACTATVLVS
De triplici vitio, triplici peccato, & triplici remedio.

TRiplex vitium, triplex peccatum, triplex remedium. Impotentia, ignorantia, concupiscentia, tria virtute hominis interioris vitia dum consensum alliciunt, transeunt in peccata: quorum alia per infirmitatem, alia per errorem, alia ex sola perversa voluntate vltrò committimus. Triplex verò remedium in divinis constitutionibus, comminationibus, & promissionibus, intelligimus. Vnde, *omne caput languidum, & omne cor mœrens? A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Ecce mala innata. *Vulnus & liuor & plaga tumens. &c.* Ecce mala illata. Prima

Lib. 4. Eruditionum Theologicarum ex 2. Miscellaneorum Titulo XXXIII

intrinsecus, secunda extrinsecus. Ad cumulum autem malorum sequitur contemptus remediorum. *Non est*, inquit, *circumligata, nec curata medicamine &c.* Ecce quantis malis præmimur. Ergo discè ô homo, et si ab homine dedignaris, ab eo saltem qui docet hominem scientiam, tantam miseriam, quod scilicet de interioribus timere, de exterioribus debeas formidare, vt ardentius medici remedia quæras, & diligas ligamenta, scilicet divinarum institutionum, cramenta comminationum, fomenta promissionum. *Omne*, inquit medicus in Propheta, *caput languidum &c.* *Caput*, id est, liberum arbitrium: quia sicut caput corpori præminet, ita liberum arbitrium omni occasioni præsidet. Isto nihil dignius, quia incommutabili æternitati præ cæteris vicinius accedit, eius in se imaginem expressiùs gerit: quia nulla culpa vel miseria, non dicam destrui, sed nec minui potest: & sicut superiorem non habet, nec habere potest, sic liberum arbitrium dominium non patitur nec pati potest, quia violentiam illi inferre nec creatorem decet, nec creatura potest. Totus si infernus, totusque mundus, & militiæ cœlestis in vnum coniuret exercitus, vnus ex libero arbitrio consensus in qualibet re invito extorqueri non valet. Hoc itaque caput in homine languidum dicitur, quia ad amorem bonum torpet. Capitis languorem ostendebat, qui dicebat, *Sine me nihil potestis facere.* Quid enim boni facere potest ex seipso, quando nec *dicere potest*, Dominus Iesus *nisi in Spiritu sancto.* 1. Cor. 12. Nihil ergò languidiùs eo quod ad quodlibet bonum etiam minimum minimè convalescere potest, quia, *Non est volentis* Rom. 9. *neque currentis, sed miserentis Dei.* Voluntati enim eius quis potest resistere? Vnde sicut admiranda arbitrii dignitas est, ab vllo cogi non posse: sic miseranda infirmitas: in seipso ad omne opus bonum torpere.

Lib. arb. dignitas.

CAP. 2. Sequitur. *Omne cor mœrens &c.* Ex corde consilium de occulto eruitur, & in secreto invenitur: & ex eo bona intentio procedit, quoniam per consilium vita nostra depravata corrigitur. Nam *mors & vita ex ipso procedit*, quoniam si ex consilio Prover. 4. intentio bona deprauatur quid iuuat bonorum operum prolem gignere, & eam per prauam intentionem necare; Quidam in ipso proposito ex mala intentione opera corrumpunt: alij post exercitia virtutum per vanam laudem à bona intentione euanescunt. Primi abortiuos faciunt parere: Secundi natos

vel

vel adultos occidũt. Nonnè ſatius nõ parere quam dormiẽdo partũ opprimere, vel ex cõſilio necare; Melior eſt ſterilis quæ non parit, quã filiorũ necatrix ſine miſericordiâ. Quid enim oſſa arida ſine anima: niſi fortia opera ſine intentione bona? Et hæc ab virtutum merito & retributione fruſtrata, ſed vaticinante filio hominis ingreſſus eſt ſpiritus in ea, & revixerunt. Quia ergò ex conſilio intentio accipit vt bona ſit, quaſi de corde ſpiritus procedit: qui ad corporis vivificationem exiens, ſe per virtutum opera diffundit, vt noſtrum ſit quod dicitur: conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſervabit te. Hoc autem cor in tenebris ignorantiæ poſitum errat, modo in diſcernenda quantitate, dicendo maius malum eſſe minus, & è converſo: modo in examinanda qualitate, dicendo malum bonum & è converſo: non iudicando ſcilicet inter noctem & noctem, vt à malis peiora, & à peioribus peſſima diiudicet: nec inter diem & diem, vt à bonis meliora, à melioribus optima ſeparet: nec omnem noctem, vt quodcunque vitium digna examinatione penſet: nec omnem diem iuxta Apoſtolum, vt vnamquamque virtutem iuxtà propriam dignitatem æſtimet. Hæc enim ſunt quinque talenta quæ imprimuntur cogitationi: lucranda ex eis alia quinque, ſi imprimantur & affectui, vt quæ cognoſcit, efficaciter diligendo duplicet. Alioquin *melius eſt viam veritatis non agnoſcere, quam poſt agnitam retrorſum abire.* Diligenda avidè debemus diligere, & contraria debemus odire. Nec huc aſcendiſſe ſufficit, niſi vlterius aſcenderimus, ſcilicet vt in malis peiora maiori odio perſequamur, in bonis meliora altiori dilectione complectamur. Et de ſecundo ad tertium, vt de melioribus optima eligamus, ex deterioribus peſsima maximè contemnamus. Et quia poſſumus hæc tria facere in dilectione bonorum, & contrariorum reprobatione, contrarium modum minimè ſervare ſtudeamus, ſed per quartum & quintum aſcendamus & in omni bono vel malo odii vel amoris congruam menſuram ſervemus. Sed in his omnibus cor mœret, & ex mœrore caligat. Mœror namque lachrymas fundit: lachrymæ oculos caligare faciunt. Rectè ergò cor mœret, quia ad omne conſilium rationis cor habet. Verè mœret, & mœrere debet, quia malum diligimus quod dum conſilium patitur, ſicut non ignorat, ita nec diſſimulat. Quãto enim evidentiùs per conſilium cognoſcit malum quod pa-

1. Pet. 2.

titur, tantò amplius mœret & suis pravitatibus indignatur: quia qui apponit scientiam apponit & dolorem. Si igitur cor habemus, non omni consilio destituti sumus. Tantum malum dissimulare non debemus, debet dolor noster acrius nos vrgere interius, apparere exterius, intus ad remedium, foris ad exemplum. Nam mœror est dolor acrius intus sæviens, & in lachrymas foris erumpens. Si ergò columba seducta & non habens cor non sumus, si absque prudentia & sine consilio non existimus, probemus in opere quam verè doleamus in corde, appareat exterius quid patiamur interius. Eccl. 1.

CAP. 3. Sequitur. *A plante pedis &c.* Pes notat carnale desiderium: quia sicut pes in imo iacet, & à pedibus totum corpus circunfertur, ita carnale desiderium in infimis adhæret, & à carnalibus desideriis animus exagitatur, & circunfertur, quamdiu enim homo vagus & profugus vivit super terram: tam diu post concupiscentias suas abiens repletur miseriis, & nunquã in eodem statu permanet, quærens apprehendere quod concupiscit, & effugere quod odit. Nunc hoc, nunc illud amat; quæ prius amaverat, iterum despicit & fastidit, sed cur diximus fastidire, qui scriptura teste, cursum in amaritudine cõsumãt. *Omnia*, inquit, *flumina intrant in mare*, hoc est omnem delectationem carnalem in amaritudinem terminari, omne flumen & omnis dulcis aqua dum mare intrat, in amaram mutatur aquam, quia *extrema gaudii luctus occupat, & risus dolore miscebitur. Et mare non redundat*, quia divina æquitas in omni percussione sua quam ad vltionem vel correctionem fert, modũ servat, iustitiæ metas non excedit. Malitiæ nostræ meritum, miseriæ nostræ quantitas non exuperat. A pede igitur vsq; ad verticem non est sanitas, & sic pes cum toto corpore dolet, quia concupiscentiæ malum vndiq; fervet, & dolorem in singulis membris propria infirmitas extorquet. Quid enim infirmius quã non posse plenè resistere in quibus erubescimus? Mente consentire legi Dei, & in lege Dei captivari & vinci? Hæc igitur sunt tria vitia: languor capitis, mœror cordis, dolor infirmi corporis: qui defectus nostri ab interioribus surgunt. Per languorem capitis intelligimus debilitatem liberi arbitrii ad bonum. Per infirmitatem corporis, inquietudinem desiderii ad malum. Per mœrorem cordis, caliginem, ambiguitatem iudicii ad vtrumque discernendum, in languore, in impotentia boni, in vexatione infirmitatis, in concupiscentia mali, in nubilo mœroris, ignorantia boni & mali. Eccl. 1. Prov. 14.

Secundùm hoc genus triplex vitiorum, triplex est genus peccatorum. Vnde sequitur *Vulnus, livor, plaga tumens.* Alia enim sunt quæ incidimus per infirmitatẽ: alia per errorem, alia per iniquitatẽ. Vulnus est peccatum quod committitur per infirmitatẽ. Quid enim cõtritio exterius aperta sine tumore, nisi culpa manifesta sine elatione, cum humiliatione & cõfusione? Talia per infirmitatẽ quodãmodò inviti cõmittimus, nulla enim magis erubescimus, magisq; damnamus. Livor est peccatũ ignorãtiæ: nã sicut contritio pelli obtenditur, & ne sanies profluat, pelle, quâ tegitur, prohibetur: sic ignorantiæ peccata ne in apertũ prodeant, sub ambiguitatis suæ umbratulo se velant: & ne per confessionis aperturam putredo suæ corruptionis erumpat, falsæ opinionis velamento se palliat. Plaga tumens est peccatum malitiæ: quia neq; per infirmitatẽ, neq; per ignorantiam, sed per solã malã voluntatẽ tumor contẽptus Dei committitur. Hæc tria sunt peccata, in patrẽ, in Filiũ, & in Spiritum sanctum. Vel per hæc tria intelligemus mortuum extra domum, in domo, & in tumulo: scilicet cogitationis peccatum, actionis & consuetudinis. Vulnus in tumorem versum, est peccatum consuetudine obductum: vulnus apertum, peccatum per actionem manifestum: livor sub pelle putrescens, peccatum in cogitatione latens. Vel per vulnus quod est sine tumore, peccatum, quod accusamus non defendimus: Per livorem, illud quod per hypocrisim tegimus: Per plagã tumentem, quod per contumaciam defendimus. Tribus itaq; modis peccati contritio aperitur, tribus obducitur, tribus inflatur. Aperitur in modum vulneris, inflatur in modum plagæ tumentis. Sed peccati vulnus aliter patet homini in seipso, aliter proximo, aliter Deo: sibi per cognitionem, proximo per actionem, Deo per confessionem. Quantum enim in nobis est, illud Deo abscondimus, quod coram eo per confessionem damnare nolumus. Tribus item modis absconditur ad livoris similitudinem. Pelle obducitur aliter nobis, aliter Dei oculis, aliter proximi. Nobis per errorem, Deo per taciturnitatem, proximo per simulationem. Similiter tribus modis intumescit, dum more plagæ tumentis distenditur: in seipso putrescit per malitiam, corã proximo per imprudentiã, circa Deũ intumescit per contumaciã. Per malitiã homo destruit seipsũ: per imprudentiã destruit vel perimit proximum: per contumaciam impugnat Deum.

CAP. 4. *Triplex genus peccatorum.*

CAP. 5. *Triplex remedium.*

Huic triplici malo, triplex remedium additur. In ligamentis, curamentis, fomentis: licet quęlibet ad tria mala posse referri videantur. Plagam tumentem respiciunt in præsenti eloquio, cum dicit, circumligata, curata, fota. Intelligimus autem ligamenta in mandatis, curamenta in minis, fomenta in promissis. Triplex est autem vinculum mandatorum. Primò trahimur, Secundò retrahimur, Tertiò, astringimur. Vinculum attrahens, præceptiones sunt, quæ sunt eorum quę fieri oportet: quibus sæpè vrgemur eo quo boni operum gressus sine difficultate non dirigamus. Quę sunt, *Diliges Dominum Deum tuum.* &c. Vinculum retrahens, sunt prohibitiones, quæ sunt eorum quæ fieri non licet: quibus tamen sæpè inde retrahimur quo per desiderium properamus. Quæ sunt, *Non occides* &c. Vinculum constringens, sunt admonitiones, quibus cordium fluxum ligamus, cùm voluntates etiam à licitis restringimus. Quæ sunt: *Si vis perfectus esse vade & vende* &c. Triplex est curationum genus in divinis comminationibus. Est comminatio correctionis; reprobationis damnationis. De prima dicitur. *Flagellat omnem filium quem recipit.* De secunda: *Indurabo cor Pharaonis.* Et *quem vult indurat.* Et, *Addam correctiones vestras in septuplum, propter peccata vestra.* Et *conteram superbiam duritiæ.* De tertia dicet Isaias. *Ite in ignem æternum. Vermis non morietur &c.* Amarus hic succus herbarum, sed ad desiccandos vitiorum humores efficacissimus. Nimis effrænatus qui non studet concupiscentias temperare vel refrænare: etsi attendat in electis mala semtempliciter puniri: Alios propter peccata in reprobum sensum dari, & quosdam in supplicium æternum. Triplex est olei species in divinis promissionibus. Prima promissio veniæ, Secunda gratię, Tertia gloriæ. Quia non solùm delictorum veniam, nec etiam solùm gratiam, sed & gloriam dabit misericors & miserator Dominus. Ad primam pertinet. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Ad secundam pertinet. *Divisiones gratiarum sunt.* Ad tertiam. *Alia gloria cœlestium, alia terrestrium &c.* Prima ad vulnera medēda in vsū vnctionis fovet salubrius. Secunda ad luminaria concinnanda in vsū luminis ardet clarius. Tertia ad cibaria cōdiēda in vsū refectionis sapit dulcius: quia est oleū lætitiæ, participatio gloriæ. Hę species olei sunt contra triplicem dolorē. Si doles ex vulnere criminis, & conscientia peccatorum te vrget acerbius: accipe

Deut. 6.
Heb. 12.
Exod. 7.
Levit. 26.
Ibid.
Esaia. 66.
Esaiæ 1.
1. Cor. 12.

vnctio-

vnctionẽ olei propoſitæ veniæ & recipe conſolationẽ, ad illã
Ezech. 18. vocem. *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Con-
Ezech 33. *uertimini à viis veſtris peſſimis.* Et, *quare moriemini domus Iſrael?*
Ezech. 18. Quæ eſt tam immanis contritionis & pœnitentiæ amaritudo, quam lenire non poſſit huius divinæ vnctionis infuſio? Si doles ex infirmitate & defectu tuo: inungere oleo pro-
Iacob. 1. miſſæ gratiæ, & accipe ab eo *qui dat omnibus affluenter, & non*
improperat. Si, inquit, *noſtis bona data dare filijs veſtris,*
Luc. 1. *quantò magis pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus*
ſe? &c. Hoc induc vaſis inanibus ex præcepto: quia non novit deficere niſi cùm vaſa vacua defuerint, quæ poſſent impleri. Si doles de tribulationibus, habes oleum gloriæ: vnde fatigationem levans, dolorem mitiges ab illo pretioſo vn-
Rom. 8. guentario qui dicit. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis*
ad futuram gloriam &c. Primam vnctionem Samaritanus infundebat ei qui incidit in latrones: & ea peccatrix mulier
1. Cor. 13. ſanavit vulnera ſua? Secundam accepit qui dicebat: *Gratiâ*
Ibid. *Dei ſum id quod ſum* &c. Hæc non debet eſſe vacua. Quæ
2. Cor. 6. exemplo & verbo docuit. Exemplo: *& gratia eius in me vacua*
Mat. 26. *non fuit.* Verbo *Videte*, inquit, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Tertia prudentes virgines, intrantes in gaudium Domini ſui, & ad nuptias agni recubantes abundant.

Habemus ergò tres olei ſpecies, vtiles & neceſſarias. Pri- CAP. 6.
mam contra triplicem contritionem vulneris, livoris, plagæ tumentis. Secundam contra triplicem dolorem mœſti cordis, languidi capitis, ægroti corporis. Tertiã contra triplicẽ fatigationem etiã ſani corporis, videlicet laboris, egeſtatis, perſequutionis. Oleum habes divinæ miſericordiæ, in quo foveas vulnera peccatorũ. Oleũ gratię, in quo mitiges vitiorũ morbos. Oleum gloriæ, in quo lenias fatigationes certaminum. Primum eſt ergo ſanare vulnera peccatorum, ſecundum curare morbos vitiorum, tertium lenire fatigationum dolores. In peccatorum medelam habemus oleum miſericordiæ, con-
Pſal. 31. fectionem illam Propheticam ex prima olei ſpecie confectam. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* Mirabile vnguentum illud, quod non ſolùm de infirmo ſanum ſed etiam de miſero facit beatum. Contra vitiorum morbos accipe aliam confectionem ex oleo gratiæ: *Beatus vir cuius Deus adiutor eſt:* &, *Beatus quem tu erudieris Domine:* &, *Beatus qui confidit in Domino &c.* Beatus inquam quem Dominus adiuvat

adiuvat & erudit & protegit; adiuvat ad bonum defendit contra malum, erudit ad vtrumque discernendum. Adiuvare, erudire, defendere, totum est gratiæ. Primum est igitur contra defectum fortitudinis, Secundum contra defectum veritatis, Tertium contra defectum virtutis. Omnia contra defectum boni naturalis. Primum contra debilitatem languidi capitis, Secundum contra caliginem mœrentis cordis, Tertium contra infirmi anxietatem corporis. Habemus adhuc tertiam olei speciem ex promissione gratiæ contra triplicem corporis iam convalescentis defatigationem. Contra fatigationem habes illud: *Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es & benè tibi erit.* Contra afflictionem agestaris illud: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Contra tribulationem persecutionis illud: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quis inter tot tribulationum certamina non modò non doleat, verum etiam exhilaresçat cùm scripturæ attestatione addiscat de quo hæsitare non audeat: quoniam *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ?* Hoc est quo *Apostoli ibant gaudentes à conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Ergò tertia olei species facit de tribulatione gaudentes, cùm speret in certamine, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* &c. Studeamus ergò ex his secundùm suam quisque vtilitatem & virtutem infirma nostra fovere, ne illa divinæ increpationis arguamur sententiâ: *Vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* &c.

Psal. 127.

Matth. 5.

Iacobi 1.

Act. 5.

Esai. 1.

FINIS

INDEX

Rerum & verborum, quæ hoc tertio Tomo continentur.

ABRAHAM non in circumcisione, sed in præputio iustitiam ex fide adeptus est. 87.

Circumcisio cur Abrahæ mandata. 87.

Fides Abrahæ. 19. 87.

Credidit Christum de suo semore propagandum. 419.

Filij Abrahæ. 59. 720.

Promissio Abrahæ facta signum gratiæ in plenitudine temporum revelandæ. 87.

Quotidie impletur 59. 103.

Abraham in divitiis pauper spiritu. 5. 374.

ACCEPTIO personarum, non est in Deo largiente fidem quibus vult. 409. 446.

Declaratur exemplo parentum & dominorum carnalium, qui ex filiis aut famulis aliquos benignius honestandos assumant. 105.

ADAM qualis à Deo conditus. 169. 259. 320. 408 413. 529. 543. 636. 702.

In ipso omnium hominum natura præformata. 130. 169.

Quale in Adam liberum arbitrium. 169. 433. 633.

Gratia erat ipsi necessaria ante lapsum. 277. 280. 501. 542. & seq. 635 713.

Alias excusabiliter peccasset. 713.

Qualis gratia data Adamo. 433. 544.

Quid potuit per istam gratiam. 678.

Ista gratia ad naturam pertinebat. 677.

Poterat non peccare propriâ voluntate. 321.

Nulla fuit ad peccandum naturali carnis aut animæ necessitate constrictus 321.

In statu innocentiæ non legitur orasse. 261. 268. 275.

Ipsum diabolus serpentinâ calliditate deiecit. 581.

Adæ peccatum magnum. 95. 147. 170.

Patet magnitudo peccati ex singularitate remedij. 170. 131. 132.

Item ex damnatione parvulorum. 95.

Adæ peccatum quodammodo multa. 250.

Vitia ex peccato Adæ orta. 38. 130. 171. 658. & seq. 717.

Non minor miseriarum multitudo, quam criminum. 38.

Adam qualis factus per peccatum. 321. 433. 434. 703.

Corruit de posse non peccare in non posse non peccare. 633.

Non solum corpus, sed & anima læsa fuit 408 498

Perdidit veram libertatem. 321. 408. 671. & seq

Retinuit liberum arbitrium integrum, sed miserum. 634.

Perdidit fidem & cæteras virtutes. 142. 170. 448.

Quod non perdidit, nec nos perdidimus. 196.

Per peccatum est mortalis factus. 259. 385. 433. 436.

Eadem die mortuus quo mortalis effectus 259.

Adæ peccatum non solum ipsi nocuit, sed ad posteros transiit. 210. 221. 241. 320. 534. 409.

In Adam omnes nascuntur damnationi obnoxii. 11. 28. 32 132. 143.

Vide infantes.

ADRIANVS PAPA I.

Scribit ad Episcopos Hispaniæ. 716.

De erroribus ibi resurgentibus comprimendis eos admonet. 717. 716.

Præceptum Apostolicum de abstinendo à sanguine & suffocato observari mandat. 724.

ADIVTORIVM Dei semper implorandum .500.

Datur præceptum vt quæratur præcipientis auxilium. 14. 161

Operante Spiritu Dei adiuvatur liberum arbitrium non aufertur. 13.

Eorum ruina maxima qui Dei adiutorium reiiciunt. 8 Vide Gratia.

AFFECTIONES animi quatuor principales, vnde reliquæ originem trahunt. 693.

Hoc sunt istæ affectiones in mente, quod humores in corpore. 692.

Quàm sint inordinatæ vel immoderatæ. 693.

Affectus humanus multiformiter variatur 665.

Aëri comparatur qui levi vento facilè in contraria impellitur. ibid.

Eiusdem discrimen ab appetitu carnali ibid.

AMOR Dei est ex Deo. 528.

Voluntas rationalis creaturæ non potest esse sine qualicumque amore. 482.

Nihil iustius quàm Deum amari à creatura. 700.

Deus amando quæritur. 700.

Amatores huius sæculi magis strenui, quàm amatores Dei. 527.

Amor noster adversum se charitatis & cupiditatis contrario appetitu dividitur. 708.

ANGELIS necessaria erat Dei gratia. 542.

Lucis nomine angelica natura intelligitur Gen. 1. 542.

Angeli primum peccatum superbia. 274. 481. 542.

Angeli beati permanent liberè boni 626.

ANIMA corpori vitam ministrat. 450. 652.

Quæstio de origine animæ cautè tractanda. 316.

Sine fidei detrimento ignorari potest. 316.

Animæ idem est esse quod vivere. 652.

In anima & carne divinæ gratiæ exemplum ostenditur. 450.

Animæ rationalis dignitas. 653.

Anima rationalis verbo divino similis propter simplicitatem essentiæ, immortalitatem & libertatem 651. & seqq. 661.

Anima ex peccato languens miseriam suam amat. 160.

Prima eius salus vt sibi incipiat displicere, ibid.

Deinde vt sanari desideret & medicum noverit. ibid.

Hæc ei ab illo à quo sananda est inseruntur. ibid.

Non nascuntur modo animæ divinis donis aptiores. 88.

APOSTOLIS nihil excellentius quantum ad sanctæ vitæ institutum. 268.

Primates gratiæ Dei. 280.

Arietes gregis Dominici. 376.

Non fuerunt sine peccato. 268. & seqq. 272.

Id evincit Oratio dominica. 271.

Prohibiti à Spiritu S. quibusdam locis prædicare. 29. 75. 114. 115. 331. 410.

Huius prohibitionis causa occulta. 29. 75.

Quomodo missi ad omnes gentes. 73. 91.

Odio erant omnibus hominibus. 74.

APPETITVS quid 622.

Appetitus triplex sensualis, animalis, spiritualis. 431.

Hebetudinem sensus sequitur lentitudo appetitus.

S. AVGVSTINVS præſtantiſſimus miniſter gratiæ 31.
Ex Auguſtino hauriendæ intelligentia gratiæ. 32. 317.
Præcipuè ex ijs libris quos ad Proſperum & Hilarium ſcripſit 317.
Hunc legat qui vitam æternam adipiſci deſiderat. 368.
Ei in confeſſione gratiæ congruunt vniverſi promiſſionis filij 32.
Eius authoritas reverenda. 541.
Per Eccleſiam confirmata. 564. 566 108.
Plus omnibus laboravit in aſſerenda gratia Dei. 368. 505.
Eius imprimis eruditione confutatâ Hæreſis Pelagiana. 155. 205. 368.
Auguſtini opuſcula adverſus Pelagianos recenſentur. 198.
Eius encomium ex Proſpero. 22. 155. 204.
Ex Fulgentio. 368.
Ex Cæleſtino Papa. 240.
Ex Gelaſio Papa. 280.
Auguſtini obtrectatores corripiuntur. 23. 31. 154. 156. 240.
Ijs non tam ratione quam authoritate reſiſtendum. 193.
Manichæiſmi calumnia excutitur. 31.
Obtrectatores Auguſtini Sedi Apoſtolicæ iniurij. 155.
Errorem ſuum de initio fidei correxit ante ortum hæreſis Pelagianæ. 142. 143.
Cenſoriâ gravitate omnes opiniones ſuas diſcuſſit. ibid.

BAPTISMVS Neceſſarius ad ſalutem. 261. 275. 316.
Sacramentum regenerationis 245.
Per liberum arbitrium non poteſt perveniri ad gratiam baptiſmi. 500.
Peccatum originale & omnia actualia delet 113. 251.
In Baptiſmo origo veræ vitæ veræque iuſtitiæ. 96.
Cur baptiſandi ſive ſint parvuli, ſive iuvenes, exorcizantur & exſufflantur. 245.
Baptizati in Dei filios adoptantur. 11. 316. 2. 9.
Non recipiunt eundem gradum libertatis quem homo habebat ante peccatum. 572.
Non vivunt ſine peccato. ibid.
Non omnes perveniunt ad beatitudinem. 600.
Qui ſine baptiſmo moriuntur in æternas cadunt miſerias. 97.

BEATVS. BEATITVDO.
Beati ſunt impeccabiles. 450. 572.
In beatis plena cognitio & dilectio veritatis 685. 697. 6. 8. 704.
Beati præmiantur vltrà condignum. 474. 710.
Habent liberum arbitrium. 711.
Impoſſibile eſt aliam eſſe beatitudinem creaturæ rationalis præter Deum. 482. 704.
Beatitudo vitæ. 508.
Qui ſecundum Deum ſapiens eſt, beatus eſt. 507.

S. BERNARDVS.
Scripta ſua de gratia & libero arbitrio ſubmittit cenſuris Wilhelmi Abbatis S. Theodorici. 610.
Quid liberum arbitrium ſecundum Bernardum. 622. 623. 624.

BONVM aliud eſt ad meritum, aliud ad reatum, aliud neutrum. 691.
Eorum quæ ſunt ad meritum nihil habet homo niſi ex Dei adiutorio 691.
Eorum quæ ſunt ad reatum multa habet non ſolùm in voluntate, ſed etiam in neceſſitate. 691.
Bonum neutrum magis nocet quam proſit. 692.
Duo neceſſaria ad bonum agendum, ſcientiæ & gratiæ Dei adiutorium. 244. 393. 321.
Omnis motus bonæ voluntatis eſt ex gratia. 242. 505. 570.
Illud teſtantur gratiarum actiones, & orationes Eccleſiæ. 245.
Qui vult habere bonam voluntatem, iam habet vtcumque bonum. 626.
Bonum poſſe eſt verè poſſe. 677.

Bona opera ſunt quidem noſtra, ſed à Deo donata 364. 472. 479. 500. 510.

Omne bonum noſtrum in Deo. 704.

Omne bonum quod habemus, guſtus eſt Domini. 201.

Nemo bonus niſi participatione eius, qui ſolus eſt bonus. 241. 301.

Sæpè quod maius eſt bonum quibuſdam minùs expedit. 686.

Meliora magis diligenda, non ſemper magis exercenda. 687.

De bonis operibus ſuis non præſumendum. 18. 364. 517.

Omnia opera bona in Deum referenda. 13. 242.

Bona corporalia non vacant miſeriâ. 618.

CAIN Princeps gentis impiæ. 84.

Oblatio Cain cur Deo ingrata. 85.

Cur permiſſus occidere fratrem. ibid.

Poſteris Cain bonitas divina adfuit per beneficia generalia. 85.

CARO peccati quæ. 417.

Nomine carnis totus homo intelligitur. 425.

Spiritus & carnis nomine charitatem & cupiditatem deſignat Apoſtolus. 303. 708.

Pugna carnis & ſpiritus vnde. 396.

Non omnis concupiſcentia mala eſt ex carne. 708.

Appetitus carnis ſemper in motu. 666.

Fluminis more impetus ſui tractum ſequitur, donec deſiderij effectum conſequatur. 666.

Omnis delectatio carnalis in amaritudine terminatur 667.

CASSIANVS Presbyter, ſtudio ſcripturarum & diſputandi vſu inter ſuos excellens. 156.

Doctrina Caſſiani in initio Collationis de protectione Dei, Catholica eſt. 156.

Citò à recto ſenſu defecit ibid.

Docet in aliquibus voluntatem à gratia in aliis gratiam à voluntate præveniri. 158. & ſeqq. 190.

Sibi ipſi contradicit. 189.

Nec cum Catholicis nec cum Pelagianis plenè concordat. 158.

Convincitur aſſerere gratiam ſecundùm merita noſtra dari. 159. 174.

Colligit ſcripturas quibus putat doceri alios gratiâ, alios libero arbitrio ſalvari. 169 & ſeqq.

Duos facit ordines Chriſtianorum, vnum eorum qui gratiâ ſalvantur, alterum qui libero arbitrio. 190.

Refellitur. ibid.

Errores Caſſiani breviter repetuntur. 196.

Docet quod per peccatum non ſit amiſſa ſcientia aut poſſibilitas boni. 169.

Errores Caſſiani in Pelagio damnati. 197.

Verba Apoſtoli, *gentes quæ legem non habẽt naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt*, perperam in ſuam ſententiam detorquet 172.

Aſſerit ineſſe naturaliter cuilibet animæ virtutum ſemina beneficio Creatoris inſerta. 172.

Gravis error Caſſiani de paſſionibus. S. Iob 181. & ſeq.

Ex ipſo Iob refutatur. ibid.

Fidem Centurionis quam Dominus Matth. 8. laudavit vult non eſſe donum Dei 187.

CÆCVS. Quomodò Deus excæcet. 512.

Iudæi merito propriæ malitiæ excæcati Chriſtum non potuerunt agnoſcere. 590.

CÆLESTINVS PAPA. Quorundam Galliæ Epiſcoporum negligentiam corripit. 239.

Quoſdam Galliæ Presbyteros veritati adverſa prædicantes & Auguſtino obloquẽtes corripi mandat. ibid.

Eiuſdem de S. Epiſcopo Auguſtino mira laudis aſſertio. 240.

Cæleſtini decretum de gratia Dei. 240. & ſeqq.

CHARITAS virtutum princeps. 509.

Sine charitate nullæ poſſunt prodeſſe virtutes. 16. 17. 26. 83. 181. 509.

Deus

Deus est charitas. 357.
Charitas est vita omnium virtutum. 83.
Vnit Ecclesiæ membra. 309.
Non ex nostra voluntate incipit aut crescit in nobis. 146. 347
Humilitas & charitas inseparabiliter connexæ. 17.
Quidquid de vno horum dicitur, de altero potest intelligi. 18.
Non habetur charitas Dei sine charitate proximi. 510.
Ex charitatis affectu homo in imaginem Dei reformatur. 707.
Fortitudinem christianam Dei charitas facit. 501.
Deserentes compendium charitatis circuitum tenent cupiditatis. 715.
Vide gratia.
CHRISTVS fundamentum ædificij spiritualis. 226.
Christus vnus idemque verus Deus & verus homo 429. & seqq.
Duæ Christi nativitates, prima ex Deo secunda ex homine. 421. 424.
In Christo duæ naturæ in vnam personam sine confusione sunt vnitæ. 403. & seq. 416. 432.
Christus fuit prædestinatus. 216.
Christus venit in similitudine carnis peccati. 423. 426.
Non habuit corpus cœleste. 322.
Cur venerit vltimo tempore, non scrutandum. 304.
Cur dicitur David & Abrahæ filius. 578.
Christus non est adoptivus filius Dei. 7. 8.
An in Christo assumpta sit omnium hominum natura 577. & seqq.
Generatio hominis Christi non aliquâ necessitate, sed solâ eius potestate & gratiâ facta est. ibid.
Christus cur immunis à debito contrahendi peccatum originale. 311.
Electos suscepit, reprobos dereliquit. 578.
Cur ab Apostolo vocetur secundus homo de cœlo. 312.
Christi libertas. 615.
Christus Doctor & largitor humilitatis. 482.
Christus medicus. 350. 370.
Fecit seipsum medicinam. 351.
Quid in infirmis inveniat, & quid sanandis impendat. ibid.
Ordo curationis eius. ibid.
Christus Pastor bonus. 42.
Errantem ovem non revocat tantùm, sed portat. ibid.
Mulier Evangelica drachmam perditam quærens, typus Christi. 638.
Nemo salvatur nisi per Christum. 28. 39. 91. 263. 265. 313. 429.
Per Christum imago Dei in nobis reformatur. 444 632.
Mors Christi vtramque mortem in nobis destinxit. 425.
Passio Christi magnitudinem peccati ostendit. 232. 234
Quomodò Christus exaltatus omnia traxerit ad se. 582.
Cur dicatur mors mortis & morsus inferni. 583.
Quomodo Christus mortuus sit pro omnibus hominibus. 58. 90. 120. 130.
An Christus passus sit pro omnibus, qui ante eius adventum mortui sunt 581 & seq.
Passus est pro omnibus fidelibus in ipso regeneratis. 584. & seqq. 596.
Quinam sunt à Christo redempti. 119. 130. 589. 600.
De mysterio redemptionis Christi Patrum sententiæ. 591.
De passione & redemptione Christi Evangelica & Apostolica veritas 590.
Christus de persequentibus populum suum auget 89. 591.
Christi infirmitas est nostra fortitudo 706.
Vox Christi, *Vigilate & orate* semper debet sonare in auribus fidelium. 101.

Chri-

Christiani per Christum vincunt diabolum. 278.
Creatura nova quomodò dicatur Christianus. 279.
CIRCVMCISIO. Cur Abrahæ mandata. 87.
Tollebat peccatum originale. 312. 438.
COGI. Voluntas cogi non potest ab alio. 643.
Cogi nō posse est verè liberum esse 677.
Coactio alia passiva, alia activa. 643.
Activa nunquam est absque voluntario consensu. 643. 644.
CONCVPISCENTIA.
Congruentissimè appellatur cupiditas. 708.
Non est ex Deo. 484. 708.
Non omnis concupiscentia mala est ex carne. 708.
Concupiscentiæ inquietudo. 664. 666.
Assimilatur flumini, quod continuò crescit & decrescit. 666.
Delectatio concupiscentiæ in amaritudinem terminatur. 667.
Concupiscentiæ virus quædam corporis membra pudenda reddidit 291.
Est quædam necessitas concupiscendi malum. 690.
Cur Deus non tollat à iustificatis omnes concupiscentiæ motus. 41. 268. 273. 278.
Concupiscentia non plenè effugit potestatem liberi arbitrij. 662.
Concupiscentia dono gratiæ superatur. 472.
CONSENSVS. Quid voluntarius consensus. 621. 632.
Consensus in bonum non ex nobis, non tamen sine nobis 647.
Datur à Deo. ibid.
CONVERSIO. Multis modis Deus convertit homines ad se. 514.
Conversio timore inchoatur, charitate perficitur. 515.
Ad conversionem multùm prosunt exempla sanctorum. 518.
Tripartitus conversi profectus. 514.
A fletu peccatorum transeat ad desiderium supernorum. 515.
Nuper converso interdum prodest mutatio loci. 517.
De conflictu conversorum. 516.
Primordia conversorum blandis modis refovenda. 515.
COR. Vndè oriatur cordis compunctio. 519.
Quid cor mœrens Isaiæ 1. secundum Richardum S. Victoris. 668.
CORNELIVS CENTVRIO.
Eius opera bona ante Baptismum ex gratia Dei. 25. 331.
Eius fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum. 189. 503.
Creatura ex nihilo facta semper ad nihilum vergit. 732.
Omnis creatura Dei bona est. 481.
Creatura Dei bona est, pulchra & ordinata 700.
Vnaquæque locum habet sibi congruum, & tempus. ibid.
Creatura rationalis melior cæteris. 481. 702.
Prærogativa creaturæ rationalis. 640. 702.
Non potest esse sine qualicunque amore. 482.
Nihil dignius quam vt amet Creatorem 699. & seqq.
Impossibile est aliam esse beatitudinem creaturæ rationalis præter Deum. 482. 702.
Obediendo sublimatur, superbiendo deprimitur. 482.
Creatura irrationalis beatitudini creaturæ rationalis subservit. 701.
DAVID. Davidis voluntas de templo ædificando fuit ex Deo. 175.
Cur non permittitur ædificare, sed filio eius reservatur. 775.

In eius scriptis Apostolorum bella cognoscimus. 396.

DEMETRIAS Virgo illustris Deo sacra à primo ætatis flore. 1. 2.

A multis viris sanctis edocta & laudata. 2.

Ei humilitas commendatur. 2. & seqq.

DEVS omnia simul intuetur. 108. 387.

Deo nihil præteritum aut futurum. 328.

Omnis creatura Deum annunciat. 7. 8. 37.

Arguitur insipiens qui in corde suo dicit non est Deus. 705.

Nihil aliter debuit facere quàm fecit. 55. 131.

Interdum non vult fieri quod homines facere Deo volente voluerunt. 176.

Deus amat in nobis quod ipse fecit, odit quod ipse non fecit. 37.

Opera sua incommutabili ordine disposuit. 378.

Non aliter implet disposita, quàm disposuit implenda. 367. 380.

Promissio divina nulla ex parte resolvitur. 453.

Permanet liberè bonus. 626.

Qui Deo non placet sine dubio displicet. 343.

Iudicia Dei abscondita. 51. 72. 75.

Multa sunt in dispensatione divina, quorum causis latentibus soli monstrantur effectus. 52. 54.

A discutiendis Dei iudiciis abstinendum. 56. 59. 72. 150. 304. 337.

Iudicia Dei humiliter confitenda. 401.

Nullum suâ gratiâ dignum invenit. 26.

Dei iustitia non est æstimanda secundum leges humanæ iustitiæ. 384.

Dignos fecit quos elegit. 26. 150.

Author est omnium bonorum. 18. 35. 242. 246. 310 314. 326. 346.

Initium salutis est à Deo. 647.

Omnia bona opera in Deum referenda. 243.

Dona sua voluit esse merita nostra. 710.

Cogitationes nisi à Deo insitæ bonæ esse non possunt. 19.

Primum desiderium boni est à Deo. 40. 43.

Dat bene velle, bene agere, & in bono permanere. 31. 40.

Attrahit non violentâ necessitate, sed infundendo suavitatem. 409.

Facit vt faciamus bonum. 478.

Dat quod iubet. 314. 319.

Vt rectè oremus ex Deo est 18.

Dei custodia nobis iugiter necessaria. 366.

Interdum tardiùs ab errore revocat, vt opus gratiæ maiore gloria celebretur 24.

Divina bonitas nullis vnquam defuit. 76. 81. 84. 85.

Nullum fidelium deserit nisi deseratur 84.

Nullius ruina est ex divina constitutione 85.

Deus vtitur tam bonis, quàm malis ad salutem electorum. 148. 330. 645.

Potuit omnes in damnationis massa relinquere. 28. 147.

Dei iudicia magis inscrutabilia in electione gratiæ, quàm in retributione iustitiæ. 71.

Gratis salvat iustè damnat. 311. 314. 317. 334. 385. 410. 446. 471. 484. 713.

Hominibus ratione vtentibus congruas ad salutem personas misericorditer procurat aut iustè denegat. 231. 332.

Quomodò sine iniustitiâ Deus vni gratiam donet, alteri neget 385. & seqq. 400.

Huius rei exemplum in distributione Adæ filijs Israel pulsis Chananæis. 390.

Dei cognitio sine dilectione nihil prodest. 348. 353.

Exterior prædicatio nihil prodest Deo non cooperante interiùs. 8. 41. 146.

Cur de gratia & libero arbitrio permittit controversias nasci. 310.

Quid Dei iuratio. 549.

DESERERE. Deus nullum deserit nisi deseratur. 84.

Deserens Deum iustè deseritur à Deo. 481.

DIABOLVS Princeps ſuperbiæ. 15.
Caſus & pœna diaboli. 481.
In malo liberè cecidit & perſiſtit. 616.
Non eſt Deo reconciliandus per Chriſtũ. 461.
Diaboli invidia in genus humanum. 275. 276.
Innumeris artibus genus humanum nititur evertere 9.
Errorum laqueos per opinionum commenta multiplicat. ibid.
Quibus nequit immittere vitiorum amorem, immittit laudis cupiditatem. 9. 15.
Nequit invitum cogere ad peccatum. 386.
Diaboli gaudium eſt, ruina ſanctorum. 15. 121
Plus vritur de virtute ſtantium, quàm lætetur de fragilitate labentium. 9.
Deſerti à Deo traduntur poteſtati diaboli. 513.
DILECTIO. Deus prior dilexit nos. 26.
Quales nos Deus diligat. 500.
Quid Deus dilexit in Iacob, & odio habuit in Eſau. 311. 323. & ſeqq.
Diligere Deum eſt donum Dei. 502.
Vera ſapientia creaturæ rationalis eſt dilectio Creatoris. 482.
Amare aliquid quod non eſt ex opere & ſpiritu Dei non eſt caſta dilectio. 16.
Deum non diligit qui Dei præcepta contemnit 510.
Dilectio inordinata eſt initium peccati. 484.
DISCRETIO electorum & reproborum in Iacob & Eſau figurata 515.
Non eſt facta ex meritis. 28.
Huius diſcretionis ratio occulta 28.
Sine fidei diminutione neſcitur. Ibid.
DIVITIÆ. Qui in divitiis fuerunt ſpiritu pauperes. 5.
Quomodò divitiis rectè vtamur. 6.

ECCLESIA eſt corpus Chriſti. 6.
Vna vbique ſpiritu vegetatur. 402.
Eius membra humilitate copulantur. 6.
Sunt pro ſe invicem ſollicita. 309.
Multimodâ varietate contexta eſt. 6. 78. 105.
In primo homine figurata. 269. 292.
Arca Noe figura Eccleſiæ. 86.
Cur fœmineo ſexu cenſetur. 292.
Eccleſiæ tabernacula per omnes gentes dilatanda. 30.
Orat pro omnibus. 42. 131. 845.
Quod non exaudiatur pro omnibus ad occulta Dei iudicia referendum. 50.
Vnde metuit periculum, inde ſumit augmentum. 106.
ELECTIO. Facilius iudicare quid liceat, quàm eligere quod expediat 687.
In electione ſalvandorum Gratia Dei præcedit meritum bonum. 304. 599.
Elegit Deus non eos qui ſancti erant, ſed quos ſanctos faceret. 381.
Electio gratuita declaratur exemplo Iacob & Eſau. 389.
Idem declaratur exemplo parvulorum. 28.
Electi quaſi ramuſculi deciſi ex ligno arido, & ſtipiti fructuoſo inſerti. 714.
Multi apud homines putantur electi, & apud Deum ſunt reprobi. 514.
Iudaicus populus electus à Deo. 36.
Huius electionis ratio occulta. 59.
ELIPANDVS. Dicit Chriſtum eſſe filium Dei adoptivum. 717.
Ab Adriano Papa I. condemnatur. 718.
EPISCOPVS. Qualis eſſe debeat vt ſit vas in honorem. 373.
Epiſcoporum officium docere. 259.
Epiſcoporum aliquorum in comprimendis hæreticis Pelagianis negligentia arguitur. 249. 257.
ERROR priùs noſcendus quàm refutandus. 267.
Qui à principio deviarit, quò plus progreditur plus errat. ibid.
Error duplex in diſcernenda rerum vel qualitate vel quantitate. 682.

ESAV figura reproborum. 312.
Per circumcisionem purgatus à peccato originali. 312.
Per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit. 312. 326.
FAVSTVS scripsit de prædestinatione contra Sanctorum Patrum sententiam. 413.
Humano labori subiungit gratiæ adiutorium. ibid.
Totam Christi gratiam evacuat. ibid.
FIDES. Humana ratio non sufficit ad fidem Christi concipiendam. 40.
Fides non est ex naturalis arbitrij libertate. 409.
Initium fidei non est ex nobis. 145. 445. 499. 504.
Est donum Dei. 62. 64. 101. 115. 119. 123. 143. 146. 312. 343. 415. 440. 502.
Datur non petita. 64.
Non datur omnibus. 114. 121. 313. 348.
Cur non detur omnibus inscrutabile. 146. 457.
Non datur æqualiter quibus datur. 341.
Ea fides iustos sanavit antiquos, quæ sanat & nos. 593.
Fides est initium boni. 56. 61. 64. 341.
Est fundamentum omnium bonorum. 150. 409. 444.
Si fides non esset ex gratia, nullum aliud bonum esset ex gratia. 341. 506.
Si velle credere esset ex nobis, fides non esset gratia, sed merces bonæ voluntatis. 441.
Fides potest esse sine charitate. 453. 509.
Sine charitate non prodest. 454. 598.
Dignus perdere fidem, qui non exercet charitatem. 80.
Fidelium status in hac vita. 280.
Fideles nec superbi debent esse nec desides. 14. 391.
Quomodo vir infidelis sanctificetur per mulierem fidelem. 281.
Quomodo dicantur sancti filij, qui alterutro fideli coniuge nati sunt. 284.
FORTITVDO gentilium non est virtus. 501.
Quomodo differat à fortitudine Christianorum. ibid.
FVLGENTII Scripta admiranda & veneranda. 562.
Eius pia modestia in inquisitione veritatis. 469.
Edidit septem libros aduersus duos libros Fausti. 317.
GAVDIVM Dei super conuersione peccatoris. 522.
GALLI quidam doctrinam Augustini calumniosè reprehendunt. 112.
AD. Prospero refelluntur. ibid. & seqq.
GELASIVS PAPA I.
Dalmatiæ Episcopum monet, ne Pelagij hæresim reuiuiscere sinat. 252.
Segnitiem Prælatorum in Piceno arguit. 257. 265.
Tria præcipua Pelagianæ hæresis capita damnat & refellit. 258. & seqq.
Hominem non vivere sine peccato ostendit. 267.
Declarat dictum Apostoli. 1. Cor. 7. vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem. 281.
Resurrectionis mortuorum mysterium explicat. 287.
GENTES GENTILES.
Non omnino à Deo derelicti. 76. 91.
Gentes olim in elementis habuêre præcepta legalia. 37. 76. 77.
Gentium vocatio quibus scripturis legatur promissa. 92. 93.
Sunt inexcusabiles. 37. 87.
Aliqui sed pauci tempore legis veritate illustrati. 87.
Gentes gratiæ participes. 93.
Per gentes quæ naturaliter quæ legis sunt faciunt, Christiani fideles intelliguntur. 172. 451. & seqq.
Vicissitudo illuminationis gentium & Iudæorum inscrutabilis. 59.
GENVENSES. Quædam excerpta ex libris D. Augustini de prædestinatione Sanctorum explicanda, ad D. Prosperum transmittunt. 140.

Capiunt obiectionem calumniantium pro sententia Augustini. 152.
Illis à Prospero respondetur. 140. & seqq.

GLORIA. GLORIARI.

In solo Deo gloriandum 281. 501. 648.
Vera gloria à solo Deo. 480.
Deus gratis glorificat. 473. 480.
Nullus in hac vita perfectus, nisi spe futuræ gloriæ. 479.
Fraudem Deo facit, qui de donis eius propriam gloriam quærit. 517.

GRATIA in scripturis vocatur misericordia. 475.
Gentibus abscondita, Prophetis revelata. 92.
Est necessaria ad singulos actus. 118. 300. 314. 305. 573. 610. 635
Quæstio de gratia & libero arbitrio sobriè tractanda. 34. 95.
Quæ sunt hic certa. 72.
Sine gratia nullum diuinum mandatum impletur. 244. 315. 319.
Erat homini necessaria ante lapsum. 277. 280. 501. 542. 713.
Aliàs excusabiliter peccasset. 713.
Non datur ex meritis. 10. 13. 22. 33. 55. 72. 79. 144 145. 215. 216. 220. 246. 264. 323. 326. 501.
Probatur ex scripturis. 73. 144.
Probatur exemplo parvulorum à baptismo mox morientium. 123.
Gratuita est in adultis sicut in parvulis. 459.
Gratia non invenit dignos, sed facit. 215. 220. 323. 345. 442. 518. 710.
Gratia tota repellitur, nisi tota suscipitur. 7.
Non datur omnibus. 310. 313. 339. 341. 342. 513.
De gratia non dignè sentit quisquis eam putat omnibus dari. 313. 77. 80. 82. 94. 200. 313. 339. 341.
Quibusdam non negatur, sed differtur. 75.
Non datur æqualiter iis quibus datur. 342. 511.
Id inscrutabile. 8. 92. 94. 99.
Non negatur, nisi demerito. 123.
Qui gratiam non habet, necesse est ei repugnet, aut sermone, aut opere 310.
Non ad invocationem datur, sed ipsa facit vt invocetur. 493.
Qui sine gratia laudabiliter videntur vivere, temporalem tantùm huius vitæ statū exornant. 231. 232.
Sine gratia prædicatio exterior nihil prodest. 28. 211. 347. 465.
Sine gratia non nisi humana cogitantur. 409.
Gratiam negat qui eam humanæ voluntatis non ducem vult esse, sed comitem. 34.
Gratiæ officium & efficacia. 13. 88. 166. 168. 99. 212. 214. 346. 361.
Non tollit liberum arbitrium. 14. 26. 31. 34. 39. 84. 92. 164. 168. 221. 246. 300. 569. 709. 710. 712.
Ineptè dicitur quod gratia Dei nihil relinquat libero arbitrio. 30.
Collaborandum divinæ gratiæ. 14. 100. 359. 362. 363. 391. 710.
Gratia liberum arbitrium sanat & roborat. 27. 39. 246. 648.
Triplex operatio gratiæ in libero arbitrio, creatio, reformatio, & consummatio. 649.
Gratia datur vt bonam voluntatem in homine primitus operetur. 158. 168. 176. 339. 349.
Incipit ab illuminatione cordis. 339. 344. 445.
Desiderium gratiæ est opus ipsius gratiæ. 339.
Gratia facit se cognosci, desiderari, postulari. 340.
Est necessaria ad perseverandum in bono. 242. 314. 327. 341.
Gratia præveniens & subsequens. 313. 316. 363. 365. 367. 412. 442. 475. 621.
Gratia præveniendo incipit, & subsequendo custodit opus bonum 475.

Hominem prævenit vt mutet in melius, subsequendo regit, ne mutetur in peius. 340. 361. 501.

Facit cognosci & diligi id quod præcipitur. 344.

Facit legem impleri. 41. 159.

Est in nobis omnium bonorum causa 234. 235. 249. 264. 415.

Non adimit potestatem declinandi ad vitia, 82. 101 102.

Ordinariè sensim adolescit, interdum ab initio perfecta 82. 101.

Gratiæ largitas in donorum diversitate ostenditur. 64. 65. & seqq. 511.

Iris signum multiformis gratiæ 86.

Omnia quæ hominem faciunt Christianum ad divinæ gratiæ donum referenda. 12. 179.

Sordet natura sine gratia. 25.

Gratiæ Dei differentiæ pro diversis temporibus. 76.

In statu naturæ integræ erat stabilis. 679.

In statu gloriæ est immobilis. ibid.

In statu naturæ lapsæ nec immobilis, nec stabilis ibid.

Gratia electorum maior, quàm fuerit gratia primorum hominum. 713.

Gratia quædam generalis omnibus semper impensa. 97. 99. 105.

Non erat sufficiens ad salutem. 18.

HÆRESIS. Origo hæresum ex contemptu Scripturæ & authoritatis SS. PP. 538.

Hæreses significantur per diversa genera leprarum in lege Moysi. ibid.

Hæretici qui suarum hæresum fœminas habuere adiutrices. 299.

Hæreses impatientiùs investigare est melius, quàm dissimulando augere perniciem. 155.

D. HIERONYMI encomium. 203.

In Pelagium scribit tacito eius nomine. 306.

Eius modestia. 307.

Non sectatur Philosophorum argumenta, sed Apostolorum simplicitati acquiescit. 306.

HOMO. Nomine carnis aut animæ sæpè totus homo significatur. 416.

An de quolibet homine dici possit, quòd omnium hominum naturam nascendo assumpserit. 579.

Omnes homines in primo homine sine vitio conditi. 38. 39.

Homo conditus ad imaginem & similitudinem Dei. 702.

In quo consistat imago Dei impressa. 636.

In quo sita similitudo. ibid.

Imago Dei in homine per peccatum corrupta, non abolita. 703.

Per Christum reparatur. 39. 253. 703.

Non potest per seipsum resurgere. 327.

Humanum genus peccato factum quasi lignum aridum igni destinatum. 713.

Omnes naturalem possibilitatem in prævaricatione primi hominis perdidimus. 38. 241

Qualis natura sine gratia. 57.

Per qualitatem hominis exterioris describitur qualitas hominis interioris. 658. & seqq 692.

Hominis infirmitas. 304. 351. 501. 511. 691.

Nulla hominis potentia sibi sufficit ad actum. 607.

Miseria hominis ab appetitu carnali exagitati. 667. & seqq.

Non potest ex se ipso velle credere. 447.

Aliquam necessitatem patitur ex peccato. 655.

Illa non excusat. ibid. & seqq.

Quomodo potestas rectè agendi maneat in homine sublatâ iustitiâ. 608.

Iustè homini imputatur, quòd non habeat rectam voluntatem, licet ad illam non sufficiat arbitrij libertas 713.

Cur Deus vnam partem hominum eligat, relictâ altera, cùm par sit omnium causa non scrutandum. 116. 227.

Nullus de pœna conqueri potest, quæ etiam nullis peccatis existentibus sola nascendi conditione debebatur. 385.

Virtutem credendi gratiæ dono recipit. 448.

Deo donante potest naturaliter credere. 449.

Nullus est sine tentationis stimulo, & mutabilitatis incerto. 19. 102. 103.

Nullus homo in hac vita sine peccato. 268. 296. 617.

Incertæ hominis prouidentiæ, quæ. 360.

Hominis perfectio imperfectum se nouisse. 301.

Meliora nunc non nasci ingenia quã ante Christi aduentum. 87. 89.

Magna pars hominum saluantis gratiam aut repellit aut negligit. 46.

Ita locutionem suam diuinus stylus ordinat, vt ea quæ de quadam parte dicuntur ad omnes homines pertinere videãtur. 46.

HVMILITAS virtutum inexpugnabilis fortitudo. 15.

Non obtinetur plenè in hac vita. 19.

Sanctitatis fundamentum. 1.

In quo versetur prima ratio humilitatis. 3.

Eius proprium Deo subdi. 16.

Omnes reddit æquales. 7.

Vnit Ecclesiæ membra. 6.

Mavult esse apta iniuriis accipiendis, quàm idonea repellendis. 4.

Charitati inseparabiliter connexa. 17.

Fructus veræ humilitatis. 419.

Roborat dilectionem. 3.

Timore conservatur. 110.

Inter diuitias seruari potest. 5.

Fidelis intelligentia redemptionis humilem reddit. 4. 441.

Creatura rationalis sit humilitate sublimis. 482.

Non omnis quoquo modo humilis laudabilis. 3.

IACOB gratiâ electus, Esau iustè reprobatus. 312. 313. 329. 349. 369. 389. 546. 557.

Iacob. & Esau figura duorum populorum. 311.

INCARNATIO. Verbum Dei cur incarnatum. 277. 397. 422. 425. 434.

Incarnatio non est facta ex meritis humanis 424.

Verbum diuinum assumpsit carnem cum conditione mortalitatis. 425.

Assumpsit animam sine macula humanæ infirmitatis. ibid.

Deus factus est homo, non autem homo factus est Deus. 407.

Quid exinanitio verbi diuini. 417.

Per Incarnationis mysterium non est facta quaternitas in Deitate 405.

INFANTES nascuntur obstricti peccato originali. 245. 261. 316. 326. 435. 438.

Quomodò dicantur transgressi testamentum Dei. 436.

Quomodò peccatis suorum parentum obligentur. 250.

Sine baptismo mortui impiorum consortio deputantur. 262. 262. 313.

Traduntur gehennali incendio. 336. 338. 436. 459.

In iudicio non habebunt tertium locum. 263.

Iniustè damnarétur, si non haberent peccatum originale. 325. 415.

Deus non est crudelis in damnandis paruulis, sicut iniustus non est in maioribus cùm bonam non donat voluntatem. 460.

Infantes baptizati saluantur solius gratiæ operatione. 316. 460.

Ex duobus infantibus cur vnus assumatur, alter relinquatur, inscrutabile. 335. 336. 399. 714.

In hac discretione nulla iniquitas. 399. 713.

Parentum negligentia circa paruulos spectat ad occulta Dei iudicia. 330. 332. 334.

Parentum cura pro infantibus baptizandis ad Dei gratiam referenda. 330. 332.

Gratia Dei in infantibus est euidentior in adultis cumulatior. 718.

Parvulis pereuntibus an data fuerit aliqua gratia. 97.

Opinio de felicitate infantium sine baptismo morientium favet errori Pelagiano, 95. 98.

INFIDELES qui laudabiliter videntur vere, temporalem tantum huius vitæ statum exornare. 35. 172. 173. 176.

Infideles quibus negatur gratia, non excusantur à peccato. 224.

Bona opera quæ videntur habere, ipsis non prosunt. 451. 453. 570.

Non est in infidelibus vera iustitia. 25. 173. 178.

An in ipsis sint veræ virtutes. 178. 215.

Infidelis non est in Christo. 579.

Est conclusus sub peccato. 56.

An sacrificium missæ offerri possit pro infidelibus. 586.

An Christus sit passus pro infidelibus. 588. 596.

Infidelitas est contra naturam hominis. 449.

Non provenit ex Dei prædestinatione. 113.

Quomodo intelligendum illud Apostoli *vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem.* 281. & seqq.

Qualis gratia secundum ingratos. 210. 213.

Afferunt rectè volendi affectum tam homini lapso esse naturalem quam malè volendi. 206. 215. 230.

INGRATI dicunt gratiam nullum omninò hominem præterire. 210.

Queruntur per gratiam tolli liberum arbitrium. 221.

Convincuntur evacuare Crucem Christi. 232.

Voce tenus Pelagium damnant. 206. 217 218. 220. 219.

In quo cum Pelagianis conveniant, aut ab iisdem dissentiant 230.

Non possunt iustè in Ecclesia retineri exclusis Pelagianis. 208.

S. IOB Dei gratiâ vicit tentationes diaboli. 182. & seqq.

IRA Dei non est vbi non præcessit culpa. 401.

Dei ira est iudicium, quo irrogatur pœna peccato. 477. 558.

IVDÆI Populus electus. 36. 76. Huius electionis ratio abscondita. 59.

Iudaici populi prærogativæ. 401.

Non possedit terram Chanaan ex meritis suis. 391.

Divinæ gratiæ fuit, quod non defecit totus ad idola. 37.

Meritò suæ malitiæ excæcati Christum Dominum cognoscere non potuerunt. 540.

Obstinatio Iudæorum in adventu Christi. 88.

Vicissitudo illuminationis gentium & Iudæorum inscrutabilis. 59. 60.

IVLIANVS à Pelagio enutritus quasi regulus in caverna colubri. 533.

In Augustinum strenuissimum gratiæ propugnatorem libris editis debacchatur. 525.

Eius scripta cavenda. 524. 532.

Mendacio perfidiæ iungit veritatem catholicæ defensionis, vt facilius decipiat infirmos 530. 534.

Sex eius dogmata recensentur ex libro 1. de amore. 525. & seqq.

Negat originale peccatum. 529. & seqq.

Refellitur. ibid.

Bonum naturæ contra fidem cœlestis gratiæ defendit. 532. & seqq.

Errores eius strictim refelluntur. 525. & seqq.

IVSTI vocantur in Scripturis, non quod omni vitio careant, sed quod maiori prole virtutum commendentur. 270. 307.

Iustitiæ & gloriæ plenitudo separari non possunt. 632.

Iusti sunt coadiutores Dei. 391. 647. 650.

Se invicem erudiunt. 511.

IVSTIFICATIO. Gratuitâ Dei bonitate iustificatur indignus. 317.

Gratiam Dei iuſtificandos prævenire nullos ambigere debet Chriſtianus. 330.
Iuſtificatus ſibi non ſufficit, vt in iuſtitia permaneat. 341.
Quid iuſtificare ſeipſum. 648.

LATRO EVANGELICVS.
Sanguine fraterno cruentus. 511.
In cruce mutatus Dei gratiâ. ibid.
Non prævenit gratiam ſuâ voluntate. 166. 503.
De proprio fuit quòd blaſphemavit, de Spiritu S. quòd credidit. 166.
LAVS etiam vera onerosa verecundiæ. 38.
Laudis amore ſtudium virtutum corrumpitur. 205. 216.
Laus noxia magna contumelia 374.
LEX auget peccatum, ſi deſit gratiæ auxilium. 344. 439.
Oſtendit ægritudinem, non ſanat. 41. 344. 159. 197.
Lex datur, vt gratia requiratur. 352. & ſeqq. 456.
Mandata Dei quomodo poſſibilia. 303. 537
Præcepta legis nullus aliqualiter ſalubriter percipit, niſi donum gratiæ ſpiritalis acceperit. 344. 530.
Infirmitas multiplicatur ſolâ cognitione mandati. 352. 439.
Diſcrimen inter legem & gratiam. 355.
Scientia mandatorum non ſufficit ad ea obſervanda. 396. 621.
Lex ſcelerum, quæ naturaliter poteſt eſſe in cordibus infidelium ab impietate non liberati. 455.
Quam legem Deus ſcribit in cordibus credentium 456.
Deus facit impleri quod præcipit. 456.
LIBERTATIS diviſio multiplex. 619.
Libertas triplex, à neceſſitate, à peccato, & à miſeriâ. 624
Prima eſt libertas arbitrij, ſecunda conſilij, tertia complaciti. 627.
Earum diſcrimen. 625. 627.
Libertas à neceſſitate Deo & omni rationali creaturæ convenit. 626. 629. 640.
Libertas arbitrij per peccatum miſera, ſed non amiſſa. 626 680.
Eſt quodammodo captiva. 630.
Manet libertas voluntatis vbi eſt captivitas mentis 626.
Libertatis à peccato, & miſeria gradus duplex 633.
Libertas à peccato non eſt plena in homine viatore. 618.
Libertas à miſeria in nemine poſt peccatum invenitur. ibid.
Quam libertatem nobis Chriſtus contulit. 360. 409. 432. 443. 500.
Quid eſſe in libertate 691.
Vbi voluntas, ibi libertas. 622. 709.
In libertate imago divinitatis. 660. 671.
LIBERVM ARBITRIVM quid. 170. 606 622. 623. 624. 708. 709.
Ineſt omnibus hominibus 569.
Liberi arbitrij dominium ſuper omnes hominis actiones. 659. 661.
Per ſingula Dei auxilio indiget. 243. 305. 596.
Nec libertas, nec pars libertatis eſt peccandi poteſtas. 603.
Non conſiſtit in facultate æquè agendi bonum & malum. 640.
Conſiſtit in voluntate & ratione. 709.
Stat cum neceſſitate peccandi. 634.
Nec in bono, nec in malo amittitur. 635. 671. 709. 711.
Eſt in iniuſtis & impijs, ſed cum differentia. 351. 443.
Nec beatis nec damnatis deeſt. 711. 640.
Non æquè ſufficit ad bonum & malum. 645. 708.
Huius ratio. 712.
Sanum fuit ante peccatum. 316. 605. 671.
Quomodo remanſerit poſt peccatum. 607.
Prævaricatione primi hominis vitiatum. 500.
In homine lapſo infirmum. 679.

In homine lapſo quâ ratione captivum. 679.
Ad bonum non ſufficit. 670. 676.
Aſſimilatur capiti languido. 659. 682.
Sine Deo mortuum eſtiuſtitiæ, & vivit peccato. 26.
Ante illuminationem fidei iacet in tenebris, & vmbra mortis. 116. 231. 311.
Eſt veluti oculus ſine luce. 311.
Non niſi in ſuam perniciem mouetur 31.
Semper labitur. 219. 225.
Quid per ſe poſſit in infidelibus. 570.
Præcepta teſtantur in homine liberum arbitrium. 352. & ſeqq.
Per gratiam fit capax meriti. 116.
Per gratiam non tollitur, ſed liberatur. 26. 31. 177. 309. 316. 446.
Gratiæ & liberi arbitrij conſenſio 621.
Nemo benè vtitur libero arbitrio, niſi per Chriſtum. 241. 263. 265. 500.
Non ſufficit ſibi ad permanendum in bono. 27. 31. 170.
In iuſtis propriâ infirmitate concutitur. 316.
Qui virtutes ſe habere putat ſolâ libertate partas non creſcit, ſed deficit. 228.
In gratiæ & liberi arbitrij confeſſione ordo cuſtodiendus. 350.
Ordo iſte quis. 391. 392. 394. 395. 441.
Cur in infantibus & amentibus non ſit arbitrij libertas. 623.
In quæſtione de gratia & libero arbitrio tria certa. 72.
Ijs oporteret eſſe contentum. 104.
LIBIDINIS malum non eſt creatura Dei, ſed pœna peccati. 325.
Eſt cauſa propagationis peccati originalis. ibid.
MALI non ſunt prædeſtinati ad culpam, ſed ad pœnam. 472. 490.
Deus malis exhibet iuſtitiam, ſanctis donat gratiam. 477.
Malis operibus impiorum Deus benè vtitur. 490.
Mali malè vtuntur bonis. 502.
Malus ſibi ipſi pœna 481.
Mali nulla natura. 108.
B. MARIA ſemper Virgo. 321. 421.
Eſt propriè Dei mater. 404 416. & ſeqq.
Caro B. Mariæ fuit caro peccati. 421.
Ex gratia Dei fuit tam obediens voluntas virginis, quàm conceptio Domini Saluatoris. 445.
MERITA noſtra ſunt Dei dona. 710.
Nullum meritum ſine gratia. 56. 61.
Gratia eſt cauſa principalis meriti. 174.
Actio non eſt meritoria, quæ non refertur in Deum. 35. 56.
Omne meritum ab initio fidei vſque ad conſummationem perſeverantiæ eſt Dei donum. 61. 62. & ſeqq.
MISERIA. Omnes miſeriæ hominum ex eadem cauſa. 96.
Cur non æquales in omnibus hominibus. ibid.
Miſeria humani generis ex peccato. 263.
Miſeria hominis ab appetitu carnali exagitati. 667. & ſeqq.
MISERICORDIA. MISERERI.
Dei miſericordia eſt Dei gratia. 3.
Deus miſericors & iuſtus 484.
Quomodo intelligendum illud Apoſtoli, *ergò cuius vult miſeretur & quem vult indurat*, an interogativè, an aſſertivè. 369. 370.
Miſericordiæ operibus Dei miſericordiã promeremur. 272. 393.
MORS. Omnis mutatio eſt mortis imitatio. 651.
Mors eſt peccati pœna non naturæ conditio. 38. 95. 385. 433 436.
Peccato duplex mors retribuitur, ſcilicet corporis & animę in gehenna. 470.
Quomodo Chriſtus ſit mors mortis & morſus inferni 583.
Vitæ principum mortis exordium. 95.
Vitæ meta inæqualis. 95. 96. 114.
NABVCHODONOSOR pœnis emendatus. 399.
Cum Pharaone confertur. ibid.
NASCI. NATIVITAS. Duæ Chriſti nativitates, prima ex Deo, ſecunda ex homine. 424.

Duæ hominis nativitates, prima ex homine, secunda ex Deo ibid.

In vtraque hominis nativitate opus Dei præcedit operationem voluntatis. 444.

Ex eodem spiritu renascimur, ex quo natus est Christus 445.

In Adam omnes nascuntur damnationi obnoxij. 11. 143.

NATVRÆ bonum Adæ peccato depravatum 505. 673.

Sensim per gratiam reparatur. 82. 673.

Pristinam potestatem non recipit plenè in hac vita. 673. 676. 678.

Potest recipere maiorem secundum quid. 678.

Gratia Christi non est natura. 501.

Fides non est ex natura, sed ex gratia. 505.

Posse habere fidem naturæ est hominum, sed actu habere gratiæ. 450.

NECESSITAS. Vbi necessitas, ibi libertas non est. 623.

Necessitas cedit voluntati. 616.

Necessitas quædam orta ex peccato. 655.

Non excusat. ibid. & seqq.

Quid esse in necessitate. 691.

NESTORIANÆ hæresis epitaphium. 257.

NICENI CONCILII magni ordinatio de celebratione Paschę. 722.

OBDVRATIO. Quomodo Deus obduret. 314. 386. 512.

Obdurationis causa sunt peccata præcedentia. 121.

Duritia cordis quid. 386.

In cuius persona accipiendum illud Apostoli: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* 314. 369.

Apostolus obdurati cordis superbiam arguit dum dicit: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo.* 371.

OPVS. OPERARI. Tam opera bona, quàm eorum merita sunt Dei dona. 645.

Opus sine intentione bona, tanquàm corpus sine vita. 663. 664.

Per singula opera, Dei nitimur & regimur auxilio. 300.

ORATIO. Affectus orandi à Deo datur. 356. 359. 499.

Petendi, quærendi, pulsandi officium non debet homo suis viribus tribuere. 366.

Cur quidam petentes non accipiant. ibid.

Orationes sanctorum testantur infirmitatem liberi arbitrij ad bonum. 355.

Ecclesia orat pro omnibus. 49. 75. 131. 245.

Omnes orationes Ecclesiæ Dei gratiam resonant. 244

Vox Christi, *Vigilate & orate* semper debet sonare in auribus fidelium. 101.

ORDO. Creatura rationalis perdendo dilectionis ordinem, perdit charitatem. 484.

PASCHA quo die celebrandum secundum Concilium Nicenum. 722.

PARENTES. Cura Parentum pro filiorum salute est Dei donum. 313.

Parentes qui filiorum salutem negligũt, diabolo militant. 334.

Sunt spirituales paricidæ. ibid.

S. PAVLVS Prædicator gratiæ. 171.

Copiosus expositor cælestis mysterij. ibid.

Considerans mirabilem Dei dispositionem circa salutem hominum totam expositionis rationem transtulit ad stuporem. 51. 59. 81.

Fidem suam gratiæ Dei miserantis assignat. 442.

Laborem suum gratiæ attribuit. 365. 392. 710.

Quomodo in hac vita fuerit perfectus. 479.

An in Hispanias venerit. 186.

SS. PATRES Divinitus inspirati. 367.

Doctrinæ sanctorum Patrum inhærendum. 253. 339. 539. 541. 564. 588. 598. 601.

Indubitanter asserunt nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi beneficio gratiæ. 367.

Libris

Libris & epistolis docuerunt, gratiam Dei non omnibus generaliter dari. 339.

De sententiis Patrum, & aliorum Doctorum cum modestia iudicandum. 574. 588.

Quæ sunt à Sanctis Patribus decisa non sunt retractanda. 164 253.

Frustrà quis vt suis adinuentionibus credatur exigit qui illustrissimes Ecclesiæ Doctores abiecerit. 562.

PECCATVM mors animæ voluntaria. 311. 512.

Initium peccati est superbia. 481.

Ex voluntate Dei nunquàm processit origo peccati. 484.

Non datur prædestinatio ad peccatum. 112. 122. 469. & seqq.

Homo peccat propriâ voluntate. 117. 492.

Deus iustè peccare permittit. 472.

Iustè peccatori retribuit æternas pœnas. 483.

Nemo in hac vita sine peccato. 268. & seqq. 303. 572.

Prophetæ & Apostoli profitentur se non fuisse sine peccato. 268.

Quomodo intelligendum illud, *qui natus est ex Deo, non peccat.* 281.

Homo per peccatum non voluntate, sed voluntatis sanitate priuatus. 39.

Nulla sunt tam detestanda facinora; quæ valeant gratiæ arcere donum. 55.

Sine Dei cultu quod videtur virtus esse, peccatum est. 38.

Peccator simul seruus & liber. 616.

Maius miraculum est peccatorem, quàm mortuũ suscitare. 616.

Peccata remissa non redeunt. 113.

In homine lapso tres peccatorum causæ, impotentia, ignorantia, & concupiscentia. 727. 730.

Secundũ tres has causas tria genera peccatorum, peccatum infirmitatis, peccatum erroris, & iniquitatis. 731.

Triplex remedium diuinitus præparatum. 732.

PECCATVM ORIGINALE probatur ex Scripturis. 161.

Omnes nascuntur obnoxij peccato originali. 408. 420. 530.

Qui negat peccatum originale, Deum facit iniustum. 435.

Conuincitur negare Christum verè accepisse carnem humanam. 436.

Quomodo peccatum originale propagetur. 260. 385.

Ab hoc peccato nemo liberatur, nisi per Christum 408. 439. 529.

Potest aliquis damnari pro solo peccato originali. 162.

Aliud asserere est impium. ibid.

Peccati originalis alia est ratio, quàm cæterorum. 623.

Vide Adam. Infantes

PELAGII dogma summatim proponitur. 202. 209.

Authores Pelagianæ hæresis facundi. 259.

Bonorum actuum probitate olim luculenti 9.

Assimilantur protoplastis in Paradiso terrestri deliciosè ante lapsum constitutis. 10.

Qui & quales Principes & Socij Pelagianorum. 297.

Non audent suos errores palam docere, sed occultè insinuant. 297. 305. 306.

Eorum versutia. 249. 252. 297. 306.

Pelagianismus Origenis ramusculus. 299.

De Stoicorum fonte manat. 295.

Pelagiana hæresis cognata Nestorianæ. 137.

Valde noxia. 251. 257.

Per simulatam humilitatem superbiam docent. 395.

Negant peccatum originale. ibid.

Naturam fraudulenter laudant. 10.

Illæsam esse defendunt. ibid.

Liberum arbitrium excollunt. 113. 241.

Totam hominis iustitiam ex naturali volunt possibilitate subsistere. 22.

Asserunt vnumquemque arbitrio suo regi. 302.

Dicunt hominem posse esse sine perturbatione & peccato si velit. 268. 296. 297. 305.
Refelluntur. ibid.
Dei gratiam simulatè confitentur. 10. 22. 300. 301.
Quid nomine gratiæ intelligant 22. 300.
Dicunt gratiam secundùm merita dari. 30. 21. 141. 264.
Quæruntur per gratiam liberum arbitrium everti 300 301.
Pelagiani humanis & divinis legibus damnati 259. 267.
Pelagiana hæresis à quibus reprobata. 162. 197 202. 253.
Augustini imprimis eruditione confutata. 205.
Illis non tam disputationum studio quam authoritatum privilegio est resistendum. 199. 254.
Pelagiani non recipiendi in Ecclesiam sine legitima satisfactione. 147. & seqq.
PHARAONI. An & quæ gratia data. 398.
Conferturcum Nabuchodonosor. ibid.
Quomodò Deus indurauit cor Pharaonis. 389.
Philosophi maculauerunt Ecclesiæ puritatem. 296.
Qualia bona in Philosophis gentium. 35. 178. 570.
Philosophia gentilium Evangelio Christi obnititur. 40.
S. PETRVS Princeps Apostolorum 718.
Accepit à Christo oves pascendas. 371.
Petri fides ardentissima. 27.
Cur permissus labi. ibid.
Timore victus Christum negavit. 102.
Peccauit nimio amore sui qui in animo prius latebat. 642.
Obtinuit victoriam passionis non sine sentatione formidinis. 102.
Patet culpa vbi non latet pœna. 171.
Non potest esse pœna vbi non fuit culpa. 435.
Pœna pro voluntatum actuumque malitia cumulatur. 338.
PRÆDESTINATIO quid? 149. 485. 490. 551.
Prædestinare idem est ac decernere, præfinire, statuere, præfigere, præordinare 551.
Prædestinatio duplex ad vitam, & ad pœnam. 378. 382. 612. 147. 553. 596. 599. 714. 715.
Prædestinatione Deus ea tantùm statuit, quæ vel ipse gratuita misericordia, vel iusto iudicio facturus est. 599.
Datur prædestinatio ad pœnam, non ad culpam. 373. 503. 599. 469. 478. 487. 489.
Prædestinationis dispositio mira, & occulta. 512. 513.
Prædestinatio electorum gratuita. 323. 380 485. 546.
Non obest spei nostræ. 30.
Non tollit libertatem nec studium orandi. 110.
Huius electionis ratio inscrutabilis humana ratione. 28 54. 59. 70. 94. 117.
Sine fidei diminutione nescitur. 28.
Per velle & nolle non soluitur. 70. 94. 117.
In parvulis exemplum gratuitæ electionis. 28. 60.
Et in illis qui longam agentes in flagitiis ætatem sub finem vitæ conuertuntur. 30. 54. 55.
Prædestinationis & reprobationis discrimen 327.
Prædestinatio sanctorum confitenda. 315.
In prædestinatione continetur omnis gratia vocationis, iustificationis & glorificationis. 475.
Deus prædestinando præparat gratię donum & gratiam donando implet prędestinationis effectum. 464.
Deus prædestinavit initium bonæ voluntatis. 478.
Deus omnia prædestinata prædixit, non omnia prædestinata promisit. 488.
Illa sunt à Deo prædestinata quæ diuinæ misericordiæ, & æquitati congruunt. 478. 484.

Deus

Deus feciſſe dicitur quod faciendum prædeſtinauit. 476. 599.

Definitus, & certus eſt numerus prædeſtinatorum ad vitam. 27. 382. 560.

Nullus prædeſtinatorum peribit. 317.

Soli prædeſtinati ad vitam ſalvandi. 30. 107.

Quomodò Deus operetur ſalutem electorum. 646.

Horror prædeſtinationis fixæ, & gratuitæ occaſio erroris de gratia. 27.

Diuina præſcientia & prædeſtinatio neminem compellunt ad peccatum. 598.

In prædeſtinatis ad vitam eſt ſpecialis quædam vniuerſitas. 46.

Prædeſtinati ſunt illi omnes quos Deus vult ſaluos fieri. 316.

Cur prædeſtinati dicantur *omnes*. 316.

POENITENTIA quid. 440.

Pœnitentiam Deus præcipit. ibid.

Deo deſerente neminem pœnitet. 513.

Deus donat pœnitentiam. 440. 519.

In hac vita tantùm pœnitentiæ patet libertas. 521.

Damnatis non eſt vera pœnitentia. 638.

Quomodò pœnitentia dignè agatur. 520.

Pœnitentia non differenda. 521.

Pœnitens ſine metu eſſe non debet. 521. 522.

Secura non eſt pœnitentia quæ demum in periculo mortis agitur. 521.

Multi excitati diuinâ gratiâ, ſub finem vitæ agunt pœnitentiam. 53.

PRÆSCIENTIA Dei vera, & immutabilis. 328. 329.

Diſtinguenda à voluntate. 122. 124.

Non adfert neceſſitatem peccandi. 85. 108. 116. 599.

Merita præſcita non fuerunt cauſa electionis Iacob. 312. 323. 324.

Peccata præſcita non ſunt cauſa damnationis parvulorum. 328.

Præſcientia eſt tantum vere futurorum. 328. 329.

Non poteſt præſciri iniquitas ætatis quæ futura non eſt. 329.

Deus præſcivit ab æterno malos per propriam malitiam malos futuros. 598.

PROMISSIO Abrahæ facta quotidie impletur. 59. 103.

Quæ Deus promittit, cur dicantur iam facta. 476.

Deus non omnia prædeſtinata promiſit. 489.

Sanctificatio & glorificatio promiſſa. 489.

PRVDENTII Epiſcopi Tricaſſini quatuor capitula de gratia. 596.

QVÆSTIO De gratia & libero arbitrio ſobrie tractanda. 34. 95.

QVÆRELA de diſcretione parium parvulorum iniuſta. 98.

Non eſt iuſta querela de impari gratia fidelium. 105.

REDEMPTIO. A peccato originis non liberat niſi fides redemptoris. 439.

Quinam ſint à Chriſto redempti. 589. 600.

Patrum ſententiæ de myſterio redemptionis Chriſti. 592.

Non eſt pax ei qui non eſt redemptus ſanguine Chriſti. 454.

REMISSIO. De peccatis remiſſis non oportet eſſe ſine metu. 521.

Quando & qualis detur remiſſio peccatorum. 513.

REPROBI. Multi apud homines ſunt & apud Deum electi. 514.

In reprobis reatus naturalis ſuperbâ cognitione nutritur. 348.

Reprobi ſunt prædeſtinati ad pœnam non ad culpam. 512.

Reprobi ſunt prædeſtinati ad ſupplicium poſt præviſum peccatum. 547. 599.

Merito ſuo pereunt. 147.

Non ex eo neceſſario pereunt quod prædeſtinati non fuerint. 114. 115. 123.

Reprobis nulla iuſta excuſatio. 104. 348.

Ex Dei diſpoſitione ordinem præſentis ſæculi exornant. 122.

Naſcuntur in vtilitatem electorum. 122.

Eſau figura reproborum. 312.

RESVRRECTIO CHRISTI Quid nobis tribuerit. 425.

Corporum humanorum post resurrectionem qualitates. 288.

Quisque resurget in proprio corpore. ibid

Vterque sexus manebit post resurrectionem. 290. & seqq.

ROMA Caput mundi. 203.

Maior arce religionis, quam solio potestatis. 91.

Petri Sedes. 203. 240.

Authoritas sedis Apostolicæ Romanæ. 505. 716.

Sedes apostolica omnibus Ecclesiis superinvigilat. 252. 255 266.

In controversiis ad Sedem apostolicam recurrendum 258.

Quid Romani Pontifices de gratia Dei sentiendum censuerint. 241.

RVFFINVS libros Evagrij, Pontici, Hyperboritæ latinè reddidit. 298.

Ab eodem liber de vitis patrum scriptus. ibid.

In eo multos enumerat, qui nunquam fuerunt ibid.

Temere aliquos Origenistas adiungit. ibid.

Librum Sixti, Pitagorei nomine Sixti Martyris Papæ prænotat. ibid.

Apologiam pro origine quæ est Eusebij Ariani, Pamphilo martyri tribuit. 299.

SACRICIVM MISSÆ Offertur pro defunctis fidelibus. 585. & seqq.

Vtrùm pro catechumenis sive vivis sive defunctis aut pro nondum baptizatis fit offerendum. ibid.

SAPIENTIA Nihil vtilius. 661.

Quæ vera sapientia? 507.

Vera sapientia creaturæ rationalis dilectio Creatoris. 482.

SALVS, nemo nisi Christi gratia potest salvari. 241. 434. 440.

Omnes salvantur quoscunque Deus salvare voluerit. 596.

Quos omnes Deus velit salvari. 460. & seqq.

Gratis præveniuntur quicunque salvantur. 340.

Non omnes veraciter Ecclesiæ incorporati salvi fiunt. 600.

Exempla sanctorum ad diversas virtutes nos excitant. 518. 519.

SCIENTIA Sine charitate inflat. 357.

Non sufficit ad bene vivendum. 357. 395. 621.

Facit inexcusabilem. 348.

SCRIPTVRÆ sacræ inhærendum. 539.

Quod in vno loco obscurius dicit alibi clarius aperit. 383 392.

Quid agendum ei qui sacræ scripturæ veritatem non assequitur. 383.

Scriptura sacra per anticipationem frequenter dicit aliquid esse quod futurum est, & illa iam facta quæ sunt facienda. 196.

Loquitur de parte tanquam de toto 45. 48. 74. 286.

De electis & reprobis eiusdem populi loquitur tanquam de iisdem. 47. 48.

De diversorum temporum hominibus loquitur quasi de eiusdem temporis generatione. 48.

SEMIPELAGIANI quam partem Pelagianæ doctrinæ sibi servaverint. 10. 210.

Divi Augustini doctrinam reprehendunt 23. 111. 240.

Fati nomine veritatem prædestinationis infamant. 112.

Aiunt invtilem esse laborem & orationem si prædestinatio sit fixa, & certa. 168. & seq.

Asserunt naturalem facultatem non esse primo peccato diminutam. 10.

Fidem Christi naturæ volunt esse, non gratiæ 504.

Volunt parvulos ex meritis conditionate prævisis retributionem accipere. 349.

Dicunt naturaliter omnibus insitum vt si velint possint esse veritatis participes. 10.

Gaz-

Gartiunt meliora nunc nasci ingenia, quàm ante Christi aduentum. 88. & seqq.

Per occasionem obscuritatis tendunt laqueos deceptionis. 60.

Dicunt parvulis qui sine baptismo moriuntur Dei benignitate consuli, ne diutiùs viuentes pluribus essent peccatis obnoxij. 313. 319.

Nolunt Iacob gratis dilectum esse, sed ex operum præscientia. 320.

Putant aliter non constare diuinam iustitiam. 320. 409.

Obiiciunt illud Apostoli *qui vult omnes salvos fieri*. 409.

Illud Apostoli ad Romanos *Gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, gentibus incredulis assignare contendunt. 51.

Abuntur scriptura Matthæi vndecimo; *Venite ad me omnes*. 24.

Ineptè dicunt gratiam Dei ita esse tanquàm, si quis det mutuas pecunias accepto ideo pignore quod nisi custodierit, debitum accipere non possit. 368.

Dicunt Deum expectare hominis voluntatem, vt æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem iusta damnatio. 459.

Sunt inconsideratæ præsumptionis. 59.

Mirabile imo horribile quomodo vt suis adinuentionibus credatur exigant cùm ipsi illustrissimos doctores Ecclesiæ abiecerint. 562.

In Pelagianis damnati. 197. 203.

SENECA PELAGIANVS. Tria præcipuè capita hæresis Pelagianæ sibi adscisit. 259. & seqq.

Refellitur. ibid.

Hieronymum & Augustinum calumniando lacerare contendit. 265

Tentat Presbyterum excommunicare. ibid.

Clericos cum sacris virginibus dedecorosè congregat ibid.

SERVITVS De qua seruitute nos Christus eruit 360 444.

Quid seruitus sub peccato. 617.

Quomodo peccans sit seruus peccati. 615.

Sub peccato est libertas seruilis. 443.

Nemo seruit nisi cum aliqua libertate, & nemo liber est nisi cum aliqua seruitute. 171.

SPES. Semper sperandum in Dei misericordia. 522. 621.

SPIRITVS S. quomodo absens à peccatoribus. 7.

Sine spiritu S. nihil rectè agitur. 12. 40.

Corda sanctorum sunt organum Spiritus S. 18.

Spiritus S. veluti medicus caligantes animæ oculos curat. 14.

Dat omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritati. 500. [273.

SVPERBIA est super omne peccatum.

Initium peccati in Angelis, & hominibus. 18. 84.

Humanam & Angelicam naturam deiecit. 173. 274. 481.

Nascitur ex peruerso vsu donorum Dei. 8. 9.

Maximè iustis cauenda. 9. 16. 24.

Superbia quæ ex virtute nascitur, maximè noxia. 25. 17. 515.

Anima superba adultera est. 16.

Superbis etiam ea quæ videntur laudanda vertuntur in peccatum. 11.

Superbia virtutes euacuat. 17.

Superbus amittit quod indignus accepit. 348.

Superborum ruina maxima, præsertim eorum, qui auxilium Dei reiiciunt. 8.

Retributio superborum. 7.

TACITVRNITAS reprobanda quæ fauet errori. 259.

TENTATIO non necessitat ad malum. 641. 660.

Tentatio iustis vtilis. 516.

Infirmitatem voluntatis aperit, non facit. 641. 644.

Tentatio acrior post conuersionem. 516.

Tentatio gemina ex prosperis & aduersis. 6. 14.

Inde nouissima instruitur tentatio vnde nocuit prima decepti. 9.

TIMOR DEI duplex ſeruilis, & liberalis. 3.
Conuerſio à timore inchoanda 515.
Poſt timorem oportet conſurgere ad charitatem. ibid.
Timor interdum extorquet quod quieta cohortatio non ſuaſit. 107.
Gignit ſapientiam. 100.
Illæ cogitationes mortalium timidæ per quas peccato ſeruitur. 360.
TRAHI. Homo variis modis trahitur ad Deum. 165. 166.
Non ſemper trahimur inuiti. 641.
TYRIIS non fuit datum vt crederent. 151.
Huius ratio inſcrutabilis. ibid.
Per vaſa iræ, & vaſa miſericordiæ, qui intelligantur 315. 371. & ſeqq.
Vaſa miſericordiæ non dignitas, ſed charitas efficit. ibid.
Cur electi potiùs vocantur vaſa miſericordiæ, quàm vaſa iuſtitiæ. 323. 390. 491.
Cur reprobi potiùs vocantur vaſa iræ, quàm vaſa culpæ. 491.

VERBI DIVINI. Quę natiuitates. 407. 417.
Quid exinanitio Verbi. 417.
Verbum caro factum eſt, non ſolùm in Virgine, ſed etiam ex Virgine 418 & ſeqq.
VIRTVTES ſunt ordinatæ affectiones. 630.
Nulla vera virtus ſine gratia. 40. 173. 535.
Omnis virtus eſt ex dono gratiæ & conſenſu voluntatis. 100.
Interdum virtus virtuti aduerſatur. 676.
Virtutum munera otioſa eſſe non poſſunt. 109.
In impiis non ſunt veræ virtutes 178. 180.
Virtutum ſemina prævaricatione primi parentis euerſa. 178. 179.
VITA TEMPORALIS tota damnationis & pœnæ, niſi renaſcamur in Chriſto. 169.
Nemo in hac vita ſine peccato 168. 572.
In hac vita nullus liber à miſeria. 628.
Vita æterna eſt ex gratia. 473. 480. 710.
Vita æterna quomodo corona iuſtitiæ. 650.
Cur vita æterna dicatur gratia cùm iuſtè datur. 474. 710
LONGÆVITAS eſt Dei donum. 114. 125.
VITIVM Imperfecti in Dei amore facile in vitia dilabuntur 510.
Vitia poſt converſionem acrius inſurgunt. 516.
De conflictatione virtutum cum vitiis. 674.
Quomodo vitium vitio repugnet. 675.
A DEI VOCATIONE ſumimus principia bonorum. 391
Vocatio eſt prima gratia 393.
Non omnes vocati obtinent donum bene viuendi, quod eſt ſecunda gratia. ibid.
Cauſa dilatæ vocationis aliquorum, occulta. 75.
VOLVNTAS quid? 612.
Ratio ſemper voluntati comes. 622.
Non imponit neceſſitatem voluntati. ibid.
Voluntas nos à plantis pecudibuſque diſcernit. 613.
Sola voluntas libera. ibid.
Habet inamiſſibilem libertatem. 623. 660. 680.
Quatuor principales affectiones voluntatis vnde cæteræ originem trahunt. 693.
Hoc ſunt iſtæ affectiones in voluntate quod quatuor humores in corpore. 692.
Per peccatum inordinatæ & immoderatæ. ibid.
Quid eſſe in voluntate. 691.
Vbi voluntas, ibi libertas. 622. 626. 709.
Vbi non eſt voluntas nec libertas. 634.
Voluntatis intentum bonum triplex. 632.
Diuina voluntas eſt ipſa æquitas. 715
Irrita eſſe non poteſt. 53. 74.
Eſt immutabilis. 476.

Voluntas Dei semper impletur. 316. 457. 476.

In Deo non aliud velle, quàm posse. 476.

Voluntas Dei de omnium salute qualis. 28. 29. 97. 99. 110. 131. 410. 460. 575.

Falluntur qui putant voluntatem Dei æqualiter se habere erga salvandos, & damnandos. 457.

Voluntatis diuinæ secretum non ideò æstimemus iniustum, quia nobis videmus absconditum. 317.

Ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. 444

Negligentia boni non est ex divina voluntate. 314.

Voluntas Dei bona est causa iustificationis nostræ 380.

VOLVNTATIS HVMANÆ multiplicitas. 34

Sensualis describitur. 35.

Hæc eadem est quæ carnalis ibid.

Voluntas animalis. ib.

Sine gratia in rebus terrenis occiduisque versatur ibid.

Voluntas spiritualis. 34 38.

A Deo datur ibid.

Voluntas hominis vitio primæ prævaricationis infirma 34 37 39 344.

Si Adam non perdidisset bonam voluntatem omnis homo deinceps eam naturaliter possideret 344.

Quamdiu gratiâ non sanatur aut præcepta non intelligit, aut intellecta contemnit. 345. 351.

Aut semper appetit malum aut nunquã bene appetit bonum. ibid.

Tanto citius propinquat iniquitati, quãto acrius intenditur actioni 37.

Deus mutans voluntatem in bonam transfert non aufert libertatem. 641.

Non potest humana natura per seipsam, resumere bonam voluntatem 344 419. 444.

Voluntas præparatur à Domino. 472. 644. 499.

Voluntas bona fide inchoatur, charitate perficitur. 358.

Voluntas per gratiam prævenitur. 312. 352.

Deum in nobis operari omnia quæ pertinent ad bonæ voluntatis initium vel profectum fine dubitatione credendum est. 411. & seqq. 445.

Bona voluntas à Deo datur. 340. 343. 352 354. 472. 631.

Voluntas sine fide non potest esse bona. 343.

Deus non exspectat vt ab homine nascatur voluntas bona. 458. 499.

Qui quod in se laudabile iudicat sibi adscribit, procul abest à spiritali voluntate. 36.

Voluntas cooperatur divinæ gratiæ. 14. 100. 101. 313. 318 359.

Humanæ voluntatis inquietudo. 665.

Comparatur aërifacillimè mobili. 666.

Contrario motu charitatis, & cupiditatis in se diuiditur. 708.

Voluntas cogi non potest. 623. 660.

Quomodo dicatur iustus mentiri qui mentitur ne occidatur. 609. 615. 642.

Facultas voluntatis virtutem habet insuperabilem 613 660.

Nihil liberius rectâ voluntate. 615.

Non nisi suâ vincitur potestate. 610.

Quomodo tentationem vincat, aut dicatur vinci à tentatione. 610.

Deficit propriâ mutabilitate. 100. 108. 355.

Voluntas mala sibi ipsi supplicium. 481.

Mala hominis voluntate Deus bene vtitur. 458.

ZACHÆVS Non prævenit gratiam Dei libero arbitrio. 166.

Zachæi fides non ex natura, sed gratia. 503.

ZOSIMVS scripsit ad vniuersi orbis Episcopos contra Pelagianos. 163 243.

Africani Episcopi eius sententiam collaudant, ibid.

ERRA-

ERRATA.

Pag. 37. lin 2. rationi, lege nationi. Pag. 32. lin. 5. de iudicio, lege Dei iudicio. Pag. 74. l. 2. credul. l. crudel. P. 82. l. 5. itaque, l. vtique P. 83. l. 35 libris, l. labris. Pag. 106. l penul. ad vanitatem, l. ad vnitatem. P. 249. l. penul stigio l. studio. P. 306 l. 6. ideo, l. idem. p. 314. l. 10. itaque, l. vtique. p. 319. l. 4. cateris, l. certetis. p. 320. l. 13. non potuisse, dele non. p. 516. l. 25. tempore, l. tepore. p. 519. l. antepenul. amisiße l. admisiße p. 539. l. 18. quem intermissione, l fine p. 565. l. 16. Deo l. de eo. p. 601, l. 32. aviles, l. aniles. p. 605. l. 1. damnari, l. dominari p. 607 l. 11. quibus instrumento, l. sine quibus. p. 608 c. 5 l. 4. volens, l. nolens. p 613. l. 26. ablate, l. oblato. p. 614. l. 3 redire, l. redigere. p. 618 l. 12. induendum. l. intuendum. p 619. l. 13. homo, l. sermo p. 620 l. 24. etsi, l. et si p. 623. l. 1. miseria sua, l. sive. Ibid. l. 4. & vita l. ex vita. Ibid l. 5. obnixa, l. obnoxia. p. 626 l. 2. Deo. vniversaque l Deo, vniversaque p 627 l. 6. quippe, l. arburium quippe. p. 628. l. 16. errant, l. orant. p 631. l. 6. pervivere, l. permanere. Ibi d l. 33. quid, l. quidem. p. 644. l 30. insolita, l. inolita p 645 l. 2. pradicatur l praiudicatur p. 651. l. 1. simulatur l. similatur. p. 676. l 11. levitate, l. lenitate. p. 679 l 31. dudis l. audis. p. 616. c. 23. l 11. debet, l. decet p. 682. l. 3 habet, l. hebet. p. 693 l. 30. locis, l. loris. p. 699. l. 14. villas, l. ollas. p. Ibid. l. 15. ablatis, l allatis. p. 700. l. 2. & l. vt. p. 702 l. 36. edicere, l. addicere.

FINIS.